This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600090979/

13841. f. 60

13841. f. 60

BREVIARIUM

FOROJULIENSE,

ILLUSTRISS. ET REVEREND. IN CHRISTO PATRIS,

DD. EMMANUEL-FRANCISCI

DE BAUSSET-ROQUEFORT,

EPISCOPI FOROJULIENSIS AUCTORITATE,

NEC NON VENERABILIS EJUSD. ECCLESIÆ CAPITULI CONSENSU,

EDITUM.

PARS ÆSTIVA.

VESONTIONE,

EX TYPIS L. GAUTHIER.

1833.

BIBLIOTHECA COLLEGII REGINÆ

TABULA

CONTINENS OFFICIORUM GRADUS ET DIVERSITATEM.

Annuale-majus.
Annuale-minus.
Solemne-majus.
Solemne-minus.
Duplex-majus.
Dominica.

Hæc officia extra Tempus Paschale sunt novem Lectionum.

Duplex-minus.
Semiduplex.
Simplex.
Vigilia.
Feria.

Hæc Officia quocumque tempore sunt trium Lectionum.

ANNUALIA MAJORA.

NATALE Domini.
Epiphania Domini.
Pascha.
Ascensio Domini.
Pentecoste.
Festum Corporis Christi.
Assumptio B. M. V.

Hæc Festa nulli cedunt Festo.

Ipsa Dies Consecrationis, seu Dedicationis Ecclesiæ.

Festum principale Patroni Primarii, et Titularis Ecclesiæ.

Demùm omnia Festa quibus in Calendario vel Breviario apponitur hæc vox : ANNUALE-MAJUS.

ANNUALIA-MINORA.

DIES Anniversarius Dedicationis Ecclesiæ.

Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, ANNUALE-MINUS.

Annualia-minora Domini nulli cedunt Festo.

SOLEMN. MAJ. DOMINI ET B. M. V.

FESTUM primarium sancti Institutoris in proprio Ordine.

Festa Sanctorum qui in aliquibus Congregationibus quasi Patroni habentur.

Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, SOLEMNE MAJUS.

SOLEMNIA-MINORA.

FESTUM Patroni secundarii.

Feria *secunda intra Octavas Paschæ et Pentecostes.*

Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, SOLEMNE-MINUS.

DUPLICIA-MAJORA.

DOMINICA prima Adventûs.
Dominica prima Quadragesimæ.
Dominica Passionis.
Dominica Palmarum.
Feria tertia intra Octavas Paschæ et Pentecostes.
Dies Octavæ quorumcumque Annualium et Solemnium-majorum Domini, si quæ hoc ritu celebrentur alicubi.
Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox DUPLEX-MAJUS.

DUPLICIA-MINORA.

DOMINICÆ per annum superiùs non memoratæ.
Feria quarta intra Octavas Paschæ et Pentecostes.
Officium Beatæ Mariæ in Sabbato, à Circumcisione ad Præsentationem Domini.
Omnia Festa quibus apponitur in Calendario hæc vox, DUPLEX-MINUS.

SEMIDUPLICIA.

DIES intra Octavas quaslibet.
Officium de Beata Maria Virgine in Sabbato per annum.
Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Semiduplex*.

SIMPLICIA.

VIGILIÆ minores quæ anticipari possunt.
Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Simplex*.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ PRIMÆ CLASSIS,

Quæ excludunt quæcumque Festa etiam Annualia.

DOMINICA prima Adventûs.
Dominica I. Quadragesimæ.
Dominica Passionis.
Dominica Palmarum.
Dominica Paschæ.
Dominica in Albis.
Dominica Pentecostes.
Dominica prima post Pentecosten, in qua fit Officium SS. Trinitatis.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ SECUNDÆ CLASSIS,

Quæ admittunt Annualia et Solemnia-majora.

DOMINICÆ II, III et IV Adventûs.
Dominicæ II, III et IV Quadragesimæ.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ TERTIÆ CLASSIS,

Quæ admittunt Solemnia-majora et supra.

DOMINICÆ Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ.

DOMINICÆ QUARTÆ CLASSIS

In quibus fit de Duplicibus-majoribus et supra.

RELIQUÆ Dominicæ per annum.

FERIÆ MAJORES PRIVILEGIATÆ,

Quæ excludunt quæcumque Festa, etiam Annualia.

VIGILIA Natalis Domini.
Feria IV Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecostes.

FERIÆ MAJORES NON PRIVILEGIATÆ,

Quæ cedunt Officio Duplici-minori.

Feriæ Quatuor Temporum.

FERIÆ MAJORES NON PRIVILEGIATÆ,

Quæ cedunt Officio Semiduplici.

FERIÆ Adventûs.
Feriæ Rogationum.
Feria VI post Octav. Ascens.
Vigiliæ non Privilegiatæ etiam Minores.

FERIÆ MINORES,

Quæ omni cedunt Officio, sunt aliæ omnes Feriæ per annum.

EXCERPTA E RUBRICIS.

1. In primis Vesperis Festorum quorumcumque (nisi aliter notetur) dicuntur Psalmi de Feria ut in Psalterio, sub quinque Antiphonis, in Dupticibus et suprà; sub unica verò in Semiduplicibus; dicuntur etiam Psalmi Feriales ad Completorium quod has Vesperas sequitur, cum Antiphonis tamen propriis, si proprias Festum habeat.

2. In Festis Annualibus et Solemnibus-majoribus, ubi ad Officium Nocturnum Psalmi proprii non assignantur, sumuntur de Dominica. In Solemnibus-minoribus et infra, Psalmi omnes sunt de Feria (nisi aliter notetur in Breviario.) Quoties autem ad Officium Nocturnum Psalmi proprii vel de Dominica dicuntur, ad reliquas Horas Psalmi sunt de Dominica.

3. Festa Duplicia minora ac Semiduplicia unicum habent Nocturnum, in quo novem Psalmi (extra Tempus Paschale) de Feria sub tribus Antiphonis, quarum unaquæque post tres Psalmos, cum Versiculo, tribus Lectionibus et tribus Responsoriis. Lectio prima semper est de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; secunda et tertia de Festo. Tres autem Antiphonæ, Vers. et Respons. sumenda sunt secundùm Feriarum ordinem, id est, Feria secunda et quinta, de primo Nocturno; Feria tertia et sexta de secundo; Feria quarta et Sabbato de tertio Nocturno. Ad Laudes quinque *dicuntur Antiphonæ*, exceptis *diebus intra Octavas*, in quibus (*nisi aliter notetur*) unica dicitur Antiphona, scilicèt quarta de Laudibus Festi.

4. Officium Simplex incipit à Capitulo primarum Vesperarum et terminatur ad Nonam. Unicum habet Nocturnum cum tribus Lectionibus, quarum duæ priores sunt de Scriptura occurrente; scilicèt prima sola, secunda verò è duabus in unam junctis, tertia de Festo. Laudes sub sola quarta Antiphona de Laudibus ut in Communi. Fiunt Suffragia tam in primis Vesperis quàm in Laudibus, et dicuntur Preces ad Primam et ad Completorium.

5. Circa Responsoria tam Vesperarum quàm Officii Nocturni, hæc sunt observanda: In Annualibus quibuscumque ad primas Vesperas post *Gloria Patri*, fit reclamatio ab Asterico ✪ vel ✝; et repetitur ℟. integrum usque ad ℣. et sic ad III, VI et IX Officii Nocturni, in Annualibus-majoribus tantùm; præterea dicitur in iisdem Annualibus-majoribus *Gloria Patri* ad omnia ℟℟℟.; sed in duobus prioribus cujusque Nocturni fit tantùm reclamatio.

In Solemnibus quibuscumque ad primas Vesperas, post *Gloria Patri*, omissâ reclamatione repetitur ℟. integrum usque ad ℣.

In Solemnibus-minoribus ℟. ultimum Officii Nocturni repetitur post *Gloria* usque ad ℣.

In Annualibus-minoribus et Solemnibus-majoribus, ℟℟. III, VI et IX Officii Nocturni resumuntur post *Gloria* usque ad ℣.

6. Antiphonæ ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, dicuntur integræ ante et post Canticum in Solemnibus-minoribus et supra.

7. Intra Octavas Domini, si fiat de Festo quod non habeat Canticum proprium, dicitur Canticum de Octava. Intra alias Octavas dicitur in Festis occurrentibus Canticum de Psalterio pro Festis.

8. In Festis occurrentibus intra Octavas Domini aut Assumptionis Beatæ Mariæ, dicuntur ad Completorium Antiphonæ ut in die Festi, nisi Festum occurrens proprias habeat; dicitur etiam Hymnus aut Doxologia de Festo, si non adsit propria. Intra alias Octavas, si occurrat aliquod Festum, dicuntur Antiphonæ de Psalterio, cum Doxologia de Octava, si propriam habeat: idem servabitur in Dominicis intra Octavas, ubi Officium fit de Dominica.

9. Intra Octavas Annualium (et Solemnium-majorum Domini, si quæ in aliquibus Ecclesiis eo ritu celebrentur, ut v. gr. Festa Crucis, Transfiguratio, etc.) additur duplex *Alleluia* ℟/℟/℟. br. Tertiæ, Sextæ et Nonæ, etiam in Festis occurrentibus; excipiendum tamen tempus Septuagesimæ.

10. In Festis quæ celebrantur in Dominica, fit semper Commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus; et in Officio Nocturno, omissâ nonâ Lectione Festi, legitur ejus loco Evangelium cum prima Lectione de Homilia Dominicæ.

Anni Domini.	Aureus num.	Epacta.	Indictio.	Litt. Dom.	Domin. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum. Simplex.
1832	9	XXVIII	5	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1833	10	IX	6	f	4	3 Febr.	20 Febr.
1834	11	XX	7	e	2 †	16 Janu.	12 Febr.
1835	12	I	8	d	5 †	15 Febr.	4 Mart.
1836	13	XII	9	c b	3 †	31 Janu.	17 Febr.
1837	14	XXIII	10	A	2	22 Janu.	8 Febr.
1838	15	IV	11	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1839	16	XV	12	f	2 †	27 Janu.	13 Febr.
1840	17	XXVI	13	e d	5 †	16 Febr.	4 Mart.
1841	18	VII	14	c	4 †	7 Febr.	24 Febr.
1842	19	XVIII	15	b	2 †	23 Janu.	9 Febr.
1843	1	✪	1	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1844	2	XI	2	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1845	3	XXII	3	e	1 †	19 Janu.	5 Febr.
1846	4	III	4	d	4 †	8 Febr.	25 Febr.
1847	5	XIV	5	c	3 †	31 Janu.	17 Febr.
1848	6	XXV	6	b A	6	20 Febr.	8 Mart.
1849	7	VI	7	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1850	8	XVII	8	f	2 †	27 Janu.	13 Febr.
1851	9	XXVIII	9	e	5 †	16 Febr.	5 Mart.
1852	10	IX	10	d c	4 †	8 Febr.	25 Febr.
1853	11	XX	11	b	2 †	23 Janu.	9 Febr.
1854	12	I	12	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1855	13	XII	13	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1856	14	XXIII	14	f e	1 †	20 Janu.	6 Febr.
1857	15	IV	15	d	4 †	8 Febr.	25 Febr.
1858	16	XV	1	c	3 †	31 Janu.	17 Febr.
1859	17	XXVI	2	b	6	20 Febr.	9 Mart.
1860	18	VII	3	A g	4	5 Febr.	22 Febr.
1861	19	XVIII	4	f	2 †	27 Janu.	13 Febr.
1862	1	✪	5	e	5 †	16 Febr.	5 Mart.
1863	2	XI	6	d	3 †	1 Febr.	18 Febr.
1864	3	XXII	7	c b	2 †	24 Janu.	10 Febr.
1865	4	III	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1866	5	XIV	9	g	3	28 Janu.	14 Febr.
1867	6	XXV	10	f	5 †	17 Febr.	6 Mart.
1868	7	VI	11	e d	4 †	9 Febr.	26 Febr.
1869	8	XVII	12	c	2 †	24 Janu.	10 Febr.
1870	9	XXVIII	13	b	5 †	13 Febr.	2 Mart.

Anni Domini.	Pascha. Annuale.	Ascensio Domini. Sol. maj.	Pentecostes. Annuale.	Fest. Corp. Christi. Sol. maj.	Domin. post Pentec.	Dominica Adventûs Domini.
1832	22 April.	31 Maii.	10 Juni.	21 Juni.	24	2 Déc.
1833	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1 Dec.
1834	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1835	19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29 Nov.
1836	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Juni.	26	27 Nov.
1837	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1838	15 April.	24 Maii.	3 Juni.	14 Juni.	25	2 Dec.
1839	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1840	19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29 Nov.
1841	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28 Nov.
1842	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1843	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1844	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1 Dec.
1845	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1846	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1847	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28 Nov.
1848	23 April.	1 Jun.	11 Juni.	22 Juni.	24	3 Dec.
1849	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1850	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1851	20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30 Nov.
1852	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28 Nov.
1853	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1854	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1855	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1856	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1857	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1858	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28 Nov.
1859	24 April.	2 Juni.	12 Juni.	23 Juni.	23	27 Nov.
1860	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1861	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1862	20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30 Nov.
1863	5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Juni.	26	29 Nov.
1864	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1865	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1866	1 April.	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	27	2 Dec.
1867	21 April.	30 Maii.	9 Juni.	20 Juni.	24	1 Dec.
1868	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1869	28 Mart.	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	27	28 Nov.
1870	17 April.	26 Maii.	5 Juni.	16 Juni.	24	27 Nov.

CALENDARIUM (1)

JANUARIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
✿	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, et Octava Natalis ejus, *Solemne-majus.*
XXIX	b	IV	2	Basilii magni, Cesareæ in Cappadocia Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus; an.* 379. (*In Cathedr.* Octava S. Stephani, *Duplex-minus.*)
XXVIII	c	III	3	Genovefæ, Virginis Parisiensis: *Semid. an.* 512. (*In Cathedr.* Basilii Magni, Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus. Commem.* S. Genovefæ, Virg.)
XXVII	d	Prid.	4	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam; *Semid. c. an.* 460.
XXVI	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *sine jejunio, Simplex.*
25. XXV	f	VIII	6	EPIPHANIA DOMINI, *Annuale-maj.*
XXIV	g	VII	7	
XXIII	A	VI	8	
XXII	b	V	9	De Octava Epiphaniæ, *Semid.*
XXI	c	IV	10	
XX	d	III	11	
XIX	e	Prid.	12	
XVIII	f	Idib.	13	Octav. Epiph. et Bapt. Domini, *Duplex-majus.* Dominica II post Epiphan. (*nisi occurrat Septuagesima*) fit de SS. Nomine JESU, *Solemne-minus.*
XVII	g	XIX	14	Hilarii, Pictaviensis Episcopi et Ecclesiæ Doctor. (è 13.) *Duplex-minus; circa annum* 368, cum *Commem.* sancti Felicis, Presb. Nolani, *c. an.* 265.

(1) In hoc Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit: *an.* significat anno: *c. an.* circa annum: *s.* seculo: *c. med. s.* circa medium seculi; *c. fin. s.* circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis plane incertum.

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, olim feriabantur apud *populum.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XVI	A	XVIII	15	Pauli, primi Eremitæ Thebaidis, *Semid. c. an.* 341. *Commem.* S. Mauri, Glannofoliensis Abb. *c. fin.* VI *s.*
XV	b	XVII	16	Honorati, Arelatensis Episc. *Semiduplex; an.* 429.
XIV	c	XVI	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *Dupl. min. an.* 356.
XIII	d	XV	18	Pontificatûs, seu Cathedræ sancti Petri Apostoli, quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ sedit, *Dupl. min.*
				Prima sedes Septuagesimæ, 18.
XII	e	XIV	19	Sulpitii Pii, Bituricensis Episc. (*è* 17.) *Semiduplex; an.* 644.
XI	f	XIII	20	Fabiani, Papæ ✱, et Sebastiani ✱✱, Romæ Mart. *Dupl. min.* ✱ *an.* 260. ✱✱ *an.* 288.
X	g	XII	21	Agnetis, Virg. et Mart. *Semid. an.* 303 *vel* 304.
IX	A	XI	22	Vincentii, Cæsar-Augustani, Diaconi et Martyr. Valentiæ in Hispania, *Semid. an.* 303 *vel* 304.
VIII	b	X	23	Marcelli, Diensis Episc. *Semidupl. circa an.* 500.
VII	c	IX	24	Timothei, Ephes. Episcopi et Martyris, *Semid.* (*è* 22) *an.* 97, cum *Commem.* sancti Titi, Cretensis Episc. (*è* 4) I *s.*
VI	d	VIII	25	Conversio sancti Pauli, Apostoli, *Duplex-majus: an.* quibusdam 30 *vel* 31; aliis 34 *vel* 35, cum *Commem.* S. Præjecti, Claromontani Episc. et Mart. *an.* 673.
V	e	VII	26	Ausilii, Feroj. Episc. et Mart. *Dupl. min. c. an.* 483. *Commem.* sanctæ Paulæ, viduæ Romanæ, *Simpl. an.* 404.
IV	f	VI	27	Martyrum, qui pro libris sacris interierunt, *Semid. an.* 303. *Commem.* S. Juliani, primi Cenomanensis Episc. III *vel* IV *s.*
III	g	V	28	Cyrilli, Alexandrini Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, *Semiduplex; an.* 445.
II	A	IV	29	Francisci Salesii, Genev. Episcopi, (*è* 28 *Dec.*) *Dupl. min. an.* 1622.
I	b	III	30	Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semid. c. an.* 680.
●	c	*Prid.*	*31*	*Petri Nolasci*, Ordinis B. M. de Mercede *Fundatoris, Semid. c. an.* 1256.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXIX	d	Cal.	1	Ignatii, Antiochiæ Episcopi, et Martyri. Romæ (*è* 20 *Dec.*) *Semid. an.* 107. *Commem.* S. Brigidæ, Virg. et Abbat. in Hibernia: *c. an.* 520.
XXVIII	e	IV	2	PRÆSENTATIO DOMINI, ET PURIFICATIO B. M. VIRGINIS, *Annuale-minus.*
XXVII	f	III	3	Blasii, Sebast. in Armenia Episc. et Mart. *Simplex: circa an.* 316.
25. XXVI	g	Prid.	4	Joannæ Valesiæ, Viduæ, Reginæ Franciæ, et Monial. Annuntiationis Fundatric. *Semiduplex: an.* 1505.
				Prima sedes Cinerum, 4.
XXV. XXIV	A	Non.	5	Agathæ, Catanensis Virginis et Martyris, *Semid. an.* 251. (*In Quadragesima Commemoratio, et sic de sequentibus Semiduplicibus*).
XXIII	b	VIII	6	Vedasti, primi Atrebatensis Episcopi, *Simplex: c. an.* 539. (*In Quadragesima Commemoratio, et sic de sequentibus Simplicibus.*)
XXII	c	VII	7	
XXI	d	VI	8	Joannis de Matha, Presbyt. Paris. Ord. SS. Trinit. Fund. (*è* 21 *Dec.*) *Semid. an.* 1213.
XX	e	V	9	Apolloniæ Alex. Virg. et Mart. *Simplex: an.* 249.
XIX	f	IV	10	Scholasticæ Cassinensis, Virg. *Semid. c. an.* 543.
XVIII	g	III	11	Benedicti, Anianensis Abbatis, *Semid. c. an.* 821.
XVII	A	Prid.	12	
XVI	b	Idib.	13	
XV	c	XVI	14	
XIV	d	XV	15	
XIII	e	XIV	16	Onesimi, apud gentes Apostoli, *Simplex: 1 s.*
XII	f	XIII	17	
XI	g	XII	18	Simeonis, Hierosolymitani Episcopi, et Martyris, *Semiduplex: an.* 107.
X	A	XI	19	Flaviani, Constantinopol. Episc. et Mart. *Simpl. an.* 449.
IX	b	X	20	
VIII	c	IX	21	*Ultima sedes* Septuagesimæ, 21.
VII	d	VIII	22	

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
VI	e	VII	23	
✪	✪	✪	✪	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
V	f	VI	24	*In anno communi.* Matthiæ, Apostoli,
IV	g	V	25	*In anno bissextili.* *Dupl. maj.* I. s.
III	A	IV	26	
II	b	III	27	
I	c	Prid.	28 *An. Comm.* 29 *An. Bissext.*	Martyrum, qui obiere in Caritatis Officio, erga pestilentiâ afflictatos Alexandriæ, *Simpl.* III s.

In Anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum sancti Matthiæ celebratur 25 Februarii, et bis dicitur *sexto Calendas*, id est, 24 et 25. Festum verò SS. Martyrum, fit die 28, et Littera Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut, si in Januario Littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ est g; et sic de aliis, Littera autem f bis inservit, 24 et 25.

Feria VI post Cineres fit Officium Quinque Plagarum Christi, *Dupl. majus.*

Feria VI post Dominicam I Quadrages. fit Officium SS. Christi Faciei in Passione ejus deformatæ, *Duplex-majus.*

Feria VI post Dom. II Quadrages. fit Officium Sanctæ Cruæis Domini, *Duplex-majus.*

Feria VI post Dom. III Quadrages. fit Officium Sanctæ Coronæ Spineæ, *Duplex-majus.*

Feria VI post Dom. IV Quadrag. fit Officium Pretiosi Sanguinis Christi, *Duplex-majus.*

Feria IV et VI, et Sabbato post Domin. I Quadrag. Quatuor Temp.

MARTIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
✪	d	Cal.	1	Albini, Andegavensis Episcopi, *Simpl. an.* 55.
XXIX	e	VI	2	
XXVIII	f	V	3	
XXVII	g	IV	4	
XXVI	A	III	5	
25. XXV	b	Prid.	6	
XXIV	c	Non.	7	Perpetuæ et Felicitatis, et Socior. Mart. *Simplex: c. an.* 204.
XXIII	d	VIII	8	Joannis de Deo, Ordinis Fratr. Caritatis Institutoris, *Simplex: an.* 1550.
				Primum Novilunium Paschale, 8.
XXII	e	VII	9	Franciscæ, Vid. Roman. *Simpl.* an. 1440.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXI	f	VI	10	Quadraginta Militum Sebastensium, Martyrum, *Commem. c. an.* 320. *Ultima sedes Cinerum*, 10.
XX	g	V	11	
XIX	A	IV	12	
XVIII	b	III	13	
XVII	c	Prid.	14	Eupergii, è territorio Forojul. *Commem.*
XVI	d	Idib.	15	
XV	e	XVII	16	
XIV	f	XVI	17	Patritii, Hibernorum Apost. *Commem. c. fin.* V *s.*
XIII	g	XV	18	Alexandri, Episc. Hierosolym. et Mart. *Commem. an.* 250.
XII	A	XIV	19	Joseph, Sponsi B. M. V. *Solemne-min.* I *s.*; cum *Commem.* S. Cyrilli, Hierosolym. Episc. et Eccl. Doct. *c. an.* 388.
XI	b	XIII	20	
X	c	XII	21	
IX	d	XI	22	*Prima sedes Paschæ*, 22.
VIII	e	X	23	
VII	f	IX	24	
VI	g	VIII	25	ANNUNTIATIO INCARNATIONIS DOMINI, AD B. M. V. *Annuale-minus.*
V	A	VII	26	
IV	b	VI	27	
III	c	V	28	
II	d	IV	29	
I	e	III	30	
✠	f	Prid.	31	De Octavâ Annuntiationis, quando Pascha occurrit die 22 Martii.

Feria VI post Dominicam Passionis fit Officium de Compassione Beatæ Mariæ, *Duplex-majus*, nisi occurrat die 25 Martii, tunc enim transfertur in diem sequentem.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXIX	g	Cal.	1	Octava Annuntiationis modò Pascha occurrat 22 *vel* 23 Martii, *Duplex-majus.*
XXVIII	A	IV	2	Francisci de Paula, Cœnobitæ et Instit. Ordin. Minimorum, *Semiduplex; an.* 1507.
XXVII	b	III	3	
25. XXVI	c	Prid.	4	Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, et Ecclesiæ Doctoris, *Duplex-majus: an.* 397. (*Si hoc Festum occurrat in Quadragesima, transfertur post Pascha, et sic de Duplicibus-majoribus, et supra.*)
XXV. XXIV	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii, Presbyteri, Ordinis Prædicatorum, *Semid. an.* 1419. *Ultimum Novilunium Paschale,* 5.
XXIII	e	VIII	6	Isidori, Hispalensis Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, *Semid. an.* 636.
XXII	f	VII	7	
XXI	g	VI	8	
XX	A	V	9	
XIX	b	IV	10	
XVIII	c	III	11	
XVII	d	Prid.	12	
XVI	e	Idib.	13	Justini, Romæ Christianæ Religionis Apologistæ et Martyr. *Semiduplex: an.* 167 *vel* 168.
XV	f	XVIII	14	
XIV	g	XVII	15	
XIII	A	XVI	16	¶ Dominica II post Pascha, fit de translatione S. Felicis, Mart. *Solemn. min.*
XII	b	XV	17	
XI	c	XIV	18	
X	d	XIII	19	
IX	e	XII	20	
VIII	f	XI	21	Anselmi, Cantuariens. Episc. et Eccles. Doct. *Simplex: an.* 1109.
VII	g	X	22	Martyrum pro Solemnitate Paschali occisorum in Africa, *Simplex: an.* 459.
VI	A	IX	23	Georgii, Martyris, in Oriente, *Semiduplex.*
V	b	VIII	24	Phœbadii, Aginnensis Episc. *Simplex: c. fin.* IV *s.*
IV	c	VII	25	Marci, Evang. *Dupl. maj. c. an.* 68. *Ultima sedes Paschæ,* 25.
III	d	VI	26	Cleti seu Anacleti, Papæ et Martyris, *Simplex; c. an.* 91.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXI	f	VI	10	Quadraginta Militum Sebastensium tyrum, *Commem. c. an.* 320. *Ultima sedes Cinerum*, 10.
XX	g	V	11	
XIX	A	IV	12	
XVIII	b	III	13	
XVII	c	Prid.	14	Eupergii, è territorio Forojul. *Con*
XVI	d	Idib.	15	
XV	e	XVII	16	
XIV	f	XVI	17	Patritii, Hibernorum Apost. *Con c. fin.* V *s.*
XIII	g	XV	18	Alexandri, Episc. Hierosolym. et *Commem. an.* 250.
XII	A	XIV	19	Joseph, Sponsi B. M. V. *Solemn* I *s.*; cum *Commem.* S. Cyrilli, solym. Episc. et Eccl. Doct. *c. a*
XI	b	XIII	20	
X	c	XII	21	
IX	d	XI	22	*Prima sedes Paschæ*, 22.
VIII	e	X	23	
VII	f	IX	24	
VI	g	VIII	25	ANNUNTIATIO INCARNAT DOMINI, AD B. M. V. *An minus.*
V	A	VII	26	
IV	b	VI	27	
III	c	V	28	
II	d	IV	29	
I	e	III	30	
✱	f	Prid.	31	De Octavâ Annuntiationis, quand cha occurrit die 22 Martii.

Feria VI post Dominicam Passionis fit Officium de Compassion Mariæ, *Duplex-majus*, nisi occurrat die 25 Martii, tunc enim tra in diem sequentem.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXIX	g	Cal.	1	Octava Annuntiationis modò Pascha occurrat 22 *vel* 23 Martii, *Duplex-majus.*
XXVIII	A	IV	2	Francisci de Paula, Cœnobitæ et Instit. Ordin. Minimorum, *Semiduplex; an.* 1507.
XXVII	b	III	3	
25. XXVI	c	Prid.	4	Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, et Ecclesiæ Doctoris, *Duplex-majus: an.* 397. (*Si hoc Festum occurrat in Quadragesima, transfertur post Pascha, et sic de Duplicibus-majoribus, et supra.*)
XXV. XXIV	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii, Presbyteri, Ordinis Prædicatorum, *Semid. an.* 1419. *Ultimum Novilunium Paschale,* 5.
XXIII	e	VIII	6	Isidori, Hispalensis Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, *Semid. an.* 636.
XXII	f	VII	7	
XXI	g	VI	8	
XX	A	V	9	
XIX	b	IV	10	
XVIII	c	III	11	
XVII	d	Prid.	12	
XVI	e	Idib.	13	Justini, Romæ Christianæ Religionis Apologistæ et Martyr. *Semiduplex: an.* 167 *vel* 168.
XV	f	XVIII	14	
XIV	g	XVII	15	
XIII	A	XVI	16	¶ Dominica II post Pascha, fit de translatione S. Felicis, Mart. *Solemn. min.*
XII	b	XV	17	
XI	c	XIV	18	
X	d	XIII	19	
IX	e	XII	20	
VIII	f	XI	21	Anselmi, Cantuariens. Episc. et Eccles. Doct. *Simplex: an.* 1109.
VII	g	X	22	Martyrum pro Solemnitate Paschali occisorum in Africa, *Simplex: an.* 459.
VI	A	IX	23	Georgii, Martyris, in Oriente, *Semiduplex.*
V	b	VIII	24	Phœbadii, Aginnensis Episc. *Simplex: c. fin.* IV *s.*
IV	c	VII	25	Marci, Evang. *Dupl. maj. c. an.* 68. *Ultima sedes Paschæ,* 25.
III	d	VI	26	Cleti seu Anacleti, Papæ et Martyris, *Simplex; c. an.* 91.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXVII	e	Cal.	1	Caprasii, Lirinensis Monachi, *Semid. an.* 430.
25. XXVI	f	IV	2	Pothini, Lugd. Episc. Blandinæ Virg. et quadraginta sex Martyr. *Semidupl. an.* 177; cum *Commem.* SS. Marcellini, Presb. et Petri Exorcistæ, Romæ Mart. *an.* 304.
XXV. XXIV	g	III	3	Clotildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semid. post* 537. *Ultima sedes Ascensionis Domini*, 3.
XXIII	A	Prid.	4	
XXII	b	Non.	5	
XXI	c	VIII	6	Norberti, Magdeburg. Episc. Instit. Ord. Præmonstratensis, *Semid. an.* 1154.
XX	d	VII	7	Claudii, Bisuntini Ep. *Semid. an.* 581.
XIX	e	VI	8	Medardi, Noviom. Episcopi, *Simplex: c. an.* 545.
XVIII	f	V	9	
XVII	g	IV	10	
XVI	A	III	11	Barnabæ, Gentium Apost. *Dupl. maj. c. fin.* 1 s.
XV	b	Prid.	12	
XIV	c	Idib.	13	Antonii, Lirinensis Monachi. *Simplex: c. an.* 526. *Ultima sedes Pentecostes*, 13.
XIII	d	XVIII	14	
XII	e	XVII	15	Crescentis, primi Viennensis Episcopi, *Simplex*: 1 s.
XI	f	XVI	16	Cyrici et Julittæ matris ejus, Tarsi in Cilicia Mart. *Simplex: c. an.* 305.
X	g	XV	17	
IX	A	XIV	18	
VIII	b	XIII	19	Gervasii et Protasii, Fratrum Mediolan. Mart. *Semid.* 1 *vel* II s. cum *Commem.* sancti Romualdi, Abbatis, Instit. Ord. Camaldulensis; *c. an.* 1207.
VII	c	XII	20	
VI	d	XI	21	Sylvestri, Papæ (*è* 31 *Dec.*) *Semidiaplex: an.* 335.
V	e	X	22	Paulini, Nolani Episc. *Semid. an.* 431.
IV	f	IX	23	Vigilia, *cum jejunio.*
III	g	VIII	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Solemne-majus.*
II	A	VII	25	Eligii, Noviomensis Ep. *Semid. an.* 659. *Translatio hâc die. Commemor.* Oct. S. Joannis-Baptistæ.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
I	b	VI	26	De Octava Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, *Semid. Commem.* SS. Joannis et Pauli, Fratr. Romæ Mart. *c. an.* 362 *vel* 363.
✪	c	V	27	Lamberti, Venciensis Ep. *Semid. an.* 1154. *Commem.* Oct. S. Joannis-Baptistæ.
XXIX	d	IV	28	Irenæi, Lugd. Episc. et Eccl. Doct. ac Soc. Mart. *Dupl. min. c. an.* 202. *Commem.* Oct. S. Joannis Baptistæ, ac Vigiliæ SS. Petri et Pauli, Apost. *cum jejunio.*
XVIII	e	III	29	PETRI ET PAULI, APOST. *Solemne-majus, c. an.* 66.
XVII	f	Prid.	30	Commemoratio sancti Pauli, Apostoli, *Dupl. maj. Commem.* Octavæ sancti Joannis, et sancti Petri, Apost.

JULIUS.

XVI	g	Cal.	1	Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et Festum Decollationis ejusdem, *Duplex-minus : an.* 32. *Commemor.* Octavæ sanctorum Petri et Pauli.
25. XXV	A	VI	2	Visitatio Beatæ Mariæ Virg. *Solemne-minus ; Commem.* Octavæ SS. Petri et Pauli.
XXIV	b	V	3	Martialis, primi Lemovicensis Episcopi, *Semid.* III *s. Commem.* Oct. sanctorum Petri et Pauli.
XXIII	c	IV	4	Ordinatio ✪ et ✪✪ Translatio S. Martini, Turonensis Episc. *Semid.* ✪ *an.* 372. ✪✪ *an.* 473. *Commem.* Oct. SS. Petri et Pauli.
XXII	d	III	5	De Octavâ SS. Petri et Pauli, *Semid.*
XXI	e	Prid.	6	Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum omnium sanctorum Pontificum in Sede romana Petri successorum, *Dupl. maj.*
XX	f	Non.	7	Thomæ, Cantuariensis Episc. et Mart. (*è* 29 *Dec.*) *Semiduplex : an.* 1170. Translat. hâc die : *an.* 1222.
XIX	g	VIII	8	Prosperi, Aquitani, Ecclesiæ Doctoris, *Semid. c. an.* 456.
XVIII	A	VII	9	Ephrem, Diaconi Edesseni, Monachi, *Simpl. c. an.* 381.
XVII	b	VI	10	Septem Fratrum, et sanctæ Felicitatis eorum matris, Romæ Mart. *Simplex : c. an.* 150.

Cycl. Epactæ	Litt Dom	Dies Mensis.		
XVI	c	V	11	Benedicti, Cassinensis Abb. (*è* 21 *Mart.*) *Semiduplex*, *an.* 543. Transl. hâc die: *c. an.* 653.
XV	d	IV	12	
XIV	e	III	13	Silæ, Gentium Apost. *Semid.* III *s.*
XIII	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episc. Card. et Eccl. Doct. *Semid. an.* 1274.
XII	g	Idib.	15	Henrici II Imperatoris, *Simpl. an.* 1024.
XI	A	XVII	16	
X	b	XVI	17	Sperati et Sociorum, Mart. Scillitanorum, *Simplex: an.* 200.
IX	c	XV	18	Thomæ Aquinatis, Doctor. (*è* 7 *Mart.*) *Duplex-minus: an.* 1274. Canonisatio hâc die: *an.* 1323.
VIII	d	XIV	19	Vincentii à Paulo, Presbyteri, et Congregationis Missionis in Gallia Institut. *Dupl. min.* (*è* 27 *Sept.*) *an.* 1660.
VII	e	XIII	20	Margaritæ, Virg. et Mart. *Semiduplex: Commem.* sancti Arsenii, Romani Diaconi, Scetis Solitarii, *an.* 445.
VI	f	XII	21	Victoris, Massiliensis Mart. *Semiduplex: c. an.* 290.
I	g	XI	22	Mariæ Magdalenes, *Dupl. maj.* I *s.*
IV	A	X	23	Joannis Cassiani, Monasterii S. Victoris Massiliensis Fundat. et Abb. *Semid. circa an.* 448; *Commemor.* sancti Apollinaris, Ravennensis Ep. et Mart. I *vel* II *s.*
III	b	IX	24	
II	c	VIII	25	Jacobi (Zebed.) Apost. *Duplex-majus: an.* 44; cum *Commem.* sancti Christophori, Mart. in Lyciâ, III *s.*
I	d	VII	26	Joachim et Annæ, parentum B. M. Virg. *Dupl. maj.*
☉	e	VI	27	Pantaleonis, Nicomediensis Mart. *Simpl. an.* 305.
XXIX	f	V	28	
XXVIII	g	IV	29	Lupi, Trecensis Episcopi, *Semidupl. c. an.* 479.
XXVII	A	III	30	Ignatii Loyolæ, Presbyt. Institut. Societatis Jesu, *Semiduplex: an.* 1556.
25. XXVI	b	Prid.	31	Germani, Autissiodorensis Episc. *Semid. an.* 448.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XIV XXIV	c	Cal.	1	Petri ad Vincula, (*è* 20 *Apr.*) *Duplex-minus; an.* 44 *et* 65. Dedic. Basilicæ ejusdem hâc die; *an.* 439 *vel* 451; cum *Commem.* Septem SS. Fratr. Machabæorum et eorum Matris, Mart. *circa an.* 167 *ante Christum natum.*
XXIII	d	IV	2	Stephani I, Papæ et Martyr. *Simplex; an.* 257.
XXII	e	III	3	Revelatio *seu* Inventio Corporis sancti Stephani, Diaconi et Protomart. (*è* 19 *Dec.*) *Dupl. min. an.* 415.
XXI	f.	Prid.	4	Dominici, Presb. Instit. Ord. Fratrum Prædic. (*è* 6.) *Semid. an.* 1221.
XX	g	Non.	5	Xisti, Papæ et Martyris, *Semiduplex; an.* 258.
XIX	A	VIII	6	Transfiguratio Domini, *Solemne-min. an.* 28 *vel* 32.
XVIII	b	VII	7	Donati, Arretii in Etruria Episc. *Semid. c. an.* 303.
XVII	c	VI	8	
XVI	d	V	9	Romani, Romæ Mart. *Simplex: an.* 258.
XV	e	IV	10	Laurentii, Romani Diaconi et Martyris, *Dupl. maj. an.* 258.
XIV	f	III	11	Claræ, Assisii in Umbria Virginis, primæ Clarissarum Abbatissæ, *Semiduplex: an.* 1253.
XIII	g	Prid.	12	Porcarii, Lirinensis Abb. et Soc. Martyr. *Semid. an.* 731.
XII	A	Idib.	13	Radegundis, Francorum Reginæ, Viduæ, *Semiduplex: an.* 587.
XI	b	XIX	14	Vigilia *cum jejunio.*
X	c	XVIII	15	ASSUMPTIO BEATÆ M. VIRGINIS, totius regni Patronæ, *Annuale-majus.*
IX	d	XVII	16	Rochi, laici, apud Montem-Pessulanum, *Duplex-minus: an.* 1327. *Commem.* Octavæ Assumptionis.
VIII	e	XVI	17	De Octavâ, *Semid.*
VII	f	XV	18	
VI	g	XIV	19	Ludovici, Episcopi Tolosani, *Dupl. min. an.* 1297. *Commem.* Octavæ Assumpt.
V	A	XIII	20	Bernardi, primi Claravall. Abb. et Eccl. Doct. *Dupl. min. an.* 1158; cum *Commem.* Octavæ.
IV	b	XII	21	De Octavâ, *Semid. Commem.* S. Privati, Gabalitani Episcopi et Martyris, *circa an.* 265.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
III	c	XI	22	Octava Assumptionis B. M. et *Commem.* voti Ludovici XIII Regis Christianissimi, *Dupl. maj. an.* 1638. *Commem.* sancti Symphoriani, Augustodunensis Mart. *c. an.* 173.
II	d	X	23	Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Viduæ, Monialium Visitationis S. M. Fundatric. (*è* 13 *Dec.*) *Semiduplex: an.* 1641.
I	e	IX	24	Bartholomæi, Apost. *Dupl. maj.* I *s.*
✪	f	VIII	25	Ludovici IX, Regis Franciæ, *Duplex-majus: an.* 1270.
XXIX	g	VII	26	
XXVIII	A	VI	27	Cæsarii, Arelatensis Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus; an.* 542.
XXVII	b	V	28	Augustini, Hippon. Episc. et Eccl. Doct. *Dupl. maj. an.* 430, cum *Commem.* S. Juliani Brivatensis, Martyr. *circa an.* 304.
XXVI	c	IV	29	
25. XXV	d	III	30	
XXIV	e	Prid.	31	Lupi, Senonensis Episc. *Semid. an.* 623. *Commem.* S. Paulini, Trevirens. Ep. et Confessoris Christi: *an.* 358.

SEPTEMBER.

XXIII	f	Cal.	1	Ægidii, Abbatis in Occitania, *Semidupl. c. med.* VI *s.*
XXII	g	IV	2	Lazari, à Christo suscitati, et SS. Mariæ et Marthæ sororum, Christi hospitum, *Dupl. min.* cum *Commem.* S. Antonini, Mart. Apamiarum patroni: III *s.*
XXX	A	III	3	Gregorii Magni, Papæ et Eccl. Doctoris, (*è* 12 *Mart.*) *Dupl. maj. an.* 604. Ordinatio hâc die, *an.* 590.
XX	b	Prid.	4	Aigulphi, Lirinensis Abb. et Soc. Mart. *Semid. c. an.* 675. *Commem.* sancti Marcelli, Cabilonensis Mart. *an.* 590.
XIX	c	Non.	5	
XVIII	d	VIII	6	
XVII	e	VII	7	Clodoaldi, Presbyt. *Semid. an.* 568.
XVI	f	VI	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-majus.*
XV	g	V	9	De Octava, *Semid. Commemor.* S. Gorgonii, Nicomediæ Martyr. *c. an.* 303.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
XIV	A	IV	10	De Octava, *Semid. Commem.* sancti Nicolai Tolentinatis, Erem. S. August. *an.* 1309.
XIII	b	III	11	De Octavâ, *Semid. Commem.* sanctorum Proti et Hyacinthi, Romæ Mart. III *s.*
XII	c	Prid.	12	De Octavâ, *Semid. Commemor.* sancti Maximini, Trevirensis Episc. *an.* 349.
XI	d	Idib.	13	De Octavâ, *Semid. Commem.* sancti Eusebii, Vercellensis Episc. et Confessoris Christi: *c. an.* 370.
X	e	XVIII	14	Exaltatio S. Crucis, imperante Constantino, *an.* 326 *vel* 327; imperante Heraclio, *an.* 629; *Solemne-minus: Commem.* Octavæ.
IX	f	XVII	15	Octava Nativitatis et Festum Nominis B. M. V. *Dupl. maj. Commem.* sancti Arnulphi, Vapicensis Episc. *an.* 1063.
VIII	g	XVI	16	Cornelii, Papæ, ✪ et Cypriani, Carthag. Episc. ✪✪ Martyr. *Semid.* ✪ *an.* 252, ✪✪ *an.* 258. *Commem.* S. Euphemiæ, Chalcedonensis Virg. et Mart. *circa an.* 307.
VII	A	XV	17	Lamberti, Traject. Episc. et Mart. *Simpl. c. an.* 708.
VI	b	XIV	18	Joannis Chrysostomi, Constantinopolit. Episc. et Eccl. Doct. (*è* 14.) *Duplex-minus: an.* 407.
V	c	XIII	19	
IV	d	XII	20	
III	e	XI	21	Matthæi, Apost. et Evang. *Dupl. maj.* I *s.*
II	f	X	22	Mauricii et Socior. Agauni Mart. *Semid. an.* 286.
I	g	IX	23	Theclæ, Virgin. et Protomart. apud Iconium, *Semid. c. fin.* I *s.*
✪	A	VIII	24	Andochii, Presbyt. Thirsi Diac. Felicis, et ✪ Andeoli, Mart. *Simplex; circa an.* 178. ✪ 208.
XXIX	b	VII	25	Castoris, Aptensis Episc. *Dupl. min. an.* 431.
XXVIII	c	VI	26	Elzearii ✪, Comitis Ariani, ✪✪ et Delphinæ, uxoris, Virg. *Semid.* ✪ *an.* 1323. ✪✪ 1369.
XXVII	d	V	27	Cosmæ et Damiani, fratrum, Martyrum, *Semidupl. c. init.* IV *s.*
25. XXVI	e	IV	28	Exuperii, Tolosani Episcopi, *Simplex: c. an.* 416.

Dies Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXV. XXIV	f	III	29	¶ Dominicâ ultimâ Septembris celebratur Festum S. Michaelis, Archangeli, *Solemne-majus.* *Hoc Festum in Apulia sumpsit initium an.* 493 *vel* 536.
XXIII	g	Prid.	30	Hieronymi, Presbyt. et Ecclesiæ Doct. *Dupl. maj. an.* 420.

Sabbato ante Dominicam primam Octobris, celebratur Festum S. Raphaelis, Archangeli, et omnium Angelorum. *Duplex-majus.*

Si autem occurrat Festum Angelorum Custodum, omittitur hoc anno Officium sancti Raphaelis.

OCTOBER.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
				¶ Dominicâ primâ hujus mensis, fit Officium de SS. Rosario B. M. Virginis, *Duplex-majus.*
XXII	A	Cal.	1	Remigii, Remensis Episc. Francorum Apost. (*è* 13 *Januar.*) *Dupl. min. c. an.* 533. Translatio prima hâc die, *ante an.* 585.
XXI	b	VI	2	Angelorum Custodum, *Duplex-majus.* Instit. Paris. *an.* 1680, cum *Commem.* sancti Leodegarii, Augustod. Episc. et Mart. *an.* 678.
XX	c	V	3	Cypriani, Telonensis Episc. *Semiduplex; c. an.* 545. *Commem.* sancti Dionysii, Areopagitæ, primi Athenarum Episc. et Martyris, *circa an.* 95.
XIX	d	IV	4	Francisci Assisinatis in Umbriâ, Diac. et Instit. Ordin. Fratr. Minor. *Semid. an.* 1226.
XVIII	e	III	5	Trophimi, primi Arelatensis Episcopi, *Semid. aliis* I, *aliis* III *s. Commemor.* S. Fidis, Aginnensis Virg. et Martyr. *c. an.* 287 *vel* 290.
XVII	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Instit. Ordin. Carthusian. *Semiduplex: an.* 1101.
XVI	g	Non.	7	
XV	A	VIII	8	
XIV	h	VII	9	Dionysii, Primi Parisiorum Episcopi et Sociorum, Mart. *Dupl. min.* III *s.*
XIII	c	VI	10	Virgilii, Arelatensis Episcopi, *Semid. c. an.* 654.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
XII	d	V	11	Eusebiæ, Abbat. et Sociarum ejus, Virg. et Mart. *Semid.*
XI	e	IV	12	Verani, Vinciensis Ep. *Semid. c. an.* 480.
X	f	III	13	
IX	g	Prid.	14	Callisti, Papæ et Mart. *Simpl. an.* 223.
VIII	A	Idib.	15	Theresiæ, Abulensis Virg. Instauratricis Ord. Carmelitar. *Semid. an.* 1582.
VII	b	XVII	16	Rossolinæ, Virg. Carthusianæ, *Semid. an.* 1329.
VI	c	XVI	17	
V	d	XV	18	Lucæ, Evangelistæ, *Dupl. maj.* 1 s.
IV	e	XIV	19	
III	f	XIII	20	
II	g	XII	21	Ursulæ et Soc. ejus, Virg. et Mart. *Semid. an.* 450. *Commemor.* S. Hilarionis, Abbatis in Palæstina: *an.* 371.
I	A	XI	22	
☉	b	X	23	
XXIX	c	IX	24	
XXVIII	d	VIII	25	Crispini et Crispiniani, Fratrum, apud Suessiones Martyr. *Simplex: an.* 288.
XXVII	e	VII	26	
XXVI	f	VI	27	
25. XXV	g	V	28	Simonis et Judæ, Apost. *Dupl. maj.* 1 s.
XXIV	A	IV	29	Quintini, apud Viromanduenses Martyr. *Simplex: c. an.* 286.
XXIII	b	III	30	Leonis I, Papæ et Eccl. Doct. *Dupl. min. an.* 461.
XXII	c	Prid.	31	Vigilia Omnium Sanctorum *cum jejunio.*

NOVEMBER.

XXI	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Annuale-majus*, institut. *c. an.* 835.
XX	e	IV	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Solemne-minus:* instituta *an.* 998.
XIX	f	III	3	De Octava omnium Sanctorum, *Semid.*
XVIII	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediol. Episc. Card. (*è* 3.) *Duplex-min. an.* 1584.
XVII	A	Non.	5	De Octava omnium Sanctorum, *Semid.*
XVI	b	VIII	6	
XV	c	VII	7	
XIV	d	VI	8	Octava Omnium SS. et Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl. maj.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	
				Dominicâ post Octavam Omnium Sanctorum, fit DE ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ FOROJULIENSIS, et omnium Ecclesiarum per totam Diœcesim, *Annuale-minus*. (*Reperitur cum Octava, ad calcem Proprii SS. in parte Autumnali.*)
XIII	e	V	9	Theodori, Mart. *Simplex*.
XII	f	IV	10	Martini, Papæ et Mart. *Semid.* (*è* 16 *Sept.*) *an.* 655.
XI	g	III	11	Martini, Turonensis Episc. *Dupl. maj. an.* 397 *vel* 400.
X	A	Prid.	12	Armentarii, Antipolitani Episc. *Semid. c. med.* V *s.*
IX	b	Idib.	13	Mitrii, Aquensis, Martyr. *Semid.* II *vel* III *s. Commem.* S. Brictii, Turonensis Episc. *an.* 444.
VIII	c	XVIII	14	Stremonii, primi Arvernorum Episcopi, *Semiduplex*: (*è* 1.) III *s. Commemor.* S. Rufi, Avenionensis Episc. III *s.*
VII	d	XVII	15	Eucherii, Lugdunensis Episc. *Semid. c. med.* V *s.*
VI	e	XVI	16	
V	f	XV	17	Gregorii, Thaumaturgi, Neocæsareæ in Ponto Episc. *Semiduplex*: *c. an.* 270. *Commem.* S. Gregorii, Turonensis Episc. *an.* 595.
IV	g	XIV	81	
III	A	XIII	19	Elisabeth, Andreæ Hungar. Regis filiæ, tertii Ordin. S. Francisci, Viduæ, *Simplex*: *an.* 1231.
II	b	XII	20	Felicis Valesii, Presb. *Simpl. an.* 1212.
	c	XI	21	Præsentatio B. M. Virgin. *Dupl. maj. Commem.* sancti Columbani, Abbat. *an.* 615.
✱	d	X	22	Cæciliæ, Virgin. et Martyr. *Semid.* II *vel* III *s.*
✱XXIX	e	IX	23	Clementis, Papæ et Mart. *Semiduplex*: *an.* 100.
XXVIII	f	VIII	24	Chrysogoni, Romæ Martyris, *Simplex*: *an.* 304.
XXVII	g	VII	25	Catharinæ, Alexandrinæ Virg. et Mart. *Semidupl.*
25. XXVI	A	VI	26	Lini, Papæ et Mart. *Semid. c. an.* 78. *Commem.* S. Petri, Alexandrini Episc. et Mart. *an.* 311.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxv. xxiv	b	v	27	Maximini, Regiensis Episc. *Dupl. min. c. an.* 460.
xxiii	c	iv	28	Vitalis et Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *Simplex: an.* 303.
xxii	d	iii	29	Saturnini, primi Tolosani Episc. et Mart. *Semid. c. med.* iii *s.*
xxi	e	Prid.	30	Andreæ, Apostoli, *Dupl. maj.* i *s.* Dominicâ ultimâ post Pentecosten celebratur Festum S. LEONTII, FOROJULIENSIS EPISCOPI, ECCLESIAE CATHEDRAL. AC TOTIUS DIOECESIS PATRONI, *Annuale-majus: an. quibusdam* 432 *vel* 433; *aliis* 450; *cujus Officium cum* Octava ae Festo Omnium SS. Episcoporum et aliorum Ministror. Eccles. Forojul. *invenitur ad calcem Proprii SS. in parte autumnali.*

DECEMBER.

xx	g	Cal.	1	
xix	f	iv	2	Francisci Xaverii, Presbyt. Indiarum Apost. *Dupl. min. an.* 1552.
xviii	A	iii	3	Pètri Chrysologi, Ravennensis Episc. et Eccl. Doct. *Commem. c. an.* 457.
xvii	b	Prid.	4	Barbaræ, Virg. et Mart. *Commem.* iii *vel* iv *s.*
xvi	c	viii	5	
xv	d	vii	6	
xiv	e	vii	7	
xiii	f	vi	8	CONCEPTIO Beatæ Mariæ Virg. *Solemne-majus.*
xii	g	v	9	Nicolai, Myrensis in Lycia Episc. *Semid. c. an.* 320. *Commem.* Octavæ Conceptionis.
xi	A	iv	10	De Octava Conceptionis, *Semid.*
x	b	iii	11	Damasi, Papæ, *Semiduplex: an.* 384; *Commem.* Octavæ Conceptionis.
ix	c	Prid.	12	Pauli, primi Narbonensis Episcopi, *Semiduplex:* iii *s. Commem.* Octavæ.
viii	d	Idib.	13	Luciæ, Syracusanæ Virg. et Mart. *Semid. an.* 304; *commem.* Octavæ.
vii	e	xix	14	De Octava, *Semid.* (post nonam nihil fit amplius de Octava.)

Cycl. Epactæ.	Lit. Dom.	Dies Menis.		
VI	f	XVIII	15	Expectatio Partûs Beatæ Mariæ Virg. *Dupl. maj.* I s.
V	g	XVII	16	
IV	A	XVI	17	
III	b	XV	18	Gatiani, primi Turonensis Episc. *Commem.* III s.
II	c	XIV	19	
I	d	XIII	20	
✪	e	XII	21	Thomæ, Apostoli, *Dupl. maj.* I s.
XXIX	f	XI	22	
XXVIII	g	X	23	
XXVII	A	IX	24	Vigilia cum jejunio.
XXVI	b	VIII	25	NATALE DOMINI, *Annuale-majus.*
25. XXV	c	VII	26	STEPHANI, DIACONI ET PROTOMARTYRIS, *Solemne-min. an.* 33. *Commem.* Octavæ Natalis Domini.
XXIV	d	VI	27	JOANNIS, APOST. ET EVANG. *Dupl. maj. an.* 100 *vel* 104. *Commem.* Octavar. Nat. Domini (ac in Cath.) S. Stephani.
XXIII	e	V	28	Innocentium Martyrum, *Duplex-majus: Commem.* Octavarum Natalis Domini (*in Cathedr.* S. Stephani.)
XXII	f	IV	29	De Octava Natalis Domini, *Semiduplex*: (*In Cathedr. Commem.* Octavæ sancti Stephani.)
XXI	g	III	30	
19. XX	A	Prid.	31	

* Hæc Epacta 19 nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero XIX.

ANNONCIATION

PSALTERIUM

DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.

PARS ÆSTIVA.

DOMINICA.

Ob creatam Lucem, Christi Resurrectionem, novæque Legis promulgationem, cultu sempiterno celebranda.

OFFICII FINIS,

Dei et divinæ Legis Amor.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Quomodo inchoandum et ordinandum sit Officium Nocturnum sicut et cæteræ Horæ, habetur in Ordinario Breviarii ad calcem Psalterii, p. 149.

INVITATORIUM.

Dominum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Repet. Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Deindè dicitur Ps. Veníte, *ut habetur in Ordinario Breviarii.*

HYMNUS.

Die diérum príncipe
Lux è tenébris éruta :
Christus sepulcri cárcere,
Lux vera mundi, pródiit.

Et mors, et horrendum chaos
Vocem jubentis áudiunt :
Nos surdióres, ô pudor !
Deo pigébit óbsequi ?

Umbris sepulta dum stupet
Natúra, lucis fílii
Surgámus, et noctem piis
Exerceámus cánticis.

Legem, Prophétas, et sacro
Psalmos calentes lúmine,
Profána dum silent loca,
Divína templa pérsonent.

Cœlestis hæc vincat tuba
Cordis sopórem lánguidi,
Novíque mores éxprimant
Vitam resurgentis novam.

Hoc consequémur, te duce,
Fons caritátis, ô Deus,

Qui legis addis lítteræ
Vitæ datórem spíritum.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ígnibus.
Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 3. a. Beátus vir.

*Asteriscus hic * notat mediationem et pausam.*

PSALMUS I.

Beatus vir qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit;

Sed in lege Dómini voluntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decursus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet; * et ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et *Spirítui sancto:*

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sécula seculórum. Amen.

Hi versus Glória Patri *et* Sicut erat *dicuntur in fine Psalmorum, Divisionum et Canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, sed in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

Ant. 4. f. Servíte Dómino.

PSALMUS 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt ináni a?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, et adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * et projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me; et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, *

et tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre:

Apprehéndite disciplínam, * nequando irascátur Dóminus, et pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino, et exultáte ei: apprehéndite disciplínam.

Ant. 8. *G.* Dicunt.

PSALMUS 3.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me: * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum; * et exurrexi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, * dentes *peccatórum contrivísti.*

Dómini est salus; * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus; tu autem, Dómine, susceptor meus es.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; ℟. Et custodívi legem tuam. *Ps.* 118.

Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur secretò: Pater, *deindè Absolut. et Benedict. ut habentur in Ordinario Breviarii.*

Lectiones cum Responsoriis ut in Proprio.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 6. F. Díligam te Dómine.

PSALMUS 17.

DILIGAM te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protector meus, et cornu salútis meæ, * et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invo-

cávi Dóminum,* et ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * et clamor meus in conspectu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est et contrémuit terra: fundamenta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt;* quóniam irátus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis à fácie ejus exarsit: * carbónes succensi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, et descendit: * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascendit super Chérubim, et volávit: * volávit super pénnas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum: in circúitu ejus tabernáculum ejus; * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt: * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: * grando et carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundamenta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: firmamentum meum, et refúgium meum. *Ps.* 17.

Ant. 4. *D.* Ero immaculátus.

DIVISIO PSALMI 17.

Misit de summo (Dóminus,) et accépit me, * et assumpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui odérunt me; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * et factus est Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * et secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi;

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo, * et justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * et secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocente innocens eris:

Et cum electo electus eris, * et cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Ero immaculátus cum Deo meo, et observábo me ab iniquitáte mea. *Ps.* 17.

Ant. 7. a. Déxtera tua.

ALTERA DIVISIO PSAL. 17.

Deus meus, impolluta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protector est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * et pósuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * et super excelsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * et posuisti ut arcum æreum brachia mea;

Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ; * et déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua correxit me in finem, * *et disciplina tua ipsa me docébit.*

Dilatasti gressus meos subtus me, * et non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, et comprehendam illos; * et non convertar, donec defíciant.

Confringam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtúte ad bellum; * et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimícos meos dedisti mihi dorsum, * et odientes me disperdidisti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi: * fílii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedictus Deus meus; * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, * et fáciens misericórdiam christo suo David, et sémini ejus usque in sécu-lum.

Ant. Déxtera tua suscépit me, Dómine; et disciplína tua ipsa me docébit. *Ps.* 17.

℣. Legem tuam, Dómine, non sum oblítus; ℟. Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi. *Ps.* 118.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. In Deo.

PSALMUS 27.

Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me; * nequando táceas à me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dùm oro ad te, * dùm extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum, * et secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protector meus: * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea; * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * et protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ; * et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Ant. In Deo sperávit cor meum, et adjútus sum; et ex voluntáte mea confitébor ei *Ps.* 27.

Ant. 1. D. Psállite.

PSALMUS 29.

Exaltabo te, Dómine, quóniam suscepisti me, * nec delectasti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanasti me.

Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti

ejus, * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitisti decóri meo virtútem:

Avertisti fáciem tuam à me; * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo; * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dùm descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misertus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, et non compungar: * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Ant. Psállite Dómino, sancti ejus, et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Ant. 5. a. Veníte.

PSALMUS 65.

Jubilate Deo, omnis terra; psalmum dícite nómini ejus: * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi; * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in æternum; óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum; * et audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

Induxisti nos in láqueum, posuisti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuisti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam; * et eduxisti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea,

Quæ distinxérunt lábia mea, et locútum est os

meum * in tribulatióne mea.

Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso ariétum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit Deus, * et attendit voci deprecatiónis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam à me.

Ant. Veníte, audíte, et narrábo quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

℣. Deum exquisívi mánibus meis nocte contra eum, ℟. Et non sum deceptus. *Ps.* 76.

Pater noster.

Post ultimum Responsorium dicitur Te Deum, *si dicendum sit, ut in Ordin. Brev.*

℣. *Sacerd.* Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Si non continuò sequantur Laudes, observantur quæ notantur in Ordin. Breviarii.

AD LAUDES.

Ant. 8. *G.* Deus.

PSALMUS 62.

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, quàm multiplíciter tibi caro mea * in terra deserta, et ínvia, et inaquósa.

Sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est miseri córdia tua super vitas, * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea, * et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutínis meditábor in te :

Quia fuisti adjútor meus, * et in velamento alárum tuárum exultábo.

Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, * introíbunt in inferióra terræ :

Tradentur in manus gládii, * partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo; * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Ant. Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo : sitívit in te ánima mea.

Ant. 1 a. Testimónia.

PSALMUS 92.

Dominus regnávit, decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc : * à século tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine : * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Testimónia tua, Dómine, credibília facta sunt nimis.

Ant. 5. C. Servíte Dómino.

PSALMUS 99.

Jubilate Deo, omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, * quóniam suávis est Dóminus.

In æternum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Ant. Servíte Dómino in lætítia : scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus.

Ant. E. 4. Benedictus es.

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

(Dan. 3.)

Benedicite, ómnia ópera Dómini, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino : * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino : * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino : * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino : * benedícite frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino : * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino : * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexaltet eum in sécula.

Benedícite, montes et colles, Dómino : * benedícite, universa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete et ómnia quæ moventur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : * benedícite fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israel Dóminum : * laudet et superexaltet eum in sécula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino : * benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaria, Mísael, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sécula.

Hic, loco Glória Patri, *dicitur :*

Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli ; * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula.

Ant. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui ; et superlaudábilis, et superexaltátus in sécula.

Ant. 7. *d.* Hymnus.

PSALMUS 148.

Laudate Dóminum, de cœlis : * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum : * et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini ;

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in æternum, et in séculum séculi : * præceptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra ; * dracónes, et omnes abyssi ;

Ignis, grando, nix, gláciés, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus ;

Montes, et omnes colles ; * ligna fructífera, et omnes cedri ;

Béstiæ et universa pécora ; * serpentes, et vólucres pennátæ ;

Reges terræ, et omnes pópuli ; * príncipes, et omnes júdices terræ ;

Júvenes et vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum et terram ; * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi

Ant. Hymnus ómnibus sanctis ejus, fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

Capitulum. (*Deut.* 6.)

AUDI, Israel : Dóminus Deus noster ; Dóminus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota fortitúdine tua ; eruntque verba hæc in corde tuo : et meditáberis in eis sedens in domo tua, et ámbulans in itínere, dórmiens atque consurgens. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

HYMNUS.

AD templa nos rursùs vocat
Surgentis auróræ nitor,
Novasque pro læto monet
Referre grates múnere.
AT victor auróram suo
Fulgóre Christus óbruit :
Huic, magna cujus pars sumus,
Juvat triumpho pláudere.
QUOD evolútus fásciis
Repentè mundus éxtitit,
Puro renídens lúmine,
Virtútis hoc quantæ fuit !
QUOD tráditum neci Pater,
Ut sóntibus vitam daret,
Vitæ redónat Fílium,
Amóris hoc quanti fuit !
ÆTERNUS ut rerum Sator
Aspexit orbem, prótinus,
Colóre depictum suo,
Probávit excellens opus.
AT lætius quantò óbtulit
Sese Patri spectáculum
Cœlestis Agni cándid
Ablútus orbis sánguine !
CUM luce nobis rédditur
Mundi renascentis decor,
Occulta per quem Núminis
Mens surgit ad magnália.
AT splendor æterni Patris,
Lumenque Christus córdium,
Deum dat in se, quantus est,
Sub nube carnis cérnere.
PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut legis ad facem tuæ
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Mane astábo tibi Dómine, ℟. Et vidébo quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5.

Antiphona, ut in Proprio.

Canticum Benedictus, *etc ut in Ord. Brev.*

Collecta ut in Proprio.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. In toto corde.

PSALMUS 117.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne inv cávi Dóminum, * et exaudivit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor, * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor, * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem; * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis et salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vívam, * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus, * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ: * *ingressus in eas, confitébor Dómino.*

Hæc porta Dómini; * justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudisti me, * et factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus: * exultémus et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, bene prosperáre: * benedictus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, et illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi: * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudisti me, * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

Beati immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandasti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas!

Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis; * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam; * non me derelinquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abscondi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non obliviscar sermónes tuos.

DIVISIO PSALMI 118.

RETRIBUE servo tuo, vivífica me; * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra; * non abscondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpasti superbos: * maledicti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium et contemptum; * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et adversùm me loquebantur; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est, * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit pavimento ánima mea: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudisti me: * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me; * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi; * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilatasti cor meum.

Quando fit Officium de Dominica, nisi aliter notetur, dicitur hic sequens

SYMBOLUM.

QUICUMQUE vult salvus esse,* ante ómnia opus est ut téneat cathólicam fidem :

Quam nisi quisque íntegram inviolatamque servá-verit,* absque dúbio in æternum perîbit.

Fides autem cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte venerémur ;

Neque confundentes persónas, * neque substántiam separantes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Fílius,* talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Fílius, * immensus Spíritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Fílius, * æternus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, * sed unus æternus.

Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus, et unus immensus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius,* omnípotens Spíritus sanctus ;

Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus ;

Et tamen non tres dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus ;

Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur ; * ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus,* nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre et Fílio,* non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Fílius, non tres Fílii : * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus ; * sed totæ tres persónæ coæternæ sibi sunt et coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * et Unitas in Trinitáte, et Trínitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse,* ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad æternam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * et homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex ánima rationáli, et humána carne subsistens.

Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem,* sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno, non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo; * ità Deus et homo unus est Christus,

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad ínferos, * tértià die resurrexit à mórtuis:

Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis, * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, íbunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

Ant. In toto corde meo exquisívi te, Dómine: doce me justificatiónes tuas. *Ps.* 118.

Capitulum, et cætera ut habentur in Ordinario Brev.

AD TERTIAM.

Ant. 6. *C.* Da mihi.

EX PSALMO 118.

LEGEM pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; * et exquíram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutábor legem tuam; * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * et non in avarítiam.

Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus

sum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me;

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum secundùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in séculum, et in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * et exercébar in justificatiónibus tuis.

DIVISIO PSALMI 118.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Superbi iníquè agébant usquequáque : * à lege autem tua non declinávi.

Mêmor fui judiciórum tuórum à século, Dómine; * et consolátus sum.

Defféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo : * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * et converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me; * et legem tuam non sum oblítus.

Médià nocte surgébam ad confitendum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdià tuâ, Dómine, plena est terra : * justificatiónes tuas doce me.

DIVISIO PSALMI 118.

BONITATEM fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, et disciplí-

nam, et sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi

Priusquàm humiliárer, ego delíqui : * proptéreà elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu ; * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum : * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me; * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri et argenti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me : * da mihi intellectum, et discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, et lætabuntur; * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * et in veritáte tua humiliasti me.

Fiat misericórdia tua, ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Da mihi intellectum, et scrutábor legem tuam, Dómine.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

In hoc scimus quóniam cognóvimus Deum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est, et in hoc véritas non est : qui autem servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Averte óculos meos, ne vídeant vanitatem : * in via tua vivífica me, * In testimónia tua. Glória Patri. Inclína.

℣. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum; ℟. Quia ipsam vólui. *Ps.* 118.

Collecta conveniens.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Inclinávi.

EX PSALMO 118.

Defecit in salutáre tuum ánima mea, * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes : Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fábulatiónes; * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua, véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, * et custódiam testimónia oris tui.

In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua: * fundasti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periissem in humilitáte mea.

In æternum non obliviscar justificatiónes tuas; * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, * salvum me fac; quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intellexi.

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

DIVISIO PSALMI 118.

QUOMODO dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudentem me fecisti mandáto tuo; * quia in æternum mihi est.

Super omnès docentes me intellexi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos; * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi et státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper; * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi; * et de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum; * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

DIVISIO PSALMI 118.

INIQUOS ódio hábui, * et legem tuam dilexi.

Adjútor et susceptor meus es tu; * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me, maligni; * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, et vivam; * et non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero; * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis, * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ: * ídeò dilexi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas: * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * et ín elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò dilexi mandáta tua * super aurum et topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum.

Capitulum. (1. *Joan.* 5.)

HÆC est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus; et mandáta ejus grávia non sunt.

℟. *br.* Testimónia tua intellexi, Dómine: * Latum mandátum tuum nimis. Testimónia. ℣. Omnis consummatiónis * vidi finem: * Latum. Glória Patri. Testimónia tua.

℣. Dilexi mandáta tua super aurum et topázion: ℟. Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar. *Ps.* 118.

Collecta conveniens.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Omnia.

EX PSALMO 118.

MIRABILIA testimónia tua; * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * et intellectum dat párvulis.

Os meum apérui, et attraxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secun-

dùm elóquium tuum; * et non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiâm mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * et rectum judícium tuum.

Mandasti justítiam testimónia tua, * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * et servus tuus dilexit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contemptus: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in æternum; * et lex tua véritas.

Tribulátio et angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in æternum: * intellectum da mihi, et vivam.

DIVISIO PSALMI 118.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac; * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi; * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine; * et secundùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti: * à lege autem tua longè facti sunt.

Propè es tu, Dómine; * et omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis; * quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me: * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus; * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * secundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequuntur me, et tribulant me: * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricantes, et tabescébam; * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas: * in æternum ómnia judícia justítiæ tuæ.

VISIO PSALMI 118.

PRINCIPES persecúti sunt me gratìs; * et à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum: * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi tibi * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam; * et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine; * et mandáta tua dilexi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * et dilexit ea vehementer.

Servávi mandáta tua et testimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo: * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua, æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine; * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te; * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Omnia mandáta tua æquitas: pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

FINIS præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntià bonà, et fide non fictà.

℟. *br.* Omnes viæ meæ * In conspectu tuo, Dómine. Omnes. ℣. Servávi mandáta tua, * et testimónia tua, * In conspectu. Glória Patri. Omnes.

℣. Custodívit ánima mea testimónia tua, ℟. Et dilexit ea vehementer. *Ps.* 118.

Collecta conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 7. *c.* Dixit Dóminus.

PSALMUS 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas ; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet : * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis.

Ant. 4. d. Fidélia.

PSALMUS 110.

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo ;

Ut det illis hæreditátem géntium : * ópera mánuum ejus, véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Ant. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi.

Ant. 1. *f.* Qui timet Dóminum.

PSALMUS 111.

Beatus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo ejus ; * et justítia ejus manet in séculum séculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis ; * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucundus homo, qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício ; * quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispersit, dedit paupéribus, * justítia ejus manet in

séculum séculi : cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur; déntibus suis fremet, et tabescet : * desidérium peccatórum perìbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus volet nimis.

Ant. 7. ç. Sit nomen Dómini.

PSALMUS 112.

Laudate, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc et usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans à terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem;

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Ant. Sit nomen Dómini benedictum, ex hoc nunc et usque in séculum.

Ant. 1. A. Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

In éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de populo bárbaro;

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis conversus est retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugisti? * et tu, Jordánis, quia conversus es retrorsùm?

Montes, exultastis sicut aríetes? * et colles, sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convertit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super misericórdia tua et veritáte tua;

Nequando dicant gentes : * Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo : * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum et aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt; pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fá-

ciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protector eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protector eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum et protector eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * et benedixit nobis.

Benedixit dómui Israel : * benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos et super fílios vestros.

Benedicti vos à Dómino : * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. (*Ephes.* I.)

Benedictus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte.

HYMNUS.

O luce qui mortálibus
Lates inaccessâ, Deus !
Præsente quo sancti tremunt
Nubuntque vultus Angeli :
Hic, ceu profundâ cónditi
Demérgimur calígine :
Æternus at noctem suo
Fulgóre depellet dies.
Hunc nempe nobis præparas,
Nobis reservas hunc diem,
Quem vix adumbrat spléndida
Flammantis astri cláritas.
Moraris, heu ! nimis diu
Moráris, optátus dies :
Ut te fruámur nóxii
Linquenda moles córporis.
His cùm solúta vínculis
Mens evolárit, ô Deus ;
Vidére te, laudáre te,
Amáre te non désinet.
Ad omne nos apta bonum,
Fecunda donis Trínitas :
Fac lucis usúræ brevi
Æterna succédat dies.
Amen.

℣. In Deo laudábimur totâ die; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

Antiphona et Collecta ut in Proprio.

Canticum Magníficat, *ut in Ord. Brev.*

Collecta, ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, *etc. ut in Ord. Breo.*

Ant. 8. G. Scuto.

PSALMUS 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatasti mihi.

Miserére meî, * et exaudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequò gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino : * multi dicunt, Quis ostendit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine : * dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idipsum dórmiam, * et requiescam ;

Quóniam tu, Dómine, * singuláriter in spe constituisti me.

PSALMUS 90.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Susceptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum ;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi ; * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis à timóre nocturno.

A sagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris, * ab incursu, et dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, et decem míllia à dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, tu es, Dómine, spes mea ; * altíssimum posuisti refúgium tuum :

Non accédet ad te malum, * et flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum

Super áspidem et basiliscum ambulábis, * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, * et ego exáudiam eum.

Cum ipso sum in tribulatióne : * erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * et ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri;

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Scuto circumdábit te véritas ejus : non timébis à timóre nocturno. *Ps.* 90.

Hymnus, etc. habentur in Ordinario Breviarii.

FERIA SECUNDA.

OFFICII FINIS,

Magnifici in suis operibus Creatoris, erga homines caritas ac beneficientia celebratur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Venite, exultémus Dómino : * Jubilémus Deo salutári nostro.

Continuatur Ps. 94. Præoccupémus, *ut in Ordinario Breviarii.*

HYMNUS.

Dei canámus glóriam,
Cœlum secundo qui die
Expandit, admirábile
Mortálibus spectáculum.
Poli stupémus álveo
Stagnáre pénsiles lacus :
Hinc imbre terras fértili
Cœlestis irrórat Pater.
Quam præparas nobis, Deus,
Est hæc imágo grátiæ :
Hæc rore stillans úberi
Cordis pénetrat íntima.
Hanc qui fidéli cómbibunt
Aquam salúbrem péctore,
In his ad æternas domos
Miro resultat ímpetu.
Beata gens, quam pródigâ
Ditáre non cessas manu !
Amóris hæc memor tui,
Amóris et reddat vices.
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

In Feriis, et aliis Officiis trium Lectionum, dicuntur pro unico Nocturno novem Psal-

mi ad unamquamque Feriam positi, sub una duntaxat Antiphona post singulos tres Psalmos. In festis verò novem Lectionum, post quemlibet Psalmum, unaquæque Antiphona dicitur, vel de Proprio, vel de Communi.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 4. d. Omnia.

PSALMUS 103.

Benedic, ánima mea, Dómino : * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confessiónem et decórem induisti, * amictus lúmine sicut vestimento ;

Extendens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum ; * qui ámbulas super pennas ventórum ;

Qui facis Angelos tuos spíritus, * et ministros tuos ignem urentem ;

Qui fundasti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in séculum séculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus ; * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient ; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

Términum posuisti, quem non transgredientur ; * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cœli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum jumentis, * et herbam servitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra, * et vinum lætíficet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo, * et panis cor hóminis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, * et cedri Líbani quas plantávit.

Illic pásseres nidificábunt : * heródii domus dux est eórum.

Montes excelsi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuisti ténebras, et facta est nox ; * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ :

Cátuli leónum rugientes, * ut rápiant, et quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt ; * et in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus

suum, * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

DIVISIO PSALMI 103.

QUAM magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecisti; impléta est terra possessióne tuâ.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus: * illìc reptília, quorum non est númerus, animália pusilla cum magnis.

Illìc naves pertransíbunt: * draco iste quem formasti ad illudendum ei.

Omnia à te expectant, * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabuntur: * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, et creabuntur; * et renovábis fáciem terræ.

ALTERA DIVISIO PSALMI 103.

SIT glória Dómini in séculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis;

Qui réspicit terram, et facit eam trémere; * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, et iníqui, ita ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Omnia in sapiéntia fecisti, Dómine: impléta est terra possessióne tuâ.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Mementóte.

PSALMUS 104.

CONFITEMINI Dómino, et invocáte nómen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini: * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus, * fílii Jacob electi ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in universa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod dispósuit ad Abraham; * et juramenti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præceptum, * et Israel in testamentum æternum;

Dicens: Tibi dabo terram

Chánaan * funículum hæreditátis vestræ;

Cùm essent número brevi, paucíssimi, * et íncolæ ejus.

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis, * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos, * et in prophétis meis nolíte malignári.

DIVISIO PSALMI 104. Et

VOCAVIT [Dóminus] famem super terram, * et omne firmamentum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: * ferrum pertránsiit ánimam ejus.

Donec veníret verbum ejus, * elóquium Dómini inflammávit eum.

Misit rex, et solvit eum; * princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * et príncipem omnis possessiónis suæ;

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum; * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum vehementer, * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convertit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * et dolum fácerent in servos ejus.

ALTERA DIVISIO PSALMI 104.

MISIT [Dóminus] Móysen servum suum, * Aáron quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscurávit; * et non exacerbávit sermónes suos.

Convertit aquas eórum in sánguinem, * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit; et venit cœnomyía, et cínifes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terra ipsórum.

Et percussit víneas eórum, et ficúlneas eórum; * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit; et venit locusta et bruchus, * cujus non erat númerus:

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percussit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et eduxit eos cum argento et auro; * et non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia

incúbuit timor eórum super eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit coturnix; * et pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et eduxit pópulum suum in exultatióne, * et electos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium: * et labóres populórum possedérunt;

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ant Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, prodígia ejus, et judícia oris ejus.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 1. *a.* Vísita nos.

PSALMUS 105.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Memento nostrî, Dómine, *in beneplácito* pópuli tui: * *vísita nos in salutári* tuo,

Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

DIVISIO PSALMI 105.

PECCAVIMUS cum pátribus nostris: * injustè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum, * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit mare rubrum, et exsiccátum est: * et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.

Et salvávit eos de manu odiéntium, * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulantes eos: * unus ex eis non remansit.

Et credidérunt verbis ejus, * et laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus, * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto, * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in

castris, * Aáron sanctum Dómini.

Aperta est terra, et deglutívit Dathan, * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exarsit ignis in synagóga eórum; * flamma combussit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * et adoravérunt scúlptile;

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vituli comedentis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, si non Móyses electus ejus stetisset in confractióne, in conspectu ejus, * ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos.

Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem: * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in deserto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor, * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis; * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit; * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempiternum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * et vexátus est Móyses propter eos,

Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * et distinxit in lábiis suis.

ALTERA DIVISIO PSALMI 105.

Non disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, * et didicérunt ópera eórum.

Et serviérunt sculptílibus eórum; * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suòs * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocentem, * sánguinem filiórum suórum, et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum; * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, * et abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium; * et dominati sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * et humiliáti sunt sub mánibus eórum.

Sæpè liberávit eos : * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cùm tribularentur; * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testamenti sui, * et pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster; * et cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * et gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in séculum; * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Ant. Vísita nos in salutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte electórum tuórum.

℣. Expandit nubem in protectiónem eórum, ℟. Et ignem ut lucéret eis per noctem. *Ps.* 104.

Post Versiculum dicitur : Pater, *deindè Absolutio et Benedictiones ut habentur in Ordinario Breviarii. Lectiones cum* ℟℟℟. *habentur in Proprio de Tempore; et sic in sequentibus Feriis.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis.*

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo : ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium, *etc. ut in Ord. Brev. et sic in aliis Feriis.*

Ant. 5. a. Bonum est.

PSALMUS 91.

Bonum est confitéri Dómino, * et psállere nómini tuo, Altíssime,

Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, * et veritátem tuam per noctem,

In decachordo psaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectasti me, Dómine, in factúra tua, * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profundæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognoscet, * et stultus non intélliget hæc.

Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fœnum, et apparúerint omnes qui operantur iniquitátem; * ut intéreant in séculum séculi :

Tu autem Altíssimus * in æternum, Dómine;

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * et dispergentur omnes qui operantur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum, * et senectus mea in misericórdia úberi.

Et despexit óculus meus inimícos meos, * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit:* sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini,* in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi, * et bene patientes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noster, * et non est iníquitas in eo.

Ant. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiandum mane misericórdiam tuam.

Ant. 8. d. Bonus Dóminus.

PSALMUS 135.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum,* quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna solus,* quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intellectu, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui firmávit terram super aquas, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui fecit luminária magna, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Solem in potestátem diéi,* quóniam in æternum misericórdia ejus;

Lunam et stellas in potestátem noctis, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Ant. Bonus Dóminus: in æternum misericórdia ejus.

Ant. 4. a. Dóminus.

DIVISIO PSALMI 135.

[CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;]

Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui eduxit Israel de médio eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

In manu potenti, et bráchio excelso, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui divísit mare Rubrum in divisiónes, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et eduxit Israel per médium ejus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et excussit Pharaónem et virtútem ejus in mari Rubro, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui traduxit pópulum suum per desertum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui percussit reges ma-

gnos, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et occídit reges fortes, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et Og regem Basan, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Hæreditátem Israel servo suo, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et redémit nos ab inimícis nostris, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui dat escam omni carni, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Ant. Dóminus in humilitáte nostra memor fuit nostrî, et redémit nos ab inimícis nostris.

Quando fit Officium de Feria, dicitur Canticum sequens.

Ant. 7. d. Quis símilis tuî.

CANTICUM MOYSI

(Exod. 15.)

Cantemus Dómino; gloriósè enim magnificátus est: * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, et glorificábo eum: * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor *: Omnípotens, nomen éjus.

Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare: * electi príncipes éjus submersi sunt in mari Rubro.

Abyssi operuérunt eos: * descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: * déxtera tua, Dómine, percussit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos: * misisti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam.

Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ: * stetit unda fluens, congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dxit inimícus: Pérsequar, et comprehendam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare: * submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendisti manum tuam, * et devorávit eos terra.

Dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti, * et portasti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom; robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor: * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quasi lapis.

Donec pertránseat pópulus tuus, Dómine; * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedisti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in æternum et ultrà.

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare; * et reduxit *super eos Dóminus aquas maris.*

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Quis símilis tuî, Dómine? magníficus in sanctitáte, fáciens mirabilia.

[*In Festis Sanctorum, loco superioris Cantici, dicitur sequens*

CANTICUM.

(Eccli. 39.)

Collaudate cánticum, * et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis;

Et sic dicétis in confessióne: * Opera Dómini universa bona valdè.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * et in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcepto ipsíus placor fit, * et non est minorátio in salúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * et non est quidquam abscónditum ab óculis ejus.

A século usque in séculum réspicit, * et nihil est mirábile in conspectu ejus.]

Ant. 1. g. Laudáte Dóminum.

PSALMUS 134.

Laudate nomen Dómini; * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómi-

ni, * in átriis domûs Dei nostri,

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus, * psállite nómini ejus, quóniam suáve;

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, * in cœlo, et in terra, in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa et prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, et in omnes servos ejus;

Qui percussit gentes multas, * et occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israel pópulo suo.

Dómine, nomen tuum ín æternum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum et aurum: * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur: * óculos habent, et non vidébunt:

Aures habent, et non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel, benedícite Dómino: * domus Aáron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Laudáte Dóminum, psállite nómini ejus; quóniam elégit Israel in possessiónem sibi.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Ego diligentes me díligo; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

HYMNUS.

Nil láudibus nostris eges,
Sed fílios amas, Pater;
Multâque cœlestem prece
Vis provocári grátiam.

Tui profunda cónsilî
Noctis canat siléntium:
Tuæ jubar cleméntiæ
Splendor diéi prædicat.

Tantis minor miráculis
Mens óbstupet, vox défícit:
Tacére sed totis nequit
Amor medullis æstuans.

Erumpat ergo : te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mítigas,
Spondes futúri præmia
Huc vota tendunt córdium;
Infirma sed tardat caro;
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse Jesu, sémitam.
Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ, Dómine; ℟. Et exultávimus, et delectáti sumus. *Ps.* 89.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Benedictus Dóminus Deus Israel; quia visitávit, et fecit redemptiónem plébis suæ. *Luc.* 1.

Preces, quando dicuntur, et Suffragia, habentur in Ordinario Breviarii. Collecta, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti; et sic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, *etc. ut in Ord. Brev. et sic in aliis Horis.*

Ant. 8. G. Quid est homo.

PSALMUS 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas *inimícum et ultórem.*

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam et stellas, quæ tu fundasti:

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ et honóre coronasti eum, * et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, ínsuper et pécora campi,

Vólucres cœli, * et pisces maris qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 76.

Voce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * et non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea: * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum; et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos; * et annos æternos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * et exercì-

táhar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

DIVISIO PSALMI 76.

MEMOR fui óperum Dómini, * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: * quis Deus magnus sicut Deus noster?

Tu es Deus qui facis mirabília, * notam fecisti in pópulis virtútem tuam:

Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, * fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt; * et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum, * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tránseunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes *tuæ orbi terræ:* * commóta *est et contrémuit* terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis; * et vestígia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi et Aaron.

Ant. Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus? aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

Capitulum, ℣. *breve, et Preces, quando dicuntur, habentur in Ord. Brev. et sic in aliis Feriis.*

AD TERTIAM.

Ant. 7. ç. Tóllite hóstias.

PSALMUS 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubescam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui totà die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ, * et ignoréntias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, *

propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini, misericórdia et véritas * requiréntibus testamentum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

DIVISIO PSALMI 24.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * et semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * et testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére meî; * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum, * et dimitte universa delicta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi *ánimam meam et* érue me : * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes et recti adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

Cantate Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus,

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspectu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam et honórem : * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem

terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, et exultet terra; commoveátur mare et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Tóllite hóstias, et adoráte Dóminum : étenim correxit orbem terræ. *Ps.* 95.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Estote imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi; et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus dilexit nos, et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Quid retríbuam? ℣. Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus, * Pro ómnibus. Glória Patri. Quid retríbuam?

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Preces, si dicendæ sint, habentur in Ordinario Breviarii.

Collecta conveniens.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Elégit.

PSALMUS 46.

Omnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excelsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam dilexit.

Ascendit Deus in júbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus, * psállite sapienter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti sunt.

PSALMUS 97.

Cantate Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, * in cíthara, et voce psalmi,

In tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ : * jubiláte in conspectu regis Dómini.

Moveátur mare, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini ; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

Dominus regnávit, irascantur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * et excelsus super omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile et sanctum est ; * et honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus; * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus, * et Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ípse exaudiébat eos : * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus ; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Elégit nobis hæreditátem suam quam dilexit Dóminus. *Ps.* 46.

Capitulum. (*Rom.* 8.)

Spiritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi.

℟. *br.* Confiteantur Dómino * Misericórdiæ ejus. Confiteantur. ℣. Et mirabília ejus * fíliis hóminum : * Misericórdiæ. Glória Patri. Confiteantur. *Ps.* 106.

℣. Quómodo miserétur pater filiórum, misertus est Dóminus timéntibus se : ℟. Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum. *Ps.* 102.

Preces, si dicendæ sint, habentur in Ordinario Brev.

Collecta conveniens.

4.

AD NONAM.

Ant. 7. ç. In voluntáte tua.

PSALMUS 52.

Dixit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupti sunt et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis ?

Deum non invocavérunt: * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel ? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 72.

Quam bonus Israel Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respectus morti eórum, * et firmamentum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabuntur.

Ideò ténuit eos supérbia: * operti sunt iniquitáte et impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum: * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * et lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc, * et dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt : Quómodò scit Deus? * et, Si est sciéntia in Excelso ?

Ecce ipsi peccatóres, et abundantes in século, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocentes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam, Narrábo sic, * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc: * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter do-

los posuisti eis : * dejecisti eos, dùm allevarentur.

Quómodò facti sunt in desolatiónem ! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt; * et ego ad níhilum redactus sum, et nescívi.

Ut jumentum factus sum apud te; * et ego semper tecum.

DIVISIO PSALMI 72.

TENUISTI [Dómine] manum déxteram meam, et in voluntáte tua deduxisti me, * et cum glória sucepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo ? * et à te quid vólui super terram ?

Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.

Quia ecce qui elongant se à te, perìbunt : * perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

Ut annántiem omnes prædicatiónes tuas * in portis filiæ Sion:

Ant. In voluntáte tua deduxisti me, Dómine, et cum glória *suscepisti me. Ps.* 72.

Capitulum. (2. *Thess.* 1.)

DIGNETUR vos vocatióne suâ Deus noster, et ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fídei in virtúte; ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam; * Quia Deus meus es tu. Doce. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me; * Quia. Glória Patri. Doce. *Ps.* 142.

℣. In Deo salutáre meum, et glória mea : ℟. Deus auxílii mei; et spes mea in Deo est. *Ps.* 61.

Preces, si dicendæ sint, habentur in Ord. Brev.

Collecta conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Convertére.

PSALMUS 114.

DILEXI; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni; * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dó-

minus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi.

Ant. 8. G. Levávi.

PSALMUS 120.

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormiet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum et éxitum tuum, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Levávi óculos meos in montes : auxílium meum à *Dómino.*

Ant. 1. a. Adjutórium nostrum.

PSALMUS 123.

Nisi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel; * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est; * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Ant. 5. a. Magnificávit Dóminus.

PSALMUS 125.

In convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum : * facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum : facti sumus lætantes.

Ant. 6. F. Adhæreat.

PSALMUS 136.

SUPER flúmina Babylónis, illic sédimus, * et flévimus, cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra ;

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum ;

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dómini, * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî ;

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem ;

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundamentum in ea.

Fília Babylónis mísera : * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuisti nobis.

Beátus qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposúero Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.

Capitulum. (1. *Petr.* 1.)

NUNC non videntes, créditis : credentes autem, exultábitis lætítiâ inenarrábili et glorificátâ, reportantes finem fídei vestræ, salútem animárum.

HYMNUS.

JACTAMUR heu quot flúctibus !
Spes una de cœlis nitet :
Illuc et ora tóllimus,
Et míttimus suspíria.
TU vota præcurris, Pater,
Magnamque protendis manum :
Jam fulta tanto róbore
Surgit potens infírmitas.
QUÆ sæva nos premunt mala
Vinces, malis poténtior :
Te nostra duræ séntiet
Mens servitútis víndicem.
QUIN vile corpus indues
Formâ resurgentis Dei :

At illa venális patet
Multo labóre glória.

Felix labor quem récrcas
Tam spléndidà rerum vice!
Fletu quis æternum brevi
Neget pacisci gáudium?

Sit laus Patri, laus Fílio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utríque compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamávi totâ die: ℟. Lætífica ánimam servi tui. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. *Luc.* 1.

Preces, si dicendæ sint, et Suffragia, habentur infrà in Ordinario Breviarii. Collecta, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti et sic in aliis Feriis.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Justum.

PSALMUS 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * *salvum me fac propter misericórdiam tuam;*

Quóniam non est in morte, qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur et erubescant valde velóciter.

PSALMUS 7.

Domine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me;

Nequando rápiat ut leo ánimam meam, * dùm non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, * et glóriam

meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua; * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus meus, * in præcepto quod mandasti.

Et synagóga populórum circúmdabit te; * et propter hanc in altum regrédere.

Dóminus júdicat pópulos: * júdica me, Dómine, secundùm justítiam meam, et secundùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum: * et díriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

DIVISIO PSALMI 7.

Deus judex justus, fortis et pátiens, * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum tetendit, et parávit illum;

Et in eo parávit vasa mortis: * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam: * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum; * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secundùm justítiam ejus, * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Justum adjutórium meum à Dómino, qui salvos facit rectos corde. *Ps.* 7.

Hymnus, Capitulum, ℟. *breve, Antiphona ad* Nunc dimittis, *et Preces, quando dicuntur, habentur infrà in Ordinario Brev. et sic in aliis Feriis.*

FERIA TERTIA.

OFFICII FINIS.

Dilectionis Proximi necessitas et fructus commendantur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Populus Dómini, et oves manûs ejus, * *Veníte, adorémus. Ps. 94.*

HYMNUS.

Jubes: et, in præceps aquis
Repentè confluéntibus,
Prodit sub auras húmidis
Exúta velis Arida.

Hanc tu colendam qui tuis,
Pater, dedisti fíliis,
Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas.
Nunc exulámus; sed tuam
Mox congregábis in domum
Te Patre dignos, qui pio
Amóre fratres víxerint.
At, qui malignis ártibus
Linguisque lædunt próximum,
A te repelles: hoc genus
Cœlestis aula non capit.
En ipsa tellus ímprobos
Dudum labórans sústinet,
Ardetque non suæ jugo
Corruptiónis éximi.
Adoptionem nos quoque
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto Spíritus
Prædestinávit pígnore.
Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Diffúsa per quem córdibus
Fraterna regnat cáritas.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quis requiescet.

PSALMUS 14.

Domine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?
Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam;
Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit *dolum in lingua sua;*
Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.
Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dóminum glorificat.
Qui jurat próximo suo, et non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocentem non accépit.
Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

PSALMUS 18.

Cœli enarrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.
Dies diéi eructat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.
Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.
In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * in sole pósuit tabernáculum suum;
Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad currendam viam.
A summo cœlo egréssio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

DIVISIO PSALMI 18.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sa-

piéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda : * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea : * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint dominátí, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * et méditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redemptor meus.

Ant. Quis requiescet in monte sancto tuo, Dómine? qui operátur justítiam, nec fecit próximo suo malum. *Ps.* 14.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 5. a. Non proponébam.

PSALMUS 71.

Deus, judícium tuum *regi* da, * *et justítiam tuam fílio regis.*

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum, * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * et à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * et inimíci ejus terram lingent.

DIVISIO PSALMI 71.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit páuperem à potente, * et páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi; * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum; * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de

auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus; * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benédictus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum; * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

PSALMUS 100.

MISERICORDIAM et judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injustam : * facientes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinantem à me malignum non cognoscébam.

*Detrahentem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.*

Superbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non direxit in conspectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operantes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injustam : detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar. *Ps.* 100.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Adjúvit.

PSALMUS 106.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

Et de regiónibus congregávit eos, * à solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esurientes, et sitientes; * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia satiávit ánimam inánem, * et ánimam esurientem satiávit bonis.

Sedentes in ténebris et umbra mortis, * vinctos in mendicitáte et ferro;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris et umbrâ mortis, * et víncula eórum disrúpit.

DIVISIO PSALMI 106.

CONFITEANTUR Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia contrívit portas æreas, * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum: * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima *eórum: * et ap*propinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos; * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrificent sacrifícium laudis, * et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profundo.

Dixit: et stetit spíritus procellæ; * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius; * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum eduxit eos.

Et státuit procellam ejus in auram, * et siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt: * et deduxit eos in portum voluntátis eórum.

ALTERA DIVISIO PSALMI 106.

CONFITEANTUR Dómino mi-

sericórdiæ éjus, * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exaltent eum in ecclésia plebis, * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desertum, * et éxitus aquárum in sitim :

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desertum in stagna aquárum, * et terram sine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illic esurientes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas ; * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, et multiplicáti sunt nimis; * et jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * et vexáti sunt à tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes ; * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia, * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabuntur; * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Adjúvit Dóminus *páuperem* de inópia : vidébunt *recti, et lætabuntur.*

℣. Exortum est in ténebris lumen rectis : ℟. Misérícors, et miserátor, et justus. *Ps.* 111.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

AD LAUDES.

Ant. 4. *D.* Qui non accépit.

PSALMUS 23.

Domini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et universi qui hábitant in eo;

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * et misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; et elevámini, por-

tæ æternáles; * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónem à Dómino.

Ant. 5. a. Audiam.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Dómine, terram tuam: * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ: * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam; * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen propè timentes eum salutáre ipsius, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * et justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in via gressus suos.

Ant. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; quóniam loquétur pacem in plebem suam, et super sanctos suos.

Ant. 3. à. Qui dilígitis.

PSALMUS 96.

Dominus regnávit, exultet terra: * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus: * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * et qui gloriantur in simulácris suis.

5.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audívit, et lætáta est Sion : * et exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum.

Ant. 7. *d.* Vivens.

In Feriis,

CANTICUM EZECHIÆ.

(Is. 38.)

Ego dixi : In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi : * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium : * non aspíciam hóminem ultrà, et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, et convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texente *vita mea; dum* adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane; quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo : * meditábor ut columba.

Attenuáti sunt óculi mei, suspicientes in excelsum : * Dómine, vim pátior, responde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritûs mei; * corrípies me, et vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima : * tu autem eruisti ánimam meam, ut non periret.

Projecisti post tergum tuum * ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Vivens, vivens ipse

confitébitur tibi, Dómine: pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(Eccli. 36.)

MISERERE nostrî, Deus ómnium, et réspice nos, * et ostende nobis lucem miserationum tuárum.

Et immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te; * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspectu nostro magnificáberis in eis;

Ut cognoscant te, * sicut et nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, et immúta mirabília: * glorífica manum et bráchium dextrum.

Excita furórem, et effunde iram: * tolle adversarium, et afflíge inimícum.

Festína tempus, et memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur; * et qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non est álius *præter nos:*

Cóngrega omnes tribus Jacob: * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnália tua:

Et hæreditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ super quam invocátum est nomen tuum, * et Israel quem coæquasti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * et glória tuà pópulum tuum.]

Ant. 1. *D.* Laudáte.

PSALMUS 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in tympano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis; * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus: laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

MANDATUM novum scribo

vobis, quod verum est et in Christo, et in vobis; quia ténebræ transiérunt, et verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, et scándalum in eo non est.

HYMNUS.

Te príncipem summo, Deus,
Jubes amóre díligi;
Tibi secundum prótinus
Jubes amári próximum.
Amore fundátam tuo
Communiónem réspice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens sumus.
Illam fides et véritas
Amábili stipant choro:
Oblíquus hinc livor procul
Et litis ardor éxulant.
Tu, pacis auctor, mútuos
Astringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.
Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Qui moris uníus sacrâ
Nos pacis in domo locat.
Amen.

℣. Deus in médio civitátis suæ; non commovébitur: ℟. Adjuvábit eam mane dilúculo. *Ps.* 45.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. a. Erexit Dóminus cornu salútis nobis in domo David púeri sui, sicut locútus est per os sanctórum. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Cùm mihi.

PSALMUS 34.

Judica, Dómine, nocentes me: * expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum, * et exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam; et conclúde adversùs eos qui persequuntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, * et confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * et ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum, * et ángelus Dómini pérsequens eos;

Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobrávérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; et cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum et páuperem à diripiéntibus eum.

DIVISIO PSALMI 34.

SURGENTES testes iníqui; * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et adversùm me lætáti sunt, et convenérunt: * congregáta sunt super me flagella, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna: * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversantur mihi iníquè, * qui odérunt me gratis, et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * et in iracúndia terræ loquentes, dolos *cogitábant.*

Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidisti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas à me.

ALTERA DIVISIO PSALMI 34.

EXURGE, et intende judício meo, * Deus meus et Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubescant et revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusióne et reverántiâ, * qui magna loquuntur super me.

Exultent et lætentur qui volunt justítiam meam: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Cùm mihi molesti essent, quasi próximum et quasi fratrem nostrum, sic complacébam.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Cum ímpiis non sedébo.

PSALMUS 25.

JUDICA me, Dómine, quó-

niam ego in innocéntia mea ingressus sum; * et in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me: * ure renes meos et cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est; * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis; * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium; * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * et circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * et enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum: * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in directo: * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

Deus deórum Dóminus locútus est; * et vocávit terram à solis ortu usque ad *occásum:*

Ex Sion * spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet; * Deus noster, et non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardescet, * et in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desursùm, et terram, * discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, et loquar; Israel, et testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárum, * jumenta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis, * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribu-

latiónis : * éruam te, et honorificábis me.

DIVISIO PSALMI 49.

PECCATORI autem dixit Deus : * Quare tu enarras justítias meas, et assúmis testamentum meum per os tuum ?

Tu verò odisti disciplínam, * et projecisti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo, * et cùm adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris, et adversùs fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecisti, et tácui.

Existimasti, iníque, quòd ero tuî símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum; * nequando rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me; * et illìc iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

Ant. Cum impíis non sedébo : inter innocentes circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 25.

Capitulum. (*Eccli.* 35.)

SACRIFICIUM *salutáre est atténdere mandátis, et discédere ab omni iniquitáte : et propitiatiónem litáre sacrifícii super injustítias, et deprecátio pro peccátis, recédere ab injustítia.*

℟. *br.* Quis ascendet in montem Dómini, * Stabit in loco sancto ejus? Quis ascendet. ℣. Innocens mánibus * et mundo corde * Stabit in loco sancto ejus. Glória Patri. Quis ascendet. *Ps.* 23.

℣. Congregáte Dómino sanctos ejus, ℟. Qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia. *Ps.* 49.

AD SEXTAM.

Ant. 4. c. Justus.

PSALMUS 36.

NOLI æmulári in malignántibus, * neque zeláveris facientes iniquitátem ;

Quóniam tanquam fœnum velóciter arescent; * et quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem; * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo; * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, et judícium tuum tanquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulari in eo qui

prosperátur in via sua, * in hómine faciente injustítias.

Désine ab ira, et derelinque furórem: * noli æmulári, ut malignéris;

Quóniam qui malignantur, exterminabuntur: * sustinentes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusillùm, et non erit peccátor; * et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * et delectabuntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres: * intendérunt arcum suum.

Ut dejíciant páuperem et ínopem; * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conterentur: * confirmat autem justos Dóminus.

DIVISIO PSALMI 36.

*Novit Dóminus dies immaculatórum; * et hæréditas eórum in æternum erit.*

Non confundentur in témpore malo, et in diébus famis saturabuntur; * quiá peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint et exaltáti, * deficientes, quemádmodùm fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet: * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * et viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui; * et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, et cómmodat; * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, et fac bonum; * et inhábita in séculum séculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelinquet sanctos suos: * in æternum conservabuntur.

Injusti punientur; * et semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * et inhabitábunt in séculum séculi super eam.

ALTERA DIVISIO PSALMI 36.

Os justi meditábitur sa-

piéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * et non supplantabuntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum, * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus, * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expecta Dóminum, et custódi viam ejus; et exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm perírerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat: * et quæsívi eum, et non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem disperíbunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino; * et protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos; * et éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Ant. Justus totà die miserétur, et cómmodat; et semen illíus *in benedictióne erit.*

Capitulum. (1. *Joan.* 3.)

Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláuserit víscera sua ab eo; quómodò cáritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguà, sed ópere et veritáte.

℟. *br.* Jucundus homo * Qui miserétur, et cómmodat. Jucundus. ℣. In æternum * non commovébitur, * Qui miserétur. Glória Patri. Jucundus.

℣. Dispersit, dedit paupéribus: ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Pro eo.

PSALMUS 108.

Deus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, et os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguà dolósà, et sermónibus ódii circumdedérunt me, * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi: * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * et ódium pro dilectióne mea.

DIVISIO PSALMI 108.

Constitue [Dómine] super eum peccatórem; * et diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * et uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur fílii ejus, et mendícent, * et ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus; * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper: * et dispéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam, * et persecútus est hóminem ínopem et mendícum, et compunctum corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, et véniet ei: * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum: * et intrávit sicut aqua in interióra *ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.*

Fiat ei sicut vestimentum quo operítur, * et sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * et qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

ALTERA DIVISIO PSALMI 108.

Libera me, quia egénus et pauper ego sum, * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * et excussus sum sicut locustæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio, * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum opprobrium illis: * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum me fac secundùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * et tu, Dómine, fecisti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces: * qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * et operiantur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * et in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Ant. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi: ego autem orábam.

Capitulum. (*Rom.* 12.)

NOLITE esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram ómnibus homínibus: si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habentes.

℟. *br.* Posuérunt adversùm me * Mala pro bonis. Posuérunt. ℣. Et ódium * pro dilectióne mea, * Mala pro bonis. Glória. Posuérunt. *Ps.* 108.

℣. Sermónibus ódii circumdedérunt me; ℟. Et expugnavérunt me gratìs. *Ps.* 108.

AD VESPERAS.

Ant. 3. b. Multùm íncola fuit.

PSALMUS 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * et à linguâ dolósâ.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ *potentis acútæ*, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine: cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

Ant. 1. f. Propter fratres meos.

PSALMUS 121.

LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illìc sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte, quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

Ant. 4. d. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

Ecce quàm bonum, et quàm jucundum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguentum in cápite, * quod descendit in barbam, barbam Aáron;

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion;

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in séculum.

Ant. Quàm bonum, et quàm jucundum habitáre fratres in unum!

Ant. 8. G. In misericórdia.

PSALMUS 140.

Domine, clamávi ad te, exaudi me: * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusandas excusatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem: * et non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me: * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum;

Quóniam adhuc et orátio mea * in beneplácitis eórum.

Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum: * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram, * dissipáta sunt ossa nostra secùs infernum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: * in te, sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * et à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. In misericórdia justus increpábit me: óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Ant. 6. F. Me expectant justi

PSALMUS 141.

Voce meà ad Dóminum clamávi: * voce meà ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspectu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio,

In deficiendo ex me spíritum meum; * et tu cognovisti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam; * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me; * et non est qui réquirat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine: * dixi, Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me; * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confitendum nómini tuo: * me expectant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expectant justi, donec retríbuas mihi, Dómine.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

Si quid pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra; sive glorióatur unum membrum, congaudent ómnia membra: vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.

HYMNUS.

O quam juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitále robur *súfficit,*
Uno movéri spíritu!

Quam dulce laudes dícere
Unâ tibi cunctos domo,
Precumque ceu factâ manu,
Inferre vim gratam tibi!

Hanc quisque díligat domum;
Hanc pace concors récreet:
Væ dira qui spargit malus
Dissensiónum sémina.

Sed damna cedunt in lucrum
Te, Christe, diligéntibus:
Augent corónas prælia;
Prosuntque, dum nocent, mali.

Vox blanda sævit trístiùs,
Dum pectus incautum subit,
Lapsuque cæco dúlcibus
Laudum venénis ínficit.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut caritáte mútuà
Prosímus alter álteri,
Regnémus et polo simul.
Amen.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Audiant mansuéti, et lætentur. *Ps.* 33.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Respexit Deus humilitátem ancillæ suæ: ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. ç. Tu remisisti.

PSALMUS 12.

Usquequò, Dómine, oblivísceris me in finem? * úsquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequando dicat inimícus meus: præváluí adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua speráví.

Exultábit cor meum in salutári tuo: * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

Beati quorum remissæ sunt iniquitátes, * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totà die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino; * et tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, et ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris: * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exultáte, justi, * et gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 78.

Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem; * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio et illúsio his qui in círcúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem? * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob,* et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster; * et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos:

Et propítius esto peccátis nostris: * propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

Et innotescat in natióníbus coram óculis nostris * últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est.

Introéat in conspectu tuo* gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum;

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum impropérium ipsórum, * quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Tu remisisti impietátem peccáti mei: pro hac orábit ad te omnis sanctus. *Ps.* 31.

FERIA QUARTA.

OFFICII FINIS.

Deus Pater misericors, ipsi fidendum: hinc spes christiana.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Non repellet Dóminus plebem suam: * Veníte, adorémus. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Miramur, ô Deus, tuæ
Recens opus poténtiæ,
Quæ scripta scintillántibus
Refulget astrórum globis.
Ut sol diéi, cándida
Sic luna nocti præsidet:
Exércitu totum novo
Discríminant stellæ polum.
At ipse, cœlórum decus,
Sol novit occásus suos:
Sunt certa lunæ témpora,
Statíque lapsus síderum.
Jugi rotáta túrbine

Furantur et reddunt diem :
Tu semper idem, néscius
Mortálium spem fállere.
TURBATA quid mens flúctuet?
Curâ paternâ nos regis :
Æterna sit cordi salus,
Æterna nos salus manet.
SUPREMA laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Suo repóni qui jubet
Curas et angóres sinu.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. *à.* Sperent in te.

PSALMUS 9.

CONFITÉBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exultábo in te:* psallam nómini tuo, Altíssime.

In convertendo inimícum meum retrorsùm, * infirmabuntur, et períbunt à fácie tua.

Quóniam fecisti judícium meum et causam meam : * sedisti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpasti gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delesti in æternum, et in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * et civitátes eórum destruxisti.

Périit memória eórum cum sónitu ; * et Dóminus in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : * *et ipse* judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum ; * quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter gentes stúdia ejus ;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

DIVISIO PSALMI 9.

MISERÉRE meî, Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exaltas me de portis mortis ; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo :* infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in infernum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine; non confortétur homo: * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

Ut quid, Dómine, recessisti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum superbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor: * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo: * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * *insidiátur in* abscóndito quasi leo in spelunca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem; * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se, et cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus; exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem et dolórem consídéras, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et maligni: * quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in æternum, et in séculum sécuti: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupillo et húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum; quó-

niam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Fílii.

PSALMUS 77.

ATTÉNDITE, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, et cognóvimus ea; * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * et legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis; * ut cognoscat generátio áltera.

Fílii qui nascentur, et exurgent, * et narrábunt fíliis suis;

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur óperum Dei, * et mandáta ejus exquírant;

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava et exásperans:

Generátio quæ non direxit cor suum, * et non est créditus cum Deo spíritus *ejus.*

DIVISIO PSALMI 77.

FILII Ephrem intendentes et mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testamentum Dei, * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ ostendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perduxit eos, * et státuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi, * et totà nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra, * et deduxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et malè locúti sunt de Deo: * dixérunt, Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto?

Quóniam percussit petram, et fluxérunt aquæ, * et torrentes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideò audívit Dóminus, et

dístulit : * et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel ;

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cœli apéruit.

Et pluit íllis manna ad manducandum, * et panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.

ALTERA DIVISIO PSALMI 77.

TRANSTULIT [Dóminus] Austrum de cœlo ; * et induxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, et saturáti sunt nimis ; et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * et ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et electos Israel impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * et anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum ; * et revertebantur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * et Deus excelsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum, * et non disperdet eos.

Ant. Fílii qui nascentur, narrábunt fíliis suis, ut ponant in Deo spem suam.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Abstulit.

EX PSALMO 77. Et

ABUNDAVIT [Dóminus] ut avérteret iram suam, * et non accendit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto ? * in iram concitavérunt eum in inaquóso ?

Et conversi sunt, et tentavérunt Deum ; * et Sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis :

Sicut pósuit in Ægypto *signa* sua, * et prodígia sua *in* campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, et comédit eos; * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * et labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ; * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ: non pepercit á morte animábus eórum, * et jumenta eórum in morte conclúsit.

Et percussit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

DIVISIO PSALMI 77. Et

Abstulit [Dóminus] sicut oves pópulum suum, * et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuérunt: * et inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * et sorte divísit eis *terram in funículo distributiónis.*

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excelsum; * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum: * quemádmodùm patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevít: * et ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * et hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * et víduæ eórum non plorabantur.

ALTERA DIVISIO PSALMI 77. Et

Excitatus est tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percussit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum

Joseph, et tribum Ephraïm non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem dilexit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum; * in terra quam fundávit in sécula:

Et elégit David servum suum, * et sústulit eum de grégibus óvium.

De post fœtantes accépit eum, * páscere Jacob servum suum, et Israel hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui, * et in intellèctibus mánuum suárum deduxit eos.

Ant. Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, et deduxit eos in spe.

℣. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui custódit Israel. ℟. Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua. *Ps.* 120.

℣. *Sacerd.* Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo; ℟. Et laudabuntur omnes recti corde. *Ps.* 63.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Omnes.

PSALMUS 5.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine: * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine; * mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tìbi, et vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem: * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant: * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Ant. Omnes qui sperant in te, Dómine, in æternum exultábunt, et habitábis in eis.

Ant. 5. C. In tégmine.

PSALMUS 35.

Dixit injustus ut delinquat in semetipso: * non est timor Dei ante óculos ejus;

Quóniam dolóse egit in conspectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas et dolus: * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: ástitit omni viæ non bonæ; * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua, * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

Hómines et jumenta salvábis, Dómine; * quemádmodùm multiplicasti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ; * et torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons *vitæ,* * *et* in lúmine tuo vi*débimus lumen.*

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ, * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem: * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. In tégmine alárum tuárum sperábunt, Dómine; et torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Ant. 3. a. Exaudi nos.

PSALMUS 64.

Te decet hymnus, Deus, in Sion; * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti, et assumpsisti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ: * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timébunt qui hábitant términos, à signis tuis: * éxitus

matutíni et véspere delectábis.

Visitasti terram, et inebriasti eam : * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis : * parasti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ; * et campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti, * et exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

Ant. 1. a. Ecce.

In Feriis,

CANTICUM.

(Is. 12.)

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * conversus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus:* fiduciáliter agam, et non timébo.

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris ; * et dicétis *in die illa : Confitémini* Dómino, et invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus ; * mementóte quóniam excelsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in universa terra.

Exulta et lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Israel.

Ant. Ecce Deus salvátor meus : fiduciáliter agam, et non timébo.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(Tob. 13.)

MAGNUS es, Dómine, in æternum, * et in ómnia sécula regnum tuum.

Quóniam tu flagellas, et salvas : dedúcis ad ínferos, et redúcis ; * et non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israel, * et in conspectu géntium laudáte eum ;

Quóniam ídeò dispersit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus,

Et faciátis scire eos * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras ; * et ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timóre et tremóre confitémini illi;*

Regemque seculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi;* quóniam ostendit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, et fácite justítiam coram Deo,* credentes quòd fáciat vobiscum misericórdiam suam.

Ego autem, et ánima mea,* in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: * ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.] *Ant.* 6. *C.* Beneplácitum est.

PSALMUS 146.

LAUDATE Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jucunda decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde, * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum, * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus; * et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus, * et parat terræ pláviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat jumentis escam ipsórum, * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Beneplácitum est Dómino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Capitulum. (Is. 26.)

IN sémita judíciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

HYMNUS.

PROMITTIS, et servas datam
Immóbilis fidem, Deus:
Hanc mane primo sédulâ
Repóscimus fidem prece.
PROMITTIT atque décipit
Incertus et fallax homo:
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfíget manum.
BEATUS ergo, qui tuo
Se totus abdit in sinu:

Hâc arce tutum túrbinis
Vis nulla de statu quatit.
Ne cor vacillet, óbligas
Temet sacramento, Deus:
Spes nixa tanto pígnore,
Æterna jam prensat bona.
Jam mente præsúmens polum,
Secúra sublími throno
Assistit, et cœléstium
Prælíbat undas flúminum.
Fons ô perennis grátiæ,
Colenda semper Trínitas,
Te spem salútis únicam
Da mente totâ quærere.
Amen.

℣. Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam; ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Jurávit Dóminus datúrum se nobis, ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ego.

PSALMUS 30.

In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in domum refúgii, * ut salvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu: * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spíritum meum: * redemisti me, Dómine Deus veritátis.

Odisti observantes vanitátes supervácuè: * ego autem in Dómino sperávi.

Exultábo, et lætábor in misericórdia tua; * quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusisti me in mánibus inimíci: * statuisti in loco spatióso pedes meos.

DIVISIO PSALMI 30.

Miserere meî, Dómine, quóniam tribulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum opprobrium, et vicínis meis valde; * et timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus sum tanquam mórtuus à corde: * factus sum tanquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenírent simul

adversùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine; * díxi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et à persequéntibus me.

Illustra fáciem tuam super servum tuum: * salvum me fac in misericórdia tua.

Dómine, non confundar, quóniam invocávi te: * erubescant ímpii, et deducantur in infernum.

Muta fiant lábia dolósa, * quæ loquuntur adversùs justum iniquitátem, in supérbia, et in abusióne.

ALTERA DIVISIO PSALMI 30.

QUAM magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, *quam abscondisti timéntibus te!

Perfecisti eis qui sperant in te, * in conspectu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudisti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus; quóniam veritátem requíret Dóminus, * et retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Ego in Dómino sperávi: exultábo, et lætábor in misericórdia tua.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Spera in Deo.

PSALMUS 41.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum; * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei,

In voce exultatiónis et confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

DIVISIO PSALMI 41.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est : * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, et Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblítus es meî, et quare contristátus incédo, * dùm afflígit me inimícus ?

Dùm confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei,

Dùm dicunt mihi per síngulos dies : * Ubi est Deus tuus ?

Quare tristis es, ánima mea ? * et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

PSALMUS 42.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : * ab hómine iníquo et dolóso érue me ;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulisti ? et quare tristis incédo, dùm afflígit me inimícus ?

Emitte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus ; * quare tristis es, ánima mea? et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Ant. Spera in Deo, ánima mea : salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt ; ut per patiéntiam et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus.

℟. *br.* Memor esto verbi tui, Dómine, * In quo mihi spem dedisti. Memor esto. ℣. Hæc me consoláta est, * quia elóquium tuum vivificávit me. * In. Glória. Memor.

℣. Respondébo exprobrántibus mihi verbum ; ℟. Quia speráví in sermónibus tuis. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Qui sperat.

PSALMUS 20.

DOMINE, in virtúte tua lætábitur rex, * et super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, * et voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum;

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis, * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te; * et tribuisti ei longitúdinem diérum in séculum, et in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino; * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * et semen eórum à fíliis hóminum;

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

BÉNEDIC, ánima mea, Dómino; * et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino; * et noli oblivisci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia et miserationibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

DIVISIO PSALMI 102.

MISERATOR et miséricors Dóminus: * longánimis, et multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur.

Non secundùm peccáta

nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis;

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, * misertus est Dóminus timéntibus se;

Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

Homo, sicut fœnum dies ejus: * tanquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsistet, * et non cognoscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * et usque in æternum super timentes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testamentum ejus,

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes *virtútes ejus; * ministri* ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Qui sperat in Dómino, in misericórdia Altissimi non commovébitur. *Ps.* 20.

Capitulum. (1. *Joan.* 3.)

Nunc fílii Dei sumus, et nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam, cùm apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut et ille sanctus est.

℟. *br.* Beátus vir, * Cujus est nomen Dómini spes ejus. Beátus vir. ℣. Et non respexit in vanitátes * et insánias falsas: * Cujus est. Glória Patri. Beátus vir. *Ps.* 39.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli: ℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Ps.* 61.

AD NONAM.

Ant. 8. d. Factus est.

PSALMUS 81.

Deus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judícátis iniquitátem, * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno et pupil-

lo : * húmilem et páuperem justificáte.

Erípite páuperem, * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ambulant : * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excelsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram ; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

Deus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram : * redde retributiónem superbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequò peccatóres gloriabuntur ?

Effabuntur et loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injustítiam ?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * et hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam et ádvenam interfecérunt, * et pupillos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipientes in *pópulo ;* * *et* stulti, aliquando *sápite.*

Qui plantávit aurem, non áudiet ? * aut qui finxit óculum, non considerat ?

Qui córripit gentes, non árguet ? * qui docet hóminem sciéntiam ?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

DIVISIO PSALMI 93.

Beatus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * et de lege tua docúeris eum ;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem suam, * et hæreditátem suam non derelinquet ;

Quoadusque justítia convertátur in judícium, * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversùs malignantes ? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem ?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus ; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto ?

Captábunt in ánimam justi, * et sánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; et in malítia eórum disperdet eos : * disperdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus in adjutórium spei meæ. *Ps.* 93.

Capitulum. (*Hebr.* 10.)

NOLITE amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem : patiéntia enim vobis necessária est; ut voluntátem Dei facientes, reportétis promissiónem.

℟. *br.* Bonum est confídere in Dómino, * Quàm confídere in hómine. Bonum est. ℣. Bonum est * speráre in Dómino, * Quàm confídere in hómine. Glória Patri. Bonum est. *Ps.* 117.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum :

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ; * *ita óculi nostri ad Dóminum Deum* nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne;

Quia multùm repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, et despéctio superbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Ant. 5. a. Qui confíd

PSALMUS 124.

QUI confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, et Dóminus in circúitu populi sui, * ex hoc nunc, et usque in séculum;

Quia non relinquet Dóminus virgàm peccatórum super sortem justórum; * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * et rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israel.

Ant. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion : non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. 8. c. Beátus vir.

PSALMUS 126.

NISI Dóminus ædificáverit domum, * in vanum labora-

vérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit dilectis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, fílii : * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Beátus vir qui implévit desidérium suum: non confundétur, cùm loquétur inimícis suis.

Ant. 1. a. Sustínuit.

PSALMUS 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque *ad noctem* * speret Israel in *Dómino;*

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sustínuit ánima mea in verbo ejus : sperávit ánima mea in Dómino.

Ant. 4. a. Speret.

PSALMUS 130.

Domine, non est exaltátum cor meum, * neque eláti sunt óculi mei ;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Speret Israel in Dómino.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Deus spei répleat vos omni gáudio et pace in credendo ; ut abundétis in spe, et virtúte Spíritûs sancti.

HYMNUS.

Horres superbos, nec tuam
Das álteri laudem, Deus ;
Humána nil isthinc sibi
Decerpat arrogántia.
Ingrata quippe mens tuæ
Fluenta sistit grátiæ ;

Tristíque marcescit statim,
Ceu gramen exustum siti.
Ut servus in manus heri
Intenta figit lúmina;
Sic ora sacris móntibus
Non dìmovémus ánxii.
Desideratam si dare
Opem moráris; spes tamen,
Tenácis instar ánchoræ,
Immóta fundat péctora.
Sit summa Patri glória:
Sit summa Nato, qui dedit
Nobis futúræ Spíritum
Hæreditátis óbsidem. Amen.

℣. A custódia matutína usque ad noctem speret Israel in Dómino. ℟. Quia apud Dóminum misericordia. *Ps.* 129.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. E. Conserva me.

PSALMUS 10.

In Dómino confído; * quómodò dícitis ánimæ meæ: Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus interrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolóse agébant: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes

qui operantur iniquitátem,* qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor;* quóniam Dóminus in generatióne justa est.

Consílium inopis confudistis,* quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 15.

Conserva me, Dómine; * quóniam sperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus es tu;* quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus,* mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * pósteà accelerávérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiescet in spe;

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítià cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Conserva me, Dómine; quóniam sperávi in te. *Ps.* 15.

FERIA QUINTA.

OFFICII FINIS.

Deus verax : ipsi credendum ; hinc fides christiana.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

HODIE si vocem Dómini audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra. *Ps.* 94.

HYMNUS.

IISDEM creáti flúctibus
Pisces natant, volant aves :
Utrumque mortáli genus
Parátur esca córpori.
MENTI sed æternæ cibus
Debétur alter : hæc Dei
Sermóne vivit : hanc fovet
Cœlestis et nutrit fides.
QUÆSITA Christi sánguine
Manávit in terras fides,
Et impiárum péctora
Victrix subégit géntium.
FAX illa puris córdibus
Monstráre cœlos éfficax,
Æterna dignis íncitat
Factis meréri præmia.
SANCTI leónum, per fidem,
Mulsére rugítus : truces
Fregére regnantûm minas ;
Risére stridentes rogos.
HAC luce signátum, Deus,
Calcáre dona trámitem,
Et caritátis úberes
Fructus eundo cárpere.
DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. b. Rectum est verbum Dómini.

PSALMUS 19.

EXAUDIAT te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui ; * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * et omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo, * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis ; * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et ceci-

dérunt; * nos autem surréximus, et erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem; * et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 32.

EXULTATE, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium: * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt; * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris, * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveantur omnes inhabítantes orbem;

Quóniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consilia príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem

DIVISIO PSALMI 32.

BEATA gens, cujus est Dóminus Deus ejus: * pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus: * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * et in eis qui sperant super misericórdia e us;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum; * quóniam adjútor et protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

Ant. Rectum est verbum Dómini, et ómnia ópera ejus in fide. *Ps.* 32.

IN II° NOCTURNO.

Ant. 4. A. Dóminus.

PSALMUS 67.

EXURGAT Deus, et dissipen-

tur inimíci ejus; * et fùgiant, qui odérunt eam, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, * et delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascendit super occásum.

Dóminus nomen illi: * exultáte in conspectu ejus.

Turbabuntur à fácie ejus, * patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * similiter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deserto,

Terra mota est: * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínaï, à fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ: * et infirmáta est, tu verò perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parasti in dulcédine tua páuperi, Deus.

DIVISIO PSALMI 67.

Dominus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtútum dilect' dilecti: * et speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ columbæ deargentátæ; * et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, * nive dealbabuntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis: * mons coagulátus, mons pinguis.

Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina, in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitátem: * accepisti dona in homínibus.

Etenim non credentes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedictus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi; * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingressus tuos, Deus, * ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psállentibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

ALTERA DIVISIO PSALMI 67.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excessu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Díssipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli * ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo.

Super Israel magnificéntia *ejus, * et virtus* ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus: Deus Israel ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Dómine.

PSALMUS 88.

Misericordias Dómini * in æternum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixisti: In æternum misericórdia ædificábitur in cœlis, * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testamentum electis meis; * jurávi David servo meo.

Usque in æternum præparábo semen tuum; * et ædificábo in generatiónem et generatiónem sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es,

Dómine; et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliasti sicut vulnerátum, superbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersisti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra: * orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundasti;

Aquilónem et mare tu creasti: * Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt.

Tuum bráchium cum poténtia: * firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua.

Justítia et judícium præparátio sedis tuæ; * misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam.

DIVISIO PSALMI 88.

Beatus pópulus qui scit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * et in justítia tua exaltabuntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israel regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixisti: * Pósui adjutórium in potente; et exaltávi electum de *plebe mea.*

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * et odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso; * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, et susceptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ.

In æternum servábo illi misericórdiam meam, * et testamentum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam, * et in judíciis meis non ambuláverint;

Si justítias meas profanáverint, * et mandáta mea non custodíerint,

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * et in verbéribus peccáta eórum

Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea;

Neque profanábo testamentum meum; * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

ALTERA DIVISIO PSALMI 88.

Semel jurávi in sancto meo, * si David méntiar;

Semen ejus in æternum manébit; * et thronus ejus sicut sol in conspectu meo,

Et sicut luna perfecta in æternum, * et testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulisti et despexisti, * distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui: * profanasti in terra sanctuárium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus: * posuisti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeuntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltasti dexteram depriméntium eum: * lætificasti omnes inimícos ejus.

Avertisti adjutórium gládii ejus, * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatióne, * et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies témporis ejus: * perfudisti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avertis in finem? * exardescet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituisti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, et non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium;

Quòd exprobravéruntinimíci tui, Dómine, * quòd exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedictus Dóminus in æternum: * fiat, fiat.

Ant. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, et in nómine tuo exultábunt totâ die, et in justítia tua exaltabuntur.

℣. Ténebræ non obscurabuntur à te, Dómine; ℟. Et nox sicut dies illuminábitur. *Ps.* 138.

℣. *Sacerd.* Cognoscant quia nomen tibi Dóminus: ℟. Tu solus Altíssimus in omni terra. *Ps.* 82.

AD LAUDES.

Ant. 4. f. Audi.

PSALMUS 80.

Exultate Deo adjutóri nos-

tro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum, * psaltérium jucundum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insigni die solemnitátis vestræ ;

Quia præceptum in Israel est, * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti : * linguam quam non nóverat, audívit.

Divertit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocasti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te : * Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israel non intendit mihi.

Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum : * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audisset me; * Israel si in viis meis ambulasset,

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliassem, * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimíci Dómini mentiti sunt ei; * et erit tempus eórum in sécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti; * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Audi, pópulus meus, et contestábor te : ego sum Dóminus Deus tuus.

Ant. 1. *g.* Parátum.

PSALMUS 107.

PARATUM cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo et psallam in glória mea.

Exurge, glória mea, exurge, psaltérium et cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * et psallam tibi in natiónibus;

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos; Deus; * et super omnem terram glória tua;

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac déxterâ tuâ, et exaudi me.

Ant. Parátum cor meum, Deus; exurgam dilúculo : confitébor tibi, Dómine.

Ant. 6. F. Dómine.

DIVISIO PSALMI 107.

DEUS locútus est in sancto suo : * exultábo, et dividam Síchimam, et convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manasses; * et Ephraim suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos ? * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Dómine, vana salus hóminis : in Deo faciémus virtútem.

Ant. 8. c. Deus.

In Feriis,

CANTICUM ANNÆ.

(1. Reg. 2.)

Exultavit cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos ; * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus ; neque enim est álius extra te : * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes : * recédant vétera de ore vestro ;

Quia Deus scientiárum Dóminus est, * et ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est ; * et infirmi accincti sunt róbore.

Repléti priùs pro pánibus se locavérunt ; * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos ; * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, et vivíficat : * dedúcit ad ínferos, et redúcit.

Dóminus páuperem facit, et ditat : * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem ;

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticescent ; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus ; * et super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu christi sui.

Ant. Deus scientiárum Dóminus est, et ipsi præparantur cogitatiónes.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(1. Paral. 29.)

Benedictus es, Dómine,

Deus Israel patris nostri, * ab æterno in æternum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória; * et tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt et in terra, * tua sunt.

Tuum, Dómine, regnum; * et tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, et tua est glória: * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus et poténtia: * in manu tua magnitúdo, et impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * et laudámus nomen tuum ínclytum.]

Ant. 5. a. Annúntiat Dóminus.

PSALMUS 147.

LAUDA, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te;

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe frumenti sátiat te;

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cinerem spargit;

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni, * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, et judícia sua Israel: non fecit táliter omni natióni.

Capitulum. (1. *Petr.* 2.)

VOS genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

HYMNUS.

DIGNAS quis, ô Deus, tibi
Laudes rependat, qui tuo
Pellis tenébras lúmine,
Salútis et monstras viam?
TU, quam jubes, donas fidem;
Hæc cúltui præest tuo;
Hæc mentis erróres fugat;
Hæc corda sursum dírigit.
TE destitúta spíritu
Nil pompa sacrórum juvat:
Secréta puri blándiùs
Tibi litábunt péctoris.
Vox inde cordi cónsona
Vectígal exsolvet suum,
Et ad salútem líbero
Prométur ore véritas.
O, QUI superbos réspuis,
Et símplices amas, Deus,
Ut crescat in nobis fides,

Cordis tumórem cómprime.

Sit summa Patri glória :
Sit summa Nato, qui fidem
Cruóre fundávit suo :
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intellectum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. à. Illúminet.

PSALMUS 66.

Deus misereátur nostrî, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostrî ;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur et exultent gentes ; quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus ; * et métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

Domine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra et orbis ; * à século et usque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem ; * et dixisti : Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies hesterna quæ prætériit, et custódia in nocte :

Quæ pro níhilo habentur, * eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat et tránseat ; * véspere décidat, indúret et arescat ;

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuisti iniquitátes nostras in conspectu tuo, * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui ;

Quóniam omnes dies nostri defecérunt, et in ira tua defécimus : * anni nostri sicut aránea meditabuntur.

Dies annórum nostrórum in ipsis septuaginta anni : * si autem in potentátibus, octoginta anni,

Et ámplius eórum * labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * et corripiémur.

DIVISIO PSALMI 89.

Quis novit potestátem iræ tuæ, * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Dèxteram tuam sic notam fac, * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua; * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: et ópera mánuum nostrárum dírige super nos; * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Illúminet Dóminus vultum suum super nos; ut cognoscámus in terra viam tuam, Dómine. *Ps.* 66.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Credo.

PSALMUS 26.

Dominus illuminátio mea, et salus mea; * quem timébo?

Dóminus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dùm apprópiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ;

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

DIVISIO PSALMI 26

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te: * miserére meî, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus;

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt

Clamavérunt justi; et Dóminus exaudívit eos; * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribulato sunt corde, * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * et qui odérunt justum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Capitulum. (*Jac.* 2.)

Sicut corpus sine spíritu mórtuum est, ita et fides sine opéribus mórtua est.

℟. *br.* Gressus meos dírige, Dómine, * Secundùm elóquium tuum. Gressus. ℣. Ut custódiam * mandáta tua, Glória Patri. Gressus meos.

℣. Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me; ℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Exultent.

PSALMUS 69.

Deus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, et revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te; * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus et pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

PSALMUS 79

Qui regis Israel, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manasse.

Excita poténtiam tuam; * et veni, ut salvos fácias nos.

Deus, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi érimus.

Dómine Deus virtutum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris; * et

inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi erimus.

DIVISIO PSALMI 79.

DOMINE] víneam de Ægypto transtulisti : * ejecisti gentes, et plantasti eam.

Dux itíneris fuisti in conspectu ejus; * plantasti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites suos usque ad mare, * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxisti macériam ejus; * et vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminávit eam aper de silva, * et singuláris ferus depastus est eam.

Deus virtútum, convértere : * réspice de cœlo, et vide, vísita víneam istam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * et super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffossa : * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * et super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

Et non discédimus à te : * vivificábis nos, et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos, et ostende faciem tuam; * et salvi érimus.

Ant. Exultent et lætentur in te qui díligunt salutáre tuum, Dómine. *Ps.* 69.

Capitulum. (*Rom.* 4.)

CREDENTI in eum qui justíficat ímpium, reputátur fides ejus ad justítiam, secundùm propósitum grátiæ Dei.

℟. *br.* Salvávit eos Dóminus, * Et credidérunt verbis ejus. Salvávit. ℣. Et laudavérunt * laudem ejus, * Et credidérunt. Glória Patri. Salvávit. *Ps.* 105.

℣. In conspectu géntium revelávit justítiam suam : ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Crédidi.

PSALMUS 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi!

Cálicem salutáris accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctorum ejus.

O Dómine, quia ego ser-

vus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancillæ tuæ.

Dirupisti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

Ant. Crédidi, propter quod locútus sum; ego autem humiliátus sum nimis.

Ant. 1. g. Confitébor.

PSALMUS 137.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum,

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua et veritáte tua ; * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini ;

Quóniam excelsus Dóminus, et humília réspicit, * et alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio *tribulatiónis*, vivificábis *me* : * *et super iram inimicórum meórum extendisti* manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in séculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua et veritáte tua.

Ant. 7. d. Generátio.

PSALMUS 144.

EXALTABO te, Deus meus rex : * et benedícam nómini tuo in séculum, et in séculum séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in séculum, et in séculum séculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis ; * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua, * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * et justítiâ tuâ exultábunt.

Ant. Generátio et generátio laudábit ópera tua, et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Ant. 4. *D.* Fidélis.

DIVISIO PSALMI 144.

MISERATOR et misericors

Dóminus: * pátiens, et multùm misérico rs.

Suávis Dóminus universis, * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * et sancti tui benedicant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * et poténtiam tuam loquentur;

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum; * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * et imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Ant. 8. c. Propè est Dóminus.

ALTERA DIVISIO PSALMI 144.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus *invocántibus eum*, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet, * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * et omnes peccatóres disperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, et in séculum sèculi.

Ant. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Capitulum. (*Rom.* 10.)

Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

HYMNUS.

O fortis, ô clemens Deus,
Salútis auctor, tu fidem
Nostris potenter ínsere,
Germen salútis, córdibus.

Hinc omne robur dúcimus:
Hæc arma nobis; hoc manus
Protecta scuto, flámmea
Retundet hostis spícula.

Hinc fúndimus preces tibi
Sacri sub umbra nóminis,
Quo nítitur spes ómnium
Uno salútis pignore.

PLACATUS illo nómine,
Labántibus feres opem;
Dabisque, sanctam dégener
Ne vita deturpet fidem.

SIT laus Patri, laus Fílio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas.

Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Potens est Dóminus, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. f. Salvum me fac Dómine.

PSALMUS 11.

SALVUM me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus, * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Disperdat Dóminus universa lábia dolósa, * et linguam magníloquam;

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt: * quis noster Dóminus est?

Propter miseriam ínopum, et gémitum páuperum, * nunc exurgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos; * et custódies nos à generatióne hac in æternum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndùm altitúdinem tuam multiplicasti fílios hóminum.

PSALMUS 38.

DIXI: Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui à bonis; * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, et in meditatióne mea exardescet ignis: * locútus sum in lingua mea.

Notum fac mihi, Dómine, finem meum, et númerum diérum meórum, quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuisti dies meos: * et substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo; * sed et frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * et substántia mea apud te est.

DIVISIO PSALMI 38.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipienti dedisti me.

Obmútui, et non apérui os meum; * quóniam tu fecisti.

Amove à me plagas tuas: * à fortitúdine manûs tuæ ego defeci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuisti hóminem, et tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquàm ábeam; * et ámpliùs non ero.

Ant. Salvum me fac, Dómine, quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum. *Ps.* 11.

FERIA SEXTA.

OFFICII FINIS.

Exemplo Christi patientis, ad perferendas vitæ hujus ærumnas animetur Fidelis.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Venite, adorémus, et procidámus ante Deum: * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Jam sánctius moves opus,
Tecum, Deus, delíberans:
Mundo recenti príncipem,
Tibíque præcónem paras.
Homo creátur: hunc sacro
Cœlestis oris hálitu
Succendis, et vivam tuî
Spiráre das imáginem.
Ergo per omnes æquoris,
Tellúris omnes et sinus
Regnábit: at memor suî
Deo minórem se gerat.
Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit;
Deo superbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.
Hinc quanta lúctuum cohors
Incumbit orbi pérdito!
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes déserat.
Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Cujus movémur hálitu,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. b. Contristátus sum.

PSALMUS 51.

QUID gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecisti dolum.

Dilexisti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem: * evellet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo, et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt; * et dicent: Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum;

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in æternum, et in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum quia fecisti; * et expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu sanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, et exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * et conturbátus sum à voce inimíci, et à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me, * et contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * et volábo, et requiescam.

Ecce elongávi fúgiens, * et mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs; * et tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique;

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondissem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus et notus meus,

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Veniat mors super illos, * et descendant in infernum viventes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamavi; * et Dóminus salvábit me.

DIVISIO PSALMI 54.

VESPERE, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo; * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testamentum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus; * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum; * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam; et ipse te enútriet: * non dabit in æternum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum et dolósi non dimidiábunt dies suos; * ego autem *sperábo in te, Dómine.*

Ant. Contristátus sum in exercitatióne mea, et conturbátus sum; quóniam declinavérunt in me iniquitátes. *Ps.* 54.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Ab insurgéntibus in me.

PSALMUS 58.

ERIPE me de inimícis meis, Deus meus; * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * et de viris sánguinum salva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * sine iniquitáte cucurri, et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide; * et tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad vésperam; * et famem patientur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, et gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te

custódiam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

DIVISIO PSALMI 58.

Deus ostendet mihi super inimícos meos: * ne occídas eos, nequando obliviscantur pópuli mei.

Disperge illos in virtúte tua, * et depóne eos, protector meus, Dómine.

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum; * et comprehendantur in supérbia sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabuntur in consummatióne; * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * et fínium terræ.

Convertentur ad vésperam; * et famem patientur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergentur ad manducandum; * si verò non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * et exultábo mane misericórdiam tuam;

Quia factus es susceptor meus et refúgium meum * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

PSALMUS 60.

Exaudi, Deus, deprecatiónem meam: * intende oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dùm anxiarétur cor meum: * in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimici.

Inhabitábo in tabernaculo tuo in sécula: * prótegar in velamento alarum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiónem meam, * dedisti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei: * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Ab insurgéntibus in me libera me, Dómine; quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. a. In conspectu.

PSALMUS 68.

Salvum me fac, Deus, * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo pro-

fundi, * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * et tempestas demersit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè : * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * et delicta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ ;

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam ; * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestimentum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui sedébant in porta; * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque urgeat super me púteus os suum.

DIVISIO PSALMI 68.

EXAUDI me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua : * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspectu tuo sunt ómnes qui tríbulant me : * impropérium expectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit ; * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel ; * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram

ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscurentur óculi eórum, ne vídeant; * et dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam; * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deserta; * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussisti, persecúti sunt; * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * et non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium; * et cum justis non scribantur.

ALTERA DIVISIO PSALMI 68.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * et magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem et úngulas.

Vídeant páuperes, et lætentur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * et ædificabuntur *civitátes* Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: impropérium expectávit cor meum, et misériam.

℣. Die ac nocte gravata est super me manus tua: ℟. Conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina. *Ps.* 31.

℣. *Sacerd.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis salvus ero. *Ps.* 17.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Auribus.

PSALMUS 53.

Deus, in nómine tuo salvum me fac, * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, et fortes quæsiérunt ánimam meam, * et non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * et Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis; * et in veritáte tua disperde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi; * et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * et super inimícos meos despexit óculus meus.

Ant. Auribus pércipe, Dómine, verba oris mei; quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me.

Ant. 7. ç. Deus meus.

PSALMUS 70.

In te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum, * ut salvum me fácias;

Quóniam firmamentum meum * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agentis, et íniqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es protector meus; * in te cantátio mea semper.

Tanquam prodígium factus sum multis, * et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, et comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundantur et defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiantur confusióne et pudóre qui quærunt malamihi.

Ego autem semper sperábo, * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris; quóniam tu es patiéntia mea.

Ant. 3. *à.* Lingua mea.

DIVISIO PSALMI 70.

Os meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuisti me à juventúte mea; * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam et sénium: * Deus, ne derelinquas me;

Donec annúntiem brachium tuum * generatióni omni quæ ventúra est,

Poténtiam tuam et justítiam tuam, Deus, usque in

altíssima quæ fecisti magnália : * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendisti mihi tribulatiónes multas, et malas! * et conversus, vivificasti me, et de abyssis terræ íterùm reduxisti me.

Multiplicasti magnificéntiam tuam; * et conversus, consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus : * psallam tibi in cíthara, Sanctus Israel.

Exultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemisti.

Sed et lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. 8. G. Cùm irátus fúeris.

In Feriis,

CANTICUM HABACUC.

(Cap. 3.)

DOMINE, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum : * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

*Deus ab Austro véniet, * et Sanctus de monte Pharan. Opéruit cœlos glória ejus, * et laudis ejus plena est terra.*

Splendor ejus ut lux erit, córnua in mánibus ejus : * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors; * et egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit, et mensus est terram : * aspexit, et dissolvit gentes; et contríti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascendes super equos tuos, * et quadrígæ tuæ salvátio;

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juramenta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ : vidérunt te, et doluérunt montes; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol et luna stetérunt in habitáculo suo; * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * et in furóre obstupefácies gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.

Percussisti caput de domo ímpii, * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in ósibus meis, * et subter me scáteat;

Ut requiescam in die tribulatiónis, * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit; * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus; * et non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea; * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excelsa mea dedúcet me victor * in psalmis canentem.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

[*In Festis Sanctorum*,

CANTICUM.

(Isaiæ 26.)

URBS fortitúdinis nostræ Sion : * Salvátor ponétur in ea murus et antemurále.

Aperíte portas, * et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit : servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperastis in Dómino in séculis æternis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitantes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulandum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : * nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.

Misercámur ímpio, et non discet justítiam : * in terra

sanctórum iníqua gessit, et non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * et non vídeant:

Vídeant, et confundantur zelantes pópuli; * et ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.]

Ant. 4. *D.* Laudábo.

PSALMUS 145.

LAUDA, ánima mea, Dóminum: * laudábo Dóminum in vita mea; psallam Deo meo, quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos; * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupillum et víduam suscípiet; * et vias peccatórum disperdet.

*Regnábit Dóminus in sécula: * Deus tuus, Sion*, in generatiónem et generatiónem.

Ant. Laudábo in vita mea Dóminum, qui facit judícium injúriam patiéntibus.

Capitulum. (*Is.* 33.)

DOMINE, miserére nostrî; te enim expectávimus: esto bráchium nostrum in mane, et salus nostra in témpore tribulatiónis.

HYMNUS.

ULTRICIBUS nos úndique
Dum sáucias telis, Deus,
Quis ferre, te præter, queat
Mœréntibus solátium?
MUNDUS facessat: nil opis
Favóre præstat fútili:
Fallácibus quin ásperat
Alitque fomentis malum.
FLAGELLA nos terrent tua;
Non illa spem demunt tamen:
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medéla vúlnerum.
AT ímpetus libídinum
Ferocientes cómprime:
Hæc vera nos vexant mala,
Sanáre quæ solus potes.
QUID ergo cessas? íngruunt
Intùs forìsque prælia;
Hosti-ne præda mens erit
Christi redempta sánguine?
AUDIS precantes: ánxiæ
Spes blanda jam menti redit:
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavóres díscutit.

Sit Trinitáti glória,
Quæ sic flagellis quos amat
Exercet, ut clementiæ
Rursum recordétur suæ.
Amen.

℣. Exultábo mane misericórdiam tuam; ℟. Quia factus es susceptor meus in die tribulatiónis. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos óriens ex alto, illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant 3. c. Exurge.

PSALMUS 43.

Deus, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis opus * quod operátus es in diébus eórum, et in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, et plantasti eos: * afflixisti pópulos, et expulisti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos.

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * et gládius meus non salvábit me.

Salvasti enim nos de affligéntibus nos, * et odientes nos confudisti.

DIVISIO PSALMI 43.

In Deo laudábimur totà die; * et in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulisti, et confudisti nos; * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros; * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escárum, * et in géntibus dispersisti nos.

Vendidisti pópulum tuum sine prétio, * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totà die verecúndia mea contra me est; * et confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis et obloquentis, * à fácie inimíci et persequentis.

Hæc ómnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te, * et iníque non égimus in testamento tuo.

Et non recessit retrò cor

nostrum, * et declinasti sémitas nostras à via tua;

Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

ALTERA DIVISIO PSALMI 43.

Si oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exurge, quare obdormis, Dómine? * exurge, et ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis? * oblivísceris inópiæ nostræ et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exurge, Dómine, ádjuva nos; * et rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Exuge; quare, obdormis, Dómine? exurge, et ne repellas in finem.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Circumdedérunt.

PSALMUS 39.

Expectans expectávi Dóminum, * et intendit mihi.

Et exaudívit preces meas; * et eduxit me de lacu miséríæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * et direxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt; * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, * et non respexit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium et oblatiónem noluisti; * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccáto non postulasti: * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

DIVISIO PSALMI 39.

Annuntiavi justítiam tuam in ecclésia magna; * ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo: * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam et veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus; * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei; * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te; * et dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, et protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

Si verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injustítias manus vestræ concinnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secundùm similitúdinem serpentis: * sicut áspidis surdæ, et obturantis aures suas;

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * et venéfici incantantis sapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decurrens: * intendit arcum suum, donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priusquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindictam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant. Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me. *Ps.* 39.

Capitulum. (2. *Cor.* 1.)

Supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipsi nobismetipsis res-

ponsum mortis habúimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos; qui de tantis perículis nos erípuit, et éruit; in quem sperámus quóniam et adhuc erípiet.

℟. *br.* Multiplicáti sunt, * Qui odérunt me gratìs. Multiplicáti sunt. ℣. Confortáti sunt * qui persecúti sunt me injuste, * Qui odérunt me gratis. Glória Patri. Multiplicáti sunt. *Ps.* 68.

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: ℟. Ad defensiónem meam cónspice. *Ps.* 21.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Potum meum.

PSALMUS 101.

Domine, exaudi oratiónem meam; * et clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tribulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, et áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

*Símilis factus sum pelicáno solitúdinis; * factus sum* sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * et qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ et indignatiónis tuæ; * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

DIVISIO PSALMI 101.

Tu exurgens miseréberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * et vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * et non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera: * et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospexit de excelso

sancto suo : * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * et laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, et reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

ALTERA DIVISIO PSALMI 101.

Initio tu, Dómine, terram fundasti : * et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes :

Et omnes sicut vestimentum veterascent; * et sicut opertórium mutábis eos, et mutabuntur.

Tu autem idem ipse es, * et anni tui non deficient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * et semen eórum in séculum dirigétur.

Ant. Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ et indignatiónis tuæ, Dómine.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Vobis, tanquam fíliis, lóquitur [*Deus*] *dicens : Fili mi, noli negligere disciplínam Dómini, neque fatigéris* dum ab eo argúeris : quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem fílium quem récipit. In disciplína perseveráte.

℟. *br.* Ego, Dómine, * In flagella parátus sum. Ego. ℣. Et dolor meus * in conspectu meo semper : * In flagella. Glória Patri. Ego, Dómine.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum; ℟. Et gémitus meus à te non est abscónditus. *Ps.* 37.

AD NONAM.

Ant. 6. *F.* Deus meus.

PSALMUS 21.

Deus, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquisti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies; * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberasti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt; * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo; * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes videntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

DIVISIO PSALMI 21.

[Deus meus] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * et dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis; * et in púlverem mortis deduxisti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeraverunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestimenta mea, *et super vestem meam misérunt sortem.*

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis; * et à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

ALTERA DIVISIO PSALMI 21.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * universum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel; * quóniam non sprévit neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avertit fáciem suam à me; * et cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabuntur; et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dóminum * universi fines terræ.

Et adorábunt in conspectu ejus * universæ famíliæ géntium;

Quóniam Dómini est regnum, * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adora-

vérunt omnes pingues terræ : * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet ; * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra ; * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Deus meus, quare me dereliquisti ? longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Capitulum. (*Thren.* 5.)

QUARE in perpétuum obliviscéris nostrî ? derelinques nos in longitúdine diérum ? Converte nos, Dómine, ad te, et convertémur : ínnova dies nostros, sicut à princípio ; sed projíciens repulisti nos, irátus es contra nos vehementer.

℟. *br.* Usquequò, Dómine, * Obliviscéris me in finem ? Usquequò. ℣. Usquequò exaltábitur * inimícus meus super me ? * Obliviscéris me. Glória Patri. Usquequò. *Ps.* 12.

℣. Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : ℟. Ne obliviscáris páuperum. *Ps.* 9.

AD VESPERAS.

Ant. 4. A. Supra dorsum.

PSALMUS 128.

SÆPE expugnavérunt me à juventúte *mea*, * *dicat nunc Israel.*

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea ; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus * concídit cervíces peccatórum.

Confundantur et convertantur retrorsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod, priusquàm evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam, qui metit ; * et sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : prolongavérunt iniquitátem suam.

Ant. 2. D. Posuisti.

PSALMUS 138.

DOMINE, probasti me, et cognovisti me : * tu cognovisti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longè : * sémitam meam et funículum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima et

antíqua : * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo ? * et quò à fácie tua fúgiam ?

Si ascéndero in cœlum, tu illìc es : * si descéndero in infernum, ades :

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabuntur à te; et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : * sucepisti me de útero matris meæ.

Ant. Posuisti super me manum tuam, Dómine : quò à fácie tua fúgiam ?

Ant. 6. F. Confitébor tibi.

DIVISIO PSALMI 138.

Confitebor tibi, [Dómine] quia terribíliter magnificátus es; * mirabília ópera tua, et ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os *meum à te, quod* fecisti in *occulto;* * *et* substántia mea *in inferióribus* terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui; et in libro tuo omnes scribentur : * dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabuntur : * exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum, declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam ?

Perfecto ódio óderam illos; * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognosce sémitas meas;

Et vide si via iniquitátis in me est, * et deduc me in via æterna.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima mea cognoscit nimis.

Ant. 3. b. Custódi me, Dómine.

PSALMUS 139.

Eripe me, Dómine, ab hómine malo : * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris; * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt superbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

Ant. 7. c. Dómine, Dómine.

DIVISIO PSALMI 139.

Domine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes : in ignem dejícies eos; * in misériis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus *judícium ínopis*, * et *vindíctam páuperum*.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo; * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne derelinquas me.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Deponentes omne pondus et circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; aspicientes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contemptâ.

HYMNUS.

Lugete, pacis Angeli :
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocentûm sústinet.

Amoris ô miráculum!
O cordis humáni stupor!
Insons Deus neci datur;
Pigébit et sontes pati!

Nos sempiternis crux tua,
O Christe, flammis éruit :
Hic ure vindex, hic seca,
Parcas in æternum modò.

Caro reclámat; sed Patris
Urget voluntas : nos tuâ
Virtúte da fortes sequi,
Jesu, quod exemplo doces.

Livore sanátos tuo,
Tuoque lotos sánguine,
Peccando ne novam sinas
Paráre nos tibi crucem.

Qui Fílium tradit, Patri,
Natoque sit laus víctimæ :
Par sit tibi laus, qui sacram

Succendis aram, Spíritus. Amen.

℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die : ℟. Expandi ad te manus meas. *Ps.* 87.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. *D.* Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo : dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Dómine.

PSALMUS 37.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum et curvátus sum usque in finem : * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus ; * et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliátus sum nimis : * rugiébam *à gémitu cordis mei.*

Dómine, ante te omne desidérium meum ; * et gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea ; * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum

DIVISIO PSALMI 37.

Amici mei, et próximi mei * adversùm me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt ; * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala míhi, locúti sunt vanitátes, * et dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergáudeant mihi inimíci mei ; * et, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum ; * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo ; * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vi-

vunt, et confirmáti sunt super me; * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

MISERERE meî, Deus, quóniam conculcávit me homo : * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die, * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo; * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscondent : * ipsi calcáneum meum observabunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissióne tua.

Tunc convertentúr inimíci mei retrorsùm * in quacumque die invocávero te.

Ecce cognóvi * quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum : * in Dómino laudábo sermónem.

In Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi;

Quóniam eripuisti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Dómine Deus meus, ne discésseris à me. *Ps.* 37.

SABBATO.

OFFICII FINIS.

Bonorum operum Deus merces magna nimis, Canticis gratiarum actionis celebratur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DOMINUS ipse est Deus noster: * Veníte, adorémus. *Ps.* 94.

HYMNUS.

TANDEM peractis, ô Deus,
Sexto diérum límite,
Ponis módum labóribus,
Orbíque plaudis cóndito.
AT dum perenni séptimam
Lucem quiéti cónsecras,
En te reposcit dénuo
Alter creatórem labor.
TE cuncta nempe prædicant;
Te terra, pontus, sídera
Cantu celébrant æmulo;
Peccátor unus díssonat.
TU pectus aufer sáxeum;
Tu cárneum pectus crea:
Et caritátis úberes
Fructus canent hymnum tibi.
HÆC te juvant præcónia,
Si facta voci cónsonent:
Sic efficáci fléctitur
Divína majestas prece.
ÆTERNA laus et glória
Uni sit et trino Deo;
Qui cuncta nutu cóndidit,
Nutúque servat cóndita.
Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 3. a. Propter innocéntiam.

PSALMUS 40.

BEATUS qui intélligit super egénum et páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conservet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * et loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei : * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me : * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me; * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in sécalum : * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

AUDITE hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem,

Quique terrígenæ, et fílii hóminum, * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * et in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam;

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * et laborábit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit sapientes morientes.

Simul insípiens et stultus períbunt, * et relinquent aliénis divítias suas.

Et sepulcra eórum domus illórum in æternum; tabernácula eórum in progénie et progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis; * et pósteà in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inferno pósiti sunt : * mors depascet eos.

Et dominabuntur eórum justi in matutíno; * et auxílium eórum veterascet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

DIVISIO PSALMI 48.

NE timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * et cùm

multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non sumet ómnia; * neque descendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi, cùm beneféceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum; * et usque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est jumentis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Propter innocéntiam suscepisti me, Deus; et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. *Ps.* 40.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 5. F. Tibi, Deus.

PSALMUS 61.

NONNE Deo subjecta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus: * susceptor meus, non movébor ámpliùs.

Quousque irrúitis in hóminem? * interfícitis universi vos tanquam paríeti inclináto, et macériæ depulsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucurri in siti: * ore *suo benedicébant*, et corde *suo maledicébant*.

Verúmtamen Deo subjecta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et Salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea: * Deus auxílii mei: et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in æternum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potestas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexisti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem;

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram,

ut sagittent in occultis immaculátum.

Sábitò sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscondérent láqueos: * dixérunt, Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum; * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos; * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo; * et laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

Confitebimur tibi, Deus, * confitébimur, et invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi columnas ejus.

Díxi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * et delinquéntibus: Nolíte *exaltáre cornu.*

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem;

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, * neque à desertis móntibus.

Quóniam Deus judex est: * hunc humíliat, et hunc exaltat.

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto; * et inclinávit ex hoc in hoc.

Verúmtamen fæx ejus non est exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * et exaltabuntur córnua justi.

Ant. Tibi, Deus, confitébimur, et invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua. *Ps.* 74.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Cogitátio hóminis.

PSALMUS 75.

Notus in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis: * turbáti sunt omnes insipientes corde.

Dormiérunt somnum suum; * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit, et quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera,

Terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

Deus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * et cogitavérunt adversùs sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, et disperdámus eos de gente, * et non memorétur nomen Israel ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter: * simul adversùm te testamentum disposuérunt tabernácula Idumæórum et Ismahelítæ,

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis; * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ, * sicut Jabin in torrente Cisson.

Disperiérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

DIVISIO PSALMI 82.

Deus meus, pone illos ut rotam, * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit sylvam, * et sicut flamma combúrens montes;

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ; * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubescant et conturbentur in séculum sécuti, * et confundantur, et péreant:

Et cognoscant quia nomen tibi, Dóminus; * tu solus Altíssimus in omni terra.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi; et relíquiæ

cogitatiónis diem festum agent tibi. *Ps.* 75.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

℣. *Sacerd.* Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, ℟. Totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 4. d. Pérfice.

PSALMUS 16.

EXAUDI, Dómine, justítiam meam: * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti; et non est inventa in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveantur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudisti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Ant. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveantur vestígia mea.

Ant. 7. b. In justítia.

DIVISIO PSALMI 16.

INIMICI mei ánimam meam circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projicientes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dómine, præveni eum, et supplanta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis; * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. In justítia apparébo conspéctui tuo: satiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. 1. *f.* Parátum.

PSALMUS 56.

MISERERE meî, Deus, pi-

serére meî, * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, et liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam; * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma et sagittæ; * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam; * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo et psalmum dicam.

Exurge, glória mea; exurge, psaltérium et cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine: * et psalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, *Deus;* * *et super omnem terram glória tua.*

Ant. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: cantábo, et psalmum dicam.

Ant. 5. a. Date magnificéntiam.

In Feriis,

CANTICUM MOYSI.

(Deut. 32.)

AUDITE, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

Concrescat ut plúvia doctrína mea: * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, * et quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfecta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus.

Peccavérunt ei, et non filii ejus in sórdibus: * generátio prava atque perversa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Memento diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi: * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat fílios Adam,

Constítuit terminos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini pópulus ejus : * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra deserta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis.

Circumduxit eum, et dócuit, * et custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila prévocans ad volandum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expandit alas suas, et assumpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excelsam terram, * ut comédéret fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleumque de saxo duríssimo;

Bútyrum de armento, et lac de óvibus, * cum ádipe agnórum et aríetum filiórum Basan,

Et hircos cum medulla tritici; * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est dilectus, et recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * et recessit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquisti; * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum fílii sui, et fíliæ.

Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succensus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inferni novíssima;

Devorabitque terram cum gérmine suo, * et móntium fundamenta combúret.

Congregábo super eos mala; * et sagittas meas complébo in eis.

Consumentur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius et intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lactentem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propteriram inimicórum dístuli, * ne fortè superbírent hostes eórum;

Et dícerent: Manus nostra excelsa, et non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia: * útinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodò persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ídeò quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit íllos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * et de suburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis; * et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesauris meis?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà est dies perditiónis; * et adesse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * et clausi quoque *defecérunt, residuíque consumpti sunt.*

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum?

Surgant, et opitulentur vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * et non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, et ego vívere fáciam; percútiam, et ego sanábo: * et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, et dicam: * Vivo ego in æternum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * et his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo sagittas meas sánguine, * et gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur:

Et vindictam retríbuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Date magnificéntiam Deo nostro: Dei perfecta sunt ópera.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(Judith 16.)

INCIPITE Dómino in tympa-

nis : * cantáte Dómino in cymbalis.

Modulámini illi psalmum novum : * exaltáte, et invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella : * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne, * in multitúdine fortitúdinis suæ :

Cujus multitúdo obturávit torrentes, * et equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * et júvenes meos occisúrum gládio,

Infantes meos dare in prædam, * et vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, et trádidit eum in manus féminæ, * et confódit eum.]

Ant. 2. D. Laudáte Dómin.

PSALMUS 116.

LAUDATE Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli ;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * et véritas Dómini manet in æternum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes pópuli; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

Capitulum. (*Coloss.* 1.)

NON *cessámus pro vobis* orantes, et postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intellectu spiritáli ; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, et crescentes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus.

HYMNUS.

RERUM Creátor ómnium,
Nostros labóres ádjuva ;
Ut casta Christi nómine
Nos vita dignos árguat.

TU nempe sanctus et potens,
Placére das solus tibi :
Tu legis auctor das sequi
Quod lege præmonstras iter.

CINGUNT itèr perícula,
Tu lúbricos firma pedes ;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O META felix, pax ubi
Et vera nos manet quies ;
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos !

TE mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te sitit :
Tuâ redemptis grátiâ,
Æterna redde præmia.
Amen.

℣. Deduc me, Dómine, in via tua et ingrédiar in veritáte tua : ℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel. Luc. 1.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Notam.

PSALMUS 87.

DOMINE Deus salútis meæ, * in die clamávi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam;

Quia repléta est mális ánima mea, * et vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber :

Sicut vulneráti dormientes in sepulcris, quorum non es memor ámpliùs; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferiori, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua; * et justítia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, et in labóribus à juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ; * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum et próximum, * et notos meos à miséria.

PSALMUS 142.

DOMINE, exaudi oratiónem meam : * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; * et anxiátus est super me spíritus meus : in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me ; * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam ; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

DIVISIO PSALMI 142.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * et in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; quia ad te levávi ánimam meam, Dómine. *Ps.* 142.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Afferte Dómino.

PSALMUS 28.

Afferte Dómino, fílii Dei ; * afferte Dómino fílios aríetum.

Afferte Dómino glóriam et honórem ; afferte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas ; Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros ; * et confringet Dóminus cedros Líbani,

Et commínuet eas tanquam vítulum Líbani ; * et dilectus quemádmodùm fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis : vox Dómini concutientis desertum ; * et commovébit Dóminus desertum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, et revelábit condensa ; * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * et sedébit Dóminus rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

PSALMUS 44.

Eructavit cor meum ver-

bum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum : diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ intende, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi : * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem; * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata variétate.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui :

Et concupiscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum

Et filiæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs : * in fimbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia et exultatióne; * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum, * et in séculum séculi.

PSALMUS 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo qui fecit eum; * et fílii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano et psaltério psallant ei;

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo, * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * lætabuntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gút-

ture eórum; * et gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciendam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * et nóbiles eórum in mánicis férreis;

Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

℣ *Ant.* Afferte Dómino glóriam et honórem. *Ps.* 28.

Capitulum. (*Coloss.* 3.)

OMNE quodcumque fácitis, in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi; grátias agentes Deo et Patri per ipsum.

℟. *br.* Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus * in ore meo, * In omni témpore. Glória Patri. Benedícam. *Ps.* 33.

℣. Laudábo Dóminum in vita mea: ℟. Psallam Deo meo, quámdiu fúero. *Ps.* 145.

AD SEXTAM:

Ant. 1. *g.* Adjútor.

PSALMUS 45.

DEUS noster refúgium et virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ

congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi videntes sic admiráti sunt, * conturbáti sunt, commóti sunt.

Tremor apprehendit eos : * ibi dolóres ut parturientis.

In spíritu vehementi * cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in æternum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exultent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, et distribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera ;

Quóniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in séculum séculi : * ipse reget nos in sécula.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus, et pópulus Æthíopum ; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea ; * et ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Adjútor noster Deus; proptérea non timébimus. *Ps.* 45.

Capitulum. (2. *Petr.* 1.)

SATAGITE ut per bona ópera certam vestram vocatiónem et electiónem faciátis; hæc enim facientes, non peccábitis aliquando.

℟. *br.* Quærite Dóminum, * Et confirmámini. Quærite. ℣. Quærite * fáciem ejus semper, * Et confirmámini. Glória Patri. Quærite Dóminum. *Ps.* 104.

℣. Accédite ad eum, et illuminámini ; ℟. Et fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Pauper.

PSALMUS 59.

DEUS, repulisti nos, et destruxisti nos : * irátus es, et misertus es nobis.

Commovisti terram, et conturbasti eam : * sana con-

tritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura : * potasti nos vino compunctiónis.

Dedisti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs ;

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac déxterâ tuâ, et exaudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Lætábor, et partíbor Síchimam, et convallem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manasses ; * et Ephraim fortitúdo cápitis mei :

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos ? * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem ; * et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

PSALMUS 73.

Ut quid, Deus, repulisti in finem ? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ ?

Memor *esto congregatió*nis tuæ, * quàm possedisti ab inítio.

Redemisti virgam hæreditátis tuæ : * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa ; * et non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum : * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus : jam non est prophéta ; * et nos non cognoscet ámpliùs.

DIVISIO PSALMI 73.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus ? * irrítat adversárius nomen tuum in finem ?

Ut quid avertis manum tuam et déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem ?

Deus autem, rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmasti in virtúte tua mare; * contribulasti cápita dracónum in aquis.

Tu confregisti cápita dracónis: * dedisti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes: * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem et ver, tu plasmasti ea.

Memor estó hujus, inimícus improperávit Dómino;* et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

Ant. Pauper et inops laudábunt nomen tuum, Dómine. *Ps.* 73.

Capitulum. (*Philipp.* 4.)

QUÆCUMQUE sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℟. *br.* Mandasti justítiam * Testimónia tua. Mandasti. ℣. Et veritátem tuam * nimis, * Testimónia tua. Glória Patri. Mandasti.

℣. Feci judícium et justítiam: ℟. Non tradas me calumniántibus me. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Beáti omnes.

PSALMUS 127.

BEATI omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Beáti omnes qui ti-

ment Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

Ant. 1. a. Surge, Dómine.

PSALMUS 131.

MEMENTO, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam; * et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas fáciem christi tui.

Ant. Surge, Dómine, in réquiem tuam; et sancti tui exultent.

Ant. 7. ç. Sion réquies mea.

DIVISIO PSALMI 131.

JURAVIT Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * et testimónia mea hæc quæ docébo eos;

Et fílii eórum usque in séculum * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári; * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc producam cornu David: * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in séculum séculi: sancti ejus exultatióne exultábunt.

Ant. 2. D. Deus meus.

PSALMUS 143.

BENEDICTUS Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia meo, et refúgium meum; * susceptor meus, et liberátor meus.

Protector meus, et in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est: * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, et descende: * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos: * emitte sagittas tuas, et conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto: éripe me, et líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem; * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus, misericórdia mea, et susceptor meus.

Ant. 6. F. Beátus.

DIVISIO PSALMI 143.

Deus, cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachordo psallam tibi.

Qui das salútem régibus; * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno, éripe me,

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem; * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum fílii sicut novellæ plantatiónes * in juventúte sua.

*Filiæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.*

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt: * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Capitulum. (*Tit.* 2.)

Salvator noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.

HYMNUS.

Supreme motor córdium,
Tu sanctitátis frúgibus
Justos ab orbe cóndito
Tenóre ditas pérpeti.

Hic spes, fides et cáritas
Dulci cohærent vínculo:
Præsentis ævi post diem
Manébit una cáritas.

O caritas! ô véritas!
O lux perennis! en erit,
Post tot labóres, ut tuo
Tandem fruámur Sábbato.

Hic mille per discrímina
Semen gementes spárgimus:
Illic ovante spléndidam
Gestábimus messem manu.

Tu trine, tu potens Deus,
Fructus adauge quos petis:

Mox dona, justus árbiter,
Cœlo coronábis tua. Amen.

℣. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo; ℟. Et exaltábit mansuétos in salútem. *Ps.* 149.

Ad Magníficat, *Antiph. et Collecta, ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Miserére meî.

PSALMUS 50.

MISERERE meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum* dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * et à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * et peccátum meum contra me est semper:

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incerta et occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et *lætítiam: * et exultábunt ossa humiliáta.*

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in víscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * et spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas:* et ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocausta; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

INCLINA, Dómine, aurem tuam, et exaudi me; * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam,

quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserére meî, Dómine ; quóniam ad te clamávi totâ die : * lætífica ánimam servi tui ; quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis ; * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam ; * et intende voci deprecatiónis meæ.

In diẽ tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudisti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine ; * et non est secundùm ópera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, vénient et adorábunt coram te, Dómine, * et glorificábunt nomen tuum ;

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília ; * tu es Deus solus.

DIVISIO PSALMI 85.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitẽbor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in æternum ;

Quia misericórdia tua magna est super me, * et eruisti ánimam meam ex inferno inferiori.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam ; * et non proposuérunt te in conspectu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére meî : * da impérium tuum púero tuo, et salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundantur ; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me.

Ant. Miserére meî, Dómine ; quóniam ad te clamávi totâ die. *Ps.* 85.

Hymnus, Capit. etc. habentur in Ordinario Brev. post Suffragia ad Vesperas.

Vide, ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus comprobes. *Concil. Carth. IV, an.* 398, *Can.* 10.

Psalmus Benedictio populi est, Dei Laus, Plebis Laudatio, Plausus omnium, Sermo universorum, Vox Ecclesiæ, Fidei canora Confessio, auctoritatis plena Devotio, libertatis Lætitia, Clamor jucunditatis, lætitiæ Resultatio. Ab iracundiâ mitigat, à sollicitudine abdicat, à mœrore allevat; nocturna Arma, diurna Magisteria, Scutum in timore, Festum in sanctitate, Imago tranquillitatis, Pignus pacis, atque concordiæ, citharæ modò ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Dei Ortus Psalmum resultat, Psalmum resonat Occasus. Certat in Psalmo doctrina cùm Gratia simul. Cantatur ad delectationem, dicitur ad eruditionem. *S. Ambr. Præf. in Ps.*

ORDINARIUM BREVIARII.

Ante Orationem, præpara animam tuam; et noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Eccli.* 18.
Domine, doce nos orare. *Luc.* 11.

ANTE RECITATIONEM DIVINI OFFICII DICETUR AD DEVOTIONEM ORATIO SEQUENS.

APERI, Dómine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum; munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, perversis et aliénis cogitatiónibus; intellectum illúmina, affectum inflamma; ut dignè, attentè, ac devótè hoc Offícium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspectum divínæ majestátis tuæ: Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Dómine Jesu, in unióne illíus divínæ intentiónis, quâ ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Dicitur secretò:

PATER noster, qui es in cœlis; sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: et dimitte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris: et ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6.

AVE, María, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. *Luc.* 1.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

CREDO in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli et terræ: Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine: passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, et sepultus: descendit ad ínferos: tértiâ die resurrexit à mórtuis: ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis: inde ventúrus est judicáre vivos et mór-

tuos Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam æternam. Amen.

Deindè altâ voce dicitur, pollice signando sibi os signo crucis.

Domine, ✝ lábia mea apéries; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

Tùm signando se à fronte ad pectus, et à sinistro humero ad dextrum.

Deus, ✝ in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

Sequitur Invitatorium quod sicut et ceteræ partes Officii infrà designandæ, reperitur vel in Psalterio, vel in Proprio de Tempore, vel denique in Proprio aut in Communi Sanctorum.

Invitatorium autem semper bis dicitur ante Psalmum Veníte. *Et si Festum sit Solemne aut Annuale, repetitur etiam integrè post singulos ejusdem Psalmi versus; in Duplicibus verò et infrà, post secundum et quartum Versum, repetitur tantùm à reclamatione, quæ designatur per Asteriscum* *.

PSALMUS 94.

Venite, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et rex magnus super omnes deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diem tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi verò non cognovérunt vias meas: quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, etc.

*Hic in quolibet Festo fit tantùm reclamatio designata per Asteriscum *, deindè semel integrè repetitur Invitatorium.*

Hymnus, Antiphonæ, Versiculi, habentur in Psalterio, vel in propriis locis; Psalmi autem dicuntur prout distribuuntur in Psalterio pro singulis Hebdomadæ diebus, nisi aliter in quibusdam Festis notetur.

Dominica et in Officiis novem Lectionum, post singulos tres Psalmos cum suis Antiphonis et Versiculo, dicitur secretò, Pater noster.

Altâ voce,

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde Absolutio et Benedictiones ut sequitur.

IN I.º NOCTURNO

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

Adaperiat Deus cor nostrum in lege sua, et in præceptis suis; et det nobis cor ómnibus, ut colámus eum.

℟. Amen.

Ante quamlibet Lectionem, Lector petit Benedictionem, dicens: Jube, Domne, benedícere, *quod omittit qui solus recitat.*

BENEDICTIONES.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes. 1. ℟. Amen.*

Sic respondetur post omnes Absolutiones et Benedictiones.

2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16.

IN II.º NOCTURNO

ABSOLUTIO.

(3. Reg. 8.)

Deus noster inclínet corda nostra ad se, ut oustodiámus mandáta ejus.

BENEDICTIONES.

In Dominicis ac Festis Domini.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.
5. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.
6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis et dóceat nos de ómnibus 1. *Joan.* 2.

In Festis B. Mariæ Virginis.

4 Deus à quo missus est Angelus Gábriel ad Vírginem Maríam, mittat nobis de cœlis sapiéntiam. *Luc.* 1. *Sap.* 6.
5. Fílius Altíssimi, quem Virgo concépit et pépérit, det nobis fílios Dei fíeri. *Luc.* 1. *Joan.* 1.
6. Spíritus sanctus de quo est, quod in Maria natum

est, sanctíficet nos per ómnia. *Matth.* 1. *Thess.* 5.

In Festis Sanctorum.

4. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* c. 1.
5. Dignos nos fáciat in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1.
6. Aperiantur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, et accipiámus sortem inter Sanctos. *Act.* 26.

IN III.° NOCTURNO.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

DEUS memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

BENEDICTIONES.

7. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* c. 6.
8. Occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.
9. Deus spei répleat nos omni gáudio et pace in credendo; ut abundémus in spe et virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evang. cum Homilia, tunc nona Benedictio erit:

9. Evangélium non sit in sermóne tantùm, sed et in virtúte. *Rom.* 1.

Si tria legantur Evangelia, septima Benedictio erit:

7. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* 6.
8. Evangélium non sit in sermóne tantùm, sed et in virtúte. *Rom.* 1.
9. Permaneámus in fide fundáti, et immóbiles à spe Evangélii. *Coloss.* 1.

Si nona Lectio sit de Sancto, Benedictio erit:

9. Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fieri. 2. *Thess.* 1.

[*Quando D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquàm ipse præmisit ex more,* Jube, domne, benedícere, *dignior post ipsum dicit illi:* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem Episcopus respondet:* Oro ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia et in omni sensu. *Philipp.* 1. *Chorus,* ℟. Amen.

Idem observatur, ubi unicus est Presbyter.]

IN OFFICIO trium Lectionum post novem Psalmos, cum tribus Antiphonis et Versiculo, dicto Pater noster, *ut suprà, dicuntur ABSOLUTIONES et BENEDICTIONES ut sequitur.*

IN OFFICIO FERIALI, et intra Octavas Domini.

Feriâ II et V.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.

ADAPERIAT Deus cor nostrum in lege sua, et in præceptis suis; et det nobis cor ómnibus, ut colámus eum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1.
2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16.

Feriâ III et VI.

ABSOLUTIO.

(3. Reg. 8.)

DEUS noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus.

BENEDICTIONES.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.
2. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.
3. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, et dóceat *nos de ómnibus.* *1. Joan. 2.*

Feriâ IV et Sabbato.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

DEUS memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

BENEDICTIONES.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.
2. Occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.
3. Deus spei répleat nos omni gáudio et pace in credendo; ut abundémus in spe et virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si tertia Lect. sit de Evang., Bened. erit in qualibet Feria:

Evangélium virtus Dei sit in salútem omni credenti. *Rom.* 1.

IN OFFICIIS B. M. V. *quæ sunt trium Lectionum.*

ABSOLUTIO secundum Feriam.

BENEDICTIONES ut suprà in II. Nocturno pro Festis Beatæ Mariæ Virginis.

IN FESTIS SANCTORUM, *quæ sunt trium Lectionum,*

ABSOLUTIO erit secundùm Feriam; BENEDICT. verò ut suprà in II. Nocturno pro Festis Sanctorum.

Intrà OCTAVAS *Domini, et Beatæ Mariæ, ac etiam in Officio de Beatâ in Sabbato, si tertia Lectio sit de Sancto,*

tunc tertia BENEDICTIO *erit :*

Digni habeámur regno Dei cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fieri. 1. *Thess.* 1.

IN FESTIS *trium Lectionum, si tertia Lectio sit de Evangelio,* BENEDICTIO *erit :*

Evangélium virtus Dei sit in salútem omni credenti. *Rom.* 1.

Lectiones et RESPONSORIA *habentur in proprio de Tempore et de Sanctis.*

Post ultimum Responsor. dicitur, si dicendus sit, sequens

HYMNUS.

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, et universæ potestátes;

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant :

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus,

Dóminus Deus sábaoth.

Pleni sunt cœli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus* laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * immensæ majestátis :

Venerandum tuum verum, * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempiternus es Fílius :

Tu, ad liberandum suscepturus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum :

Tu, devicto mortis acúleo, * aperuisti credéntibus regna cœlórum :

℣ Tu ad déxteram Dei sedes* in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretioso sánguine redemisti.

Æternâ fac * cum Sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hæreditáti tuæ;

Et rege eos, * et extolle illos usque in æternum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in séculum, * et in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine;* miserére nostrî.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confundar in æternum.

Dicto Te Deum, *aut si non dicatur, post ultimum Responsorium,* dicitur ℣. Sacer-

dotalis ; et si non continuò sequantur Laudes, in quatuor Temporibus et in Vigiliis minoribus, dictis precibus ad Tertiam positis, hic dicitur :

Dóminus vobiscum. ℣. Et cum spíritu tuo. *Solus recitans :* Dómine exaudi oratiónem meam ; *et sic ad omnes orationes.*

Deindè COLLECTA *propria cum integra conclus. et iterùm*

Dóminus vobiscum. Benedicámus Dómino. ℣. Deo grátias. *Submissâ voce :* Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℣. Amen.

Pater noster, *secretò.*

Sic terminantur Laudes, Officium Capituli, Tertia Sexta, Nona et Vesperæ, quando unam ex his Horis aliud Officium non sequitur.

In eo autem casu, ante Laudes aut aliam quamcumque suprà dictam Horam, Officium præcedens continuò non sequentem, dicitur secretò Pater *et* Ave.

AD LAUDES.

DEUS, † in adjutórium meum intende ; ℣. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

PSALMI, ANTIPHONÆ, CAPITULUM, HYMNUS, Versiculus, ut notantur in Breviario.

In Solemnibus et suprà, Antiph. ad Benedictus *dicitur integra ante et post Cantic.*

CANTICUM ZACHARIÆ.

(Luc. 1.)

BENEDICTUS Dóminus Deus Israel, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ ;

Et erexit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium qui odérunt nos ;

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testamenti sui sancti :

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis ;

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte et justítia coram ipso, * omnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis ; * præíbis enim ante faciem Dómini paráre vias ejus ;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto.

Illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Post Antiphonam dicitur Dóminus vobiscum, *Collecta propria et cetera, ut suprà.*

Si facienda sit aliqua Commemoratio, fit eo loco per Ant. quæ posita est ad Benedictus *in Officio de quo fit Commemoratio, et Versiculum qui habetur post Hymnum Laudum; deindè dicitur Collecta ut notatur in Proprio, quæ, si non sequatur alia Commemoratio, terminatur per integram conclusionem. Si autem plures sint, ultima tantùm integrâ conclusione finitur, et iterùm dicitur* Dóminus vobiscum. Benedicámus Dómino, *etc.*

In Vigiliis quibus jejunatur, nisi aliter notetur, dicuntur flexis genibus seqq.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine: úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Orémus pro universo *Clero.* ℟. Sacerdótes tui induantur justítiam; et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. Pro Papa nostro *N.* ℟. Pascat hæreditátem Dómini in innocéntia cordis sui. *Ps.* 77.

℣. Pro Antístite nostro *N.* ℟. Dóminus conservet eum, et vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Pro Ecclésiâ sanctâ Dei. ℟. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedisti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Pro Rege nostro. ℟. Dómine, salvum fac regem nostrum *N.* et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Pro cuncto Pópulo. ℟. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ: et rege eos, et extolle illos usque in æternum. *Ps.* 27.

℣. Pro pace. ℟. Fiat pax in virtúte tua, Jerúsalem, et abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis et rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflictis, et captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℟. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Educat eos Dóminus in lucem, et vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Deinde dicitur Psalmus De profundis, *qui habetur suprà in Vesperis Feriæ quartæ*, 84. *et in fine*, Glória Patri, *etc.*

Finito Psalmo dicitur :

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos : ℟. Et ostende fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi óratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dicitur COLLECTA *de Dominica præcedenti, nisi propria assignetur.*

Dicto Benedicámus, *si facienda sit Commemoratio de aliquo Sancto, fit eo loco.*

Deindè, in Simplicibus et in Feriis, fiunt Suffragia seu Commemorationes communes ut sequitur.

DE S. CRUCE.

[*In Officio Feriali tantùm.*]

Ant. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2.

℣. Ipse rédimet Israel, ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

COLLECTA. Orémus.

PERPETUA nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

DE B. MARIA VIRGINE.

Ant. Benedicentur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen.* 28.

℣. Pópuli confitebuntur tibi in æternum : ℟. Mémores erunt nóminis tui. *Ps.* 44.

COLLECTA. Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére; et gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, et æternâ pérfrui lætítia; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postea fit Commem. de Patrono Ecclesiæ, ac de Titulari, si à Patrono differat. Si autem Ecclesia dedicata sit sub titulo SS. Trinitatis, aut S. Spiritûs, vel alicujus ex Mysteriis Christi, ejusmodi Commemoratio fit suo loco, ante vel post Orationem de Cruce; sed semper ante Suffragium de Beatâ. Quod si in honorem S. Crucis dedicata sit, supradicta Commem. de Cruce fit etiam in Festis simplicibus. Siverò sub invocatione B. Mariæ, non fit alia Commemor. de ea quàm quæ hìc habetur.

[*In Cathedrali, et in tota Diœcesi,*

DE S. LEONTIO.

Ant. Curávit gentem suam et liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50.

℣. Pavit eos in innocéntiâ cordis sui; ℟. Et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos. *Ps.* 77.

COLLECTA. Orémus.

BEATI Pontíficis Leóntii suffrágium recolentes, quæsumus, Dómine, ut et ipsíus patrocínio lætári, et veneranda virtútum exempla mereámur imitári; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.]

Posteà fit Commem. de omnibus Sanctis, et speciatim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.

Ant. Hi sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

℣. In æternum exultábunt, et habitábis in eis; ℟. Et gloriabuntur in te, Dómine. *Ps.* 5.

In Collecta sequenti, extra Eccles. omittitur vox [hac].

COLLECTA. Orémus.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, et ómnium Sanctórum, mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur adversis; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ULTIMO, PRO PACE.

Ant. Deus qui fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, et fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, et corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

AD PRIMAM.

Pater, Ave, *si separetur à Laudibus.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

Glória Patri.

HYMNUS.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.

NIL lingua, nil peccet manus,
Nil mens ináne cógitet:

implex véritas,
e regnet cáritas.
PTA dùm fluet dies,
ste, custos pérvigil,
evus hostis óbsidet
tuére sénsuum.
TA diurnus ut tuæ
viat laudi labor :
e quæ te cœpimus,
ivente prósequi.
RBA ne nimis caro
icenter ímperet;
domet supérbiam
ibíque párcitas.
n nos creávit, laus
tri;
qui redémit, Fílio;
ritáte nos foves,
tibi laus, Spíritus.
nen.

æc Doxologia omitti-
ando alia assignatur,
rio de Tempore vel de
; et sic ad alias Horas.
Dominicis et in Fe-
fficio, Psalmi et Anti-
untur, ut in Psalterio
ntur pro singulis die-

'estis verò, Antiphona
r de Proprio, vel de
uni, et est prima de
us, nisi propria assig-
Psalmi autem dicun-
n Psalterio.]
oties dicti sunt Psalmi
inica, dicitur sequens

itulum. (*Ephes.* 5.)

aliquando ténebræ;
utem lux in Dómino.
ilucis ambuláte; fruc-
im lucis est in omni
te, *et justítiâ, et ve-*
ritáte : probantes quid sit
beneplácitum Deo.

℟. Deo grátias.]

Aliis diebus,

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

VIDETE, fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quóniam dies mali sunt.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui sedes * ad déxteram Patris. [*Hic versus quandoquè mutandus est, ut notatur in Proprio.*] * Miserére nobis. Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

[*In omni Officio Semiduplici et suprà, hìc dicitur* Dóminus vobiscum, *deinde Collecta* Dómine, Deus, *ut infrà.*]

Aliis diebus dicuntur sequentes Preces et quidem flexis genibus si Preces dictæ sunt ad Laudes.

PRECES.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50.

[*Quando Preces dicuntur flexis genibus, adduntur sequentes* ℣℣ *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum sécuri ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, et doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à século sunt. *Ps.* 24.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. *Ps.* 102.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum: ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.]

Deindè signando se signo Crucis,

℣. Adjutórium nostrum ✝ in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens:

Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, [et vobis, fratres] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere, *ad sequentia verba ter percutitur pectus*, meâ culpâ, meâ cul-

pâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Jóannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, [et vos, fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus dicit : MISEREATUR tuî omnípotens Deus; et, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam. *Hebdomad. respondet*, Amen.

Deindè Chorus facit Confessionem; et ubi dictum est vobis, fratres, *et* vos, fratres, *dicit* tibi, pater, *et* te, pater. [*Mulieres in suis Conventibus, loco* fratres *et* pater, *dicunt*, soróres *et* mater.]

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit :

MISEREATUR vestrî omnípotens Deus; et, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit*, Confíteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, et additâ particulâ* et, *ante voces* ómnibus *et* omnes. *Deindè* Misereátur, *semel, ad quod dicit*, nostrî, nostris, nos. *Idem observatur quando nullus adest Presb.*

Deindè signando se signo Crucis,

INDULGENTIAM, ✝ absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et misericors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem, dicit :

℣. Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine : ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemadmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

DOMINE Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti, tuâ nos hodiè salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes et ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur; sed statim Hebdomadarius dicit : ℣. Pretiósa, *et cetera quæ sequuntur; si verò non legatur* Martyrol. Offi-

cium Capituli incipitur absolutè sic :

℣. Pretiósa in conspectu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SANCTA María, et omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundùm eum qui vocávit nos, Sanctum, et ipsi in omni conversatióne sancti simus. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1. ℟. Amen.

[*Deindè, ubi legitur Necrologium, post ejus lectionem dicitur Ps.* De profundis, 84, *et in fine*, Réquiem, *cum* ℣℣. Requiescant in pace. Sancta et salúbris. Dómine exaudi. Dóminus vobiscum, *deindè Collecta ut sequitur; ubi verò non legitur Necrologium, dicitur tantùm sequens* ℣. *cum Collecta.*]

℣. Sancta et salúbris est cogitátio pro Defunctis exoráre, ℟. Ut à peccátis solvantur. 2. *Mach.* 12.

ABSOLVE, quæsumus, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glóriâ, inter sanctos et electos tuos ressuscitáti respírent: per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et séculum per ignem.

℟. Amen.

[*In Dominicis et Festis feriatis à populo, hic fit Lectio Canonis ut infrà.*]

Aliis diebus dicuntur sequentes

PRECES AD OPERA DIURNA.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua. ℟. Et dírige fílios eórum.

℣. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; ℟. Et ópera mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

Glória Patri, *et* Sicut erat.

COLLECTA. Orémus.

DIRIGERE et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli et terræ, hódiè corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros, in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum; ut hìc, et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis et regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

LECTIO CANONIS.

Lector, Jube, domne, benedícere. [*Lectrix dicit*, domna; *solus vel sola recitans, dicit absolutè.*] Bened. Det

Dóminus leges suas in mentem nostram, et in corde nostro superscríbat eas. *Hebr.* 8. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur ad calcem Breviarii; in cujus fine dicitur, Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

Post Lectionem, Hebdomadarius dicit : ℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Submissiori voce dicit : Benedícite. *Lector versus ad eum,* Deus. *Hebd.* Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem, fáciens in nobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum : cui est glória in sécula seculórum. *Hebr.* 13. *Lector,* ℟. Amen.

Post quamlibet Horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò :

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen. *Deinde,* Pater noster.

AD TERTIAM.

Pater, Ave, *si separetur à Prima.*

℣. Deus, ✠ in adjutórium meum.

HYMNUS.

O FONS amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

QUI caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

[*In Dominicis et in Feriali Officio, Psalmi et Antiphonæ dicuntur, ut singulis diebus assignantur in Psalterio.*

In quocumque alio Officio, Antiphona semper sumitur de Proprio, vel de Communi, et est secunda de Laudibus, nisi propria assignetur. Psalmi autem dicuntur ut in Psalterio.]

Capitulum et ℟. *breve sumuntur ubi sumitur Antiphona super Psalmos; et sic ad alias Horas.*

PRECES.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam et Nonam, hæ dicuntur flexis genibus.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò,* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Collecta conveniens.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

Pater, Ave, *si separetur à Tertia.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

HYMNUS.

Nunc solis excelsum jubar
Toto coruscat lúmine;
Sic, Christe, tu mundum novâ,
Sol verus, accendis face.
Fac pura nostris fúlgeat
Lux veritátis méntibus,
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Psalmi, Capit. ℟. *br. ut in Psalt. aut in Proprio. Preces, si dicendæ sint, ut suprà ad Tertiam.*

Collecta conveniens.

AD NONAM.

Pater, Ave, *si separetur à Sexta.*

℣. *Deus,* ✝ *in* adjutórium.

HYMNUS.

Prono volútus ímpetu
Inclinat in noctem dies;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.
O Christe, dùm fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Psalmi, Capitul. ℟. *br. ut in Psalt. aut in Proprio. Preces, si dicendæ sint, ut suprà ad Tertiam.*

Collecta conveniens.

AD VESPERAS.

Pater, Ave, *si separentur à Nona.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium.

Psalmi ut in Psallerio, Antiphonæ et Capitulum vel de Psallerio, vel de Proprio.

In primis Vesperis Duplicium-majorum, et suprà, dicitur Responsorium ut in Proprio vel in Communi; in secundis Vesperis Annualium et Solemnium, loco Responsorii, post Capitulum dicitur Allelúia *cum* ℣. *ut in Proprio vel in Communi.*

Sequitur Hymnus et Versiculus.

Antiphona ad Magníficat, *in Solemnibus et suprà, dicitur integra ante et post Canticum.*

CANTICUM B. MARIÆ VIRGINIS.

(Luc. 1.)

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum,

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo;

Quia respexit humilitátem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est; * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Depósuit potentes de sede; * et exaltávit húmiles.

Esurientes implévit bonis, * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham et sémini ejus in sécula.

Post Antiphonam, dicitur: Dóminus vobiscum. *Collecta conveniens. Deindè*

℣. Dóminus vobiscum.

℟. Et cum Spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Si faciendæ sint Commemorationes de Sanctis, fiunt eo loco.

Posteà in Simplicibus et Feriis, fiunt Suffragia, seu Commemorationes Communes, ut sequitur.

DE SANCTA CRUCE.

[*In Officio Feriali tantùm.*]

Ant. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Galat.* 6.

℣. In Deo salutáre meum, ℟. Et glória mea. *Ps.* 61.

COLLECTA. Orémus.

PERPETUA nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es, Qui vivis et regnas Deus. ℟. Amen.

DE B. MARIA.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum: ℟. Vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

COLLECTA. Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, et æternâ pérfrui lætítiâ; Per Christum Dóminum nostrum.

Postea fit Commem. de Patrono et Titulari ut dictum est suprà 157.

[*In Cathedrali, et in tota Diœcesi.*

DE S. LEONTIO.

Ant. Hic est fratrum amá-

tor et pópuli : hic est qui multùm orat pro pópulo, et universà civitáte. 2. *Mach.* 15.

℣. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : ℟. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum. *Ps.* 19.

COLLECTA. Orémus.

BEATI Pontíficis Leóntii suffrágium recolentes, quæsumus, Dómine, ut et ipsíus patrocínio lætári, et veneranda virtútum exempla mereámur imitári; Per Christum, *etc.* ℟. Amen.

Deinde de omnibus Sanctis, et specialim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in regno Patris eórum. *Matth.* 13.

℣. Justi confitebuntur nómini tuo, Dómine; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139.

COLLECTA. Orémus.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, et ómnium Sanctórum, mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur adversis; Per Christum Dóminum nostrum.

ULTIMO, PRO PACE.

Ant Deus memínerit testamenti sui, et fáciat pacem; nec déserat in témpore malo. 2. *Mach.* 1.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem ℟. In plebem suam. *Ps.* 84.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera : da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátâ formídine; témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, *etc.*

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

AD COMPLETORIUM.

Pollice signando pectus absolutè dicitur :

CONVERTE † nos, Deus salutáris noster; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, † in adjutórium.

Antiphona et Psalmi ut in Psalterio, nisi assignetur Ant. propria.

HYMNUS.

GRATES, peracto jam die,
Deus, tibi persólvimus,
Pronóque, dùm nox íncipit,
Prosternimus vultu preces.

QUOD longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vúlnera.

INFESTUS usque círcuit
Quærens leo quem dévoret:

Umbrâ sub alárum, tuos
Defende fílios, Pater.
O QUANDO lucescet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quando sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!
QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

In omni Officio de Beata Maria Virgine.

HYMNUS.

VIRGINEIS títulis Matris quæ jungis honóres;
Hâc natos fóveas nocte, benigna, tuos.
FULGIDA stella maris, secli dum mérgimur undis,
Sis lux in ténebris et benè fida quies.
SI sopor obrépit, casti fac Mater amóris,
Cor vígilans uno spiret amóre Dei.
NUMINIS alma Parens, própiùs res áspice nostras:
Plebis ames dici vita salusque tuæ.
GLORIA summa Patri; compar sit glória Nato;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

[*Quoties dicti sunt Psalmi de Dominica, dicitur sequens*

Capitulum. (1. *Thess.* 5.)

OMNES vos fílii lucis estis, et fílii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum: ígitur non dormiámus sicut et céteri, sed vigilémus et sóbrii simus. ℟. Deo grátias.]

Aliis diebus,

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

SOBRII estóte, et vigiláte; quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide: ℟. Deo grátias.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine,* Commendo spíritum meum. In manus tuas. ℣. Redemisti me, Dómine,* Deus veritátis:* Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ant. 3. c. Sive vigilémus.

CANTICUM SIMEONIS.

(Luc. 2.)

NUNC dimittis servum tuum, Dómine,* secundùm verbum tuum, in pace;
Quia vidérunt óculi mei* salutáre tuum,
Quod parasti* ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatiónem géntium,* et glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. 1. *Thess.* 5.

In Semiduplicibus et suprà, hic dicitur Dóminus vobis-

cum, *deinde Collecta, ut infrà; aliis diebus dicuntur sequentes*

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum; ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum; ℟. Et laudábile, et superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

℣. Benedictus es in firmamento cœli; ℟. Et laudábilis, et gloriósus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster: ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66.

Deinde fit Confessio ut suprà ad Primam, 160.

℣. Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine; ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi, oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. *Dóminus* vobiscum, ℟. *Et cum spíritu* tuo.

COLLECTA. Orémus.

Illumina, quæsumus, Dómine, ténebras nostras, et totius hujus noctis insídias tu à nobis repelle propítius; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

[*Si domi dicatur, loco præcedentis Collectæ dicitur sequens*

COLLECTA. Orémus.

Visita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.]

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Benedicámus Dómino.

Finito Completorio, submissâ voce dicitur: Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis. [*Solus vel sola recitans*, nobis.] 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Posteà dicitur flexis genibus, exceptis Dominic. et Fest. Domini, à primis Vesperis, sequens Antiphona.

ANTIPHONA DE B. MARIA VIRGINE.

SALVE, Regína, mater misericórdiæ; vita, dulcédo et spes nostra, salve: ad te clamámus, éxules fílii Evæ; ad te suspirámus, gementes et flentes in hac lacrymárum valle: eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericordes óculos ad nos converte; et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium ostende, ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo María.

℣. Invoca Dóminum pro nobis; ℟. Et líbera nos de morte. *Esther* 14.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempíterne Deus, qui gloriósæ vírginis matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperante, præparasti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ intercessióne, ab instántibus malis et à morte perpétua liberémur; Per eumdem Christum.

Post completum Offic. dicitur secretò, Pater. Ave Credo.

Deindè ad devotionem dicitur Oratio sequens.

Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus Leo Papa X, defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SACRO-SANCTÆ et indivíduæ Trinitáti, Crucifixi Dómini nostri Jesu Christi Humanitáti, beatíssimæ et gloriosíssimæ semperque Vírginis Maríæ fœcundæ Integritáti, et ómnium Sanctórum Universitáti, sit sempiterna laus, honor, virtus et glória, ab ómni creatúra, nobisque remissio ómnium peccatórum, per infiníta sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta Víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt æterni Patris Fílium;

℟. Et beáta Ubera quæ lactavérunt Christum Dóminum.

Pater noster. Ave, María.

PENTECOTE

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS ÆSTIVA.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 1. D. Dixit Deus ad Móysen : Ego sum qui sum ; hoc nomen mihi est in æternum. *Exod.* 3.

Ant. 2. D. Dóminus Deus noster, Dóminus unus est. *Deut.* 6.

Ant. 3. a. Ipse est Deus deórum, et Dóminus dominántium, Deus magnus et potens. *Deut.* 10.

Ant. 4. E. Solus habet immortalitátem, et lucem inhábitat inaccessíbilem. 1. *Tim.* 6.

Ant. 5. a. Dóminus exercítuum, Deus Israel, magnus consílio, et incomprehensíbilis cogitátu. *Jer.* 32.

Capitulum. (*Rom.* 10.)

O altitudo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei ! quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus ! ℟. Deo grátias.

℟. Non est símilis tuî, Dómine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitúdine : * Quis non timébit te, ô Rex géntium? ℣. Magna et mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus ommípotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum : * Quis. Glória. *Repet.* ℟. Non est, *usque ad* ℣. *Jerem.* 10. *Apoc.* 15.

HYMNUS.

Ter sancte, ter potens Deus,
Incomprehensa Trínitas ;
O lux perennis ! própriis
O ter beáta gáudiis !
O vera semper Unitas !
O una semper Vérĭtas !
O sancta semper, quæ bonum
Diffundis omne, Cáritas !
Te densa circùm núbila,
Te circùm inaccessum jubar,
Quod intùs ardent Angeli
Circùm trementes cérnere.
Te confitétur in tuo
Et plebs renáta nómine ;
Firmâque prælíbat fide
Amor quod ambit præmium.
Da posse quod jubes, Pater :
Da scire, Fili, quod doces :
Fac corde toto, Spíritus,
Nos velle quod probas bonum.

Præsta, Pater piissime, Patrique compar Unice, Sancto simul cum Spíritu Regnans per omne séculum. Amen.

℣. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis; ℟. Et magnitúdinis ejus non est finis. *Ps.* 144.

Ad Magníficat, *Ant.* J. *Duplicanda.* Dómini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli; terra, et ómnia quæ in ea sunt. Ipsi adhærébis: ipse est laus tua, et Deus tuus. *Deut.* 10.

Collecta ut infrà ad Laud.

Pro Commemoratione Sabbati ante Dominicam primam post Pentecosten.

Ant. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3.

℣. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo; ℟. Et exaltábit mansuétos in salútem. *Ps.* 149.

Collecta, Deus, in te sperántium, *infrà ad Laudes.*

De Duplici-minore, si occurrat aut concurrat, fit Commem. in utrisque Vesperis et Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 7. *d.* Vidéte quòd ego sim solus, et non sit álius Deus præter me: vivo ego in æternum. *Deut.* 32.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. F. Ego Dóminus; hoc est nomen meum: glóriam meam álteri non dabo. *Is.* 42.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum unum, Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 28.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Sublíme Numen, ter potens, ter máximum,
Incomprehensum lucis immensæ jubar,
Simplex et unus, et tribus constans Deus,
Te res creátæ laude jugi cóncinant.
Tu Trinitátis fons inexhaustus, Pater,
Filíque nascens Patris æterno sinu,
Ac sancte manans è duóbus Spíritus,
Nil vos in una dívidit substántia.
Persona triplex: una jungit Unitas;
In Patre semper Natus; in Nato Pater;
Uterque sacro semper est in Spíritu;
In Patre semper, ac in Nato Spíritus
Sed nullus horum quémlibet vincit, gradu
Vel major extat, vel prior poténtiâ:
Æquále regnum, parque majestas trium,
Orígo nulli dígnius confert bonum.
Rerum creátor, laus tibi, vivens Pater:

Compar in ævum Flámini sit glória. Amen.

Psal. de Dom. in toto Offic.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 3. a. Dómine Rex omnípotens, tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ámbitu contínétur : Dóminus ómnium es. *Esther* 13.

Ant. 7. d. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem; quia tu creasti ómnia. *Apoc.* 4.

Ant. 5. a. Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt ómnia : ipsi glória in sécula. *Rom.* 11.

℣. Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! ℟. Omnia in sapiéntia fecisti. *Ps.* 103.

Pater, *Absol. et Bened. habentur in Ordinario*, 151.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 18.)

Qui vivit in æternum, creávit ómnia simul. Deus solus justificábitur, et manet invictus Rex in æternum. Quis súfficit enarráre ópera illíus? Quis enim investigábit magnália ejus? Virtútem autem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus? Non est minúere, neque adjícere, nec est invenire magnália Dei. Cùm consummáverit homo, tunc incípiet : et cùm quiéverit, tunc aporiábitur.

℟. In princípio creávit Deus cœlum et terram; * Et Spíritus Dei ferebátur super aquas. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum. * Et. Glória. * Et *Genes.* 1. *Joan.* 1.

LECTIO II.

(Cap. 42.)

Memor ero óperum Dómini, et quæ vidi annuntiábo. In sermónibus Dómini ópera ejus Sol illúminans per ómnia respexit, et glóriâ Dómini plenum est opus ejus. Nonne Dóminus fecit Sanctos enarráre ómnia mirábilia sua, quæ confirmávit Dóminus omnípotens stabilíri in glória sua? Abyssum et cor hóminum investigávit : et in astútia eórum excogitávit. Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam, et inspexit in signum ævi, annúntians quæ præteriérunt, et quæ superventúra sunt, revélans vestígia occultórum. Non præterit illum omnis cogitátus, et non abscondit se ab eo ullus sermo.

℟. Appáruit Abrahæ Dóminus in convalle Mambre. Cùmque elevasset óculos, apparuérunt ei tres viri : * Quos cùm vidisset Abraham, adorávit, et dixit : Dómine, si invéni grátiam in óculis tuis, ne tránseas

servum tuum. ℣. Pater, Verbum, et Spíritus sanctus; hi tres unum sunt. * Quós. Glória. * Quos. *Genes.* 18. 1. *Joan.* 5.

LECTIO III.

MAGNALIA sapiéntiæ suæ decorávit: qui est ante séculum et usque in séculum, neque adjectum est, neque minúitur, et non eget alicújus consílio. Quàm desiderabília ómnia ópera ejus, et tanquam scintilla, quæ est consideráre! Omnia hæc vivunt, et manent in séculum, et in omni necessitáte ómnia obáudiunt ei. Omnia duplícia, unum contra unum, et non fecit quidquam deesse. Uniuscujusque confirmávit bona. Et quis satiábitur videns glóriam ejus?

℟. Jesu baptizáto, et oránte, descendit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est: * Tu es Fílius meus dilectus; in te complácui mihi. ℣. Vox Dómini super aquas; Deus majestátis intónuit: * Tu es. Glória. * Tu. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Luc.* 3. *Ps.* 28.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. f. Unxit Jesum Deus Spíritu sancto, et virtúte. *Act.* 10.

Ant. 1. a. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit *quóniam* Jesus est Fílius *Dei? Et Spíritus est* qui testificátur quóniam Christus est véritas. 1. *Joan.* 5.

Ant. 2. D. Per Jesum Christum habémus accessum in uno Spíritu ad Patrem. *Ephes.* 2.

℣. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam, ℟. Et exaltábo misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Fulgéntii Epíscopi, de Fide, ad Petrum.

(Cap. 1.)

FIDES, quam sancti Patriarchæ atque Prophétæ ante Incarnatiónem Fílii Dei divínitùs accepérunt, quam étiam sancti Apóstoli ab ipso Dómino in carne pósito audiérunt, et Spíritûs sancti magistério instructi, non solùm sermóne prædicavérunt, verùm étiam ad instructiónem salubérrimam posterórum, scriptis suis índitam reliquérunt, unum Deum prædicat Trinitátem, id est, Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum. Sed Trínitas vera non esset, si una eademque persóna diceretur Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

℟. Benedictus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, * Qui elégit nos in ipso, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus. ℣. Recordátus est Dóminus pópuli sui: pósuit in

médio ejus Spíritum Sancti sui, * Qui elégit nos. Glória. * Qui. *Ephes.* 1. *Is.* 63.

LECTIO V.

Si enim sicut est Patris et Fílii et Spíritûs sancti una substántia, sic esset una persóna; nihil omninò esset in quo veráciter Trínitas dicerétur. Rursus Trínitas quidem vera esset, sed unus Deus Trínitas ipsa non esset, si quemádmodùm Pater et Fílius et Spíritus sanctus personárum sunt ab ínvicem proprietáte distincti, sic fuissent naturárum quoque diversitáte discréti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitáte, non solùm quòd unus Deus est, sed étiam quòd Trínitas est, naturáliter verum est; proptéreà ipse verus Deus in persónis Trínitas est, et in una natúra unus est.

℟. Sublevátis óculis in cœlum Jesus, dixit: * Pater, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. ℣. Nosse te, Deus, consummáta justítia est; et scire justítiam et virtútem tuam, radix est immortalitátis. * Pater. Glória Patri. * Pater. *Joan.* 17. *Sap.* 15.

LECTIO VI.

Per hanc unitátem naturálem totus Pater in Fílio et Spíritu sancto est, totus Fílius in Patre et Spíritu sancto est, totusque Spíritus sanctus in Patre et Fílio est. Nullus horum extra quemlibet ipsórum est; quia nemo álium aut præcédit æternitáte, aut excédit magnitúdine, aut súperat potestáte: quia nec Fílio, nec Spíritu sancto, quantùm ad natúræ divínæ unitátem pértinet, aut antérior aut major Pater est: nec Fílii æternitas atque imménsitas, velut antérior aut major, Spíritûs sancti æternitátem immensitatemque aut præcédere aut excédere naturáliter potest.

℟. Sanguis Christi qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, * Emundábit conscéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviendum Deo viventi. ℣. Cùm vénerit quasi flúvius violentus quem Spíritus Dómini cogit, et vénerit Sion Redemptor, * Emundábit. Glória. * Emundábit. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Hebr.* 9. *Is.* 59.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. c. Misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. *Galat.* 4.

Ant. 6. F. In Christo unxit nos Deus, et signávit nos, et dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris. 2. *Cor.* 1.

Ant. 8. G. Nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. 1. Cor. 12.

℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus, ℟. Quóniam in séculum misericórdia ejus. *Ps.* 117.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 28.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo, docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Nazianzéni.

(Tractatu de Fide. Orat. 49.)

Quis Catholicórum ignórat Patrem verè esse Patrem, Fílium verè Fílium, et Spíritum sanctum verè esse Spíritum sanctum? sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit: Euntes, baptizáte omnes gentes in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. Hæc est perfecta Trínitas in unitáte consistens, quam scílicet uníus substántiæ profitémur. Non enim nos secundùm córporum conditiónem, divisiónem in Deo fácimus; sed secundùm divínæ natúræ poténtiam, quæ in matéria non est, et nóminum persónas verè constáre crédimus, et unitátem divinitátis esse testámur.

℟. Locútus est Jesus úndecim discípulis dicens: Euntes, * Docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. ℣. Erit fons patens habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris. * Docéte. Glória. * Docéte. *Matth.* 28. *Zach.* 13.

LECTIO VIII.

Nec extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dícimus: nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus; sed tria nómina, et tres persónas uníus esse essèntiæ, uníus majestátis atque poténtiæ crédimus. Et ídeò unum Deum confitémur; quia únitas majestátis plúrium vocábulo deos próhibet appellári. Dénique Patrem et Fílium cathólicè nominámus; duos autem deos dícere, nec póssumus, nec debémus. Non quòd Fílius Dei Deus non sit; imò verus Deus de Deo vero: sed quia non aliunde quàm de ipso uno Patre, Dei Fílium nóvimus, perinde unum Deum dícimus. Hoc enim Prophétæ, hoc Apóstoli tradidérunt; hoc ipse Dóminus dócuit, cùm dicit: Ego et Pater unum sumus. Unum ad unitátem divinitátis, ut dixi, refert: Sumus autem, persónis assignat.

℟. Loquente Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant ver-

bum. * Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibére potest, ut non baptizentur hi qui Spíritum sanctum accepérunt? Et jussit eos baptizári in nómine Jesu. ℣. Cùm requiévisset in eis Spiritus, prophetavérunt *Tunc respondit. Glória. ✝ In. *Act.* 10. *Num.* 11.

LECTIO IX.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In íllo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Estóte misericordes, sicut et Pater vester miséricors est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 83, de verb. Evang. aliàs 15, de verb. Domini.)

Duo sunt ópera misericórdiæ, quæ nos líberant, quæ bréviter ipse Dóminus pósuit in Evangélio : Dimíttite, et dimittétur vobis : Date, et dábitur vobis. Dimíttite, et dimittetur vobis, ad ignoscendum pértinet : Date, et dábitur vobis, ad præstandum benefícium pértinet. Quod ait de ignoscendo, et tu vis tibi ignosci quod peccas, et habes álium cui tu possis ignóscere. Rursus, quod pértinet ad tribuendum benefícium, petit te *mendícus, et tu es Dei mendícus* : omnes enim quando orámus, mendíci Dei sumus : ante jánuam magni Patrisfamíliàs stamus, imò étiam prostérnimur : súpplices ingemíscimus, áliquid volentes accípere; et ipsum áliquid, ipse Deus est. Quid à te petit mendícus? Panem. Et tu, quid petis à Deo, nisi Christum qui dicit : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi? Ignosci vobis vultis? ignóscite : remíttite, et remittétur vobis. Accípere vultis? date, et dábitur vobis.

℟. Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum; ✝ Plena est omnis terra glóriâ ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus; et hi tres unum sunt : * Sanctus, Sanctus. Glória Patri. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Is.* 6. 1. *Joan.* 5.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; ℟. Et métuant eum omnes fines terræ. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis. *Ephes.* 4.

Ant. 2. D. Deus erat Verbum : in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum; et lux in ténebris lucet. Joan. 1.

Ant. 3. a. In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus. 1. *Cor.* 12.

CANTICUM.

(Eccli. 43.)

MULTA dicémus, et deficiémus in verbis; * consummátio autem sermónum, ipse Dóminus est in ómnibus.

Gloriantes ad quid valébimus? * ipse enim omnípotens super ómnia ópera sua.

Terríbilis Dóminus, et magnus vehementer; * et mirábilis poténtia ipsíus.

Glorificantes Dóminum quantumcumque potuéritis; * supervalébit enim adhuc, et admirábilis magnificéntia ejus.

Benedicentes Dóminum exaltáte illum quantùm potestis, * major enim est omni laude.

Exaltantes eum, replémini virtúte, ne laborétis, * non enim comprehendétis.

Quis vidébit eum et enarrábit? * et quis magnificábit eum, sicut est ab inítio?

Ant. 5. a. Benedicentes Dóminum, exaltáte illum quantùm potestis; major est enim omni laude. *Eccli.* 43.

Ant. 4. E. Grátia, misericórdia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. 1. *Tim.* 1.

Capitulum. (*Apocal.* 7.)

BENEDICTIO, et cláritas, et *sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, et virtus*, et fortitúdo Deo nostro in sécula seculórum: Amen. ℣. Deo grátias.

HYMNUS.

O LUCE quæ tuâ lates,
Beáta semper Trínitas;
Te confitémur, crédimus,
Pióque corde quærimus.
O SANCTE sanctórum Pater!
O Nate de Deo Deus!
O caritátis vínculum,
Jungens utrumque Spíritus!
UT se videt totum Pater,
Coæva Proles náscitur;
Amorque quo se díligunt,
Et ipse procédit Deus.
EST totus in Nato Pater,
In Patre totus Fílius;
Natoque plenus ae Patre
Inest utríque Spíritus.
QUOD Natus est, hoc Spíritus;
Hoc est uterque quod Pater:
Tres una summa Véritas,
Tres una summa Cáritas.
ÆTERNA Patri glória,
Natoque sit cum Spíritu,
Qui vivit et regnat Deus
In seculórum sécula. Amen.

℣. Quis loquétur poténtias Dómini? ℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus? *Ps.* 105.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. *Duplicanda.* Benedictum, Dómine, nomen glóriæ tuæ sanctum; et laudábile, et superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne

Deus, qui dedisti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, æternæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quæsumus ut ejusdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur adversis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Pro Commemoratione Dominicæ.

Ant. Nolíte condemnáre, et non condemnabímini: eâdem quippe mensúrâ quâ mensi fuéritis, remetiétur vobis. *Luc.* 6.

℣. Mane astábo tibi, Dómine, et vidébo; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5.

COLLECTA. Orémus.

Deus, in te speántium fortitúdo, adesto propítius invocatiónibus nostris: et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ, ut in exequendis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Unus Deus.

Dicitur Symbolum, Quicumque.

Canon proprius, ad calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Deus.

Capitulum. (*Hebr.* 1.)

Filium Deus constítuit hærédem universórum, per quem fecit et sécula : qui cùm sit splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excelsis.

℟. *br.* Dóminus Dixit ad me : * Fílius meus es tu, * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Ego * hódie génui te, * Allelúia. Glória. Dóminus. *Ps.* 2.

℣. Tecum princípium in die virtútis tuæ, ℟. In splendóribus sanctórum ante lucíferum génui te. *Ps.* 109.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. In uno.

Capitulum. (*Tit.* 3.)

Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit Deus, per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum salvatórem nostrum.

℟. *br.* Dómine, doce me * fácere voluntátem tuam, * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me, * Allelúia. Glória Patri. Dómine. Ps. 142.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui, ℟. Et Spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Grátia.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

IMPLEMINI Spíritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, cantantes et psallentes in córdibus vestris Dómino, grátias agentes semper pro ómnibus in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo et Patri.

℟. *br.* Exaltáte Dóminum * Deum nostrum, * Allelúia, allel. Exaltáte. ℣. Et adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus, * Allelúia. Glória Patri. Exaltáte Dóminum. *Ps.* 98.

℣. Tu Dóminus altíssimus super omnem terram : ℟. Nimis exaltátus es super omnes deos. *Ps.* 96.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Scimus quòd nullus est Deus nisi unus : nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra ; nobis tamen unus Deus. 1. *Cor.* 8.

Ant. 4. E. Nobis unus Deus, Pater, ex quo ómnia, et nos in illum. 1. *Cor.* 8.

Ant. 6. C. Unus Dóminus Jesus Christus, per quem *ómnia, et nos* per ipsum. 1. *Cor.* 8.

Ant. 8. G. Unus Spíritus, unus Dóminus, una fides, unum baptisma. *Ephes.* 4.

Ant. 1. g. Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi. *Rom.* 8.

Capitulum. (*Ephes.* 3.)

PATER Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, det vobis secundùm divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris.

Allelúia, allel. ℣. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est. Allel. *Apoc.* 4.

Hymnus, Ter sancte, *ut in I. Vesperis.*

℣. Benedictum nomen majestátis ejus in æternum : ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. *Duplicanda.* Electis secundùm præsciéntiam Dei Patris in sanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, et aspersiónem sánguinis Jesu Christi, grátia et pax. 1. *Petr.* 1.

Collecta, Omnípotens, *suprà ad Laudes.*

Pro Commem. Dominicæ.

Ant. Non est discípulus super magistrum ; perfectus

autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. *Luc.* 6.

℣. In Deo laudábimur totâ die; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

Collecta, Deus, in te sperántium, *ut suprà*, 179.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capitulum de Dominica. Cetera ut heri, 172.

IN FERIIS PER ANNUM.

Omnia dicuntur ut in Psalterio, præter ea quæ sunt propria unicuique Feriæ.

Collecta Dominicæ præcedentis.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Incipit liber primus Regum.

(Cap. 1.)

Fuit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana: et hábuit duas uxóres; nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ fílii: Annæ autem non erant líberi. Et ascendébat vir ille de civitáte sua statútis diébus, ut adoráret et sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo fílii Heli, Ophni et Phínees, sacerdótes Dómini. Venit ergo dies, et immolávit Elcana, deditque Phenennæ uxóri suæ et cunctis fíliis ejus et filiábus partes: Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligébat. Dóminus autem conclúserat vulvam ejus. Porrò illa flebat, et non capiébat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non cómedis? et quamobrem afflígitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi sum, quàm decem fílii?

℟. Dilectus à Dómino Deo suo Sámuel Prophéta Dómini, renovávit impérium: * In lege Dómini congregatiónem judicávit, et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis. ℣. Deus sorte distríbuit pátribus terram, et post hæc dedit Júdices usque ad Sámuel Prophétam. * In lege. *Eccli.* 46. *Act.* 13.

LECTIO II.

Surrexit autem Anna, postquàm comédérat et bíberat in Silo. Et Heli sacerdóte sedente super sellam ante postes templi Dómini, cùm esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum flens lárgiter, et votum vovit, dicens: Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, et recordátus meî fúeris, dederisque servæ tuæ sexum virílem; dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus. Et factum est post círculum diérum, concépit Anna, et péperit filium, et vocávit

nomen ejus Sámuel; eò quòd à Dómino postulasset eum. Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immoláret Dómino hóstiam solemnem, et votum suum: et Anna non ascendit; dixit enim viro suo: Non vadam; donec ablactétur infans, et ducam eum, ut appáreat ante conspectum Dómini, et máneat ibi júgiter. Mansit ergo múlier, et lactávit fílium suum, donec amovéret eum à lacte. Et adduxit eum secum, postquàm ablactáverat.

℟. Dixit Sámuel ad universum Israel: Nolíte declináre post vana quæ non próderunt vobis; et non derelínquet Dóminus pópulum suum. Quòd * Si perseveravéritis in malítia, períbitis. ℣. Nescítis quóniam servi estis ejus cui obedítis, sive peccáti ad mortem, sive obeditiónis ad justítiam. * Si perseveravéritis. 1. *Reg.* 12. *Rom.* 6.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Filii Heli, fílii Bélial, nescientes Dóminum, neque officium sacerdótum ad pópulum. Erat ergo peccátum puerórum grande nimis coram Dómino; quia retrahébant hómines à sacrifício Dómini. Samuel autem ministrábat ante fáciem Dómini, puer, accínctus ephod líneo. Et túnicam parvam faciébat ei mater sua, quam afferébat statútis diébus, ascendens cum viro suo, ut immoláret hóstiam solemnem. Et benedixit Heli Elcanæ et uxóri ejus, et magnificátus est puer Sámuel apud Dóminum. Heli autem erat senex valde, et audívit ómnia quæ faciébant fílii sui universo Israéli; et dixit eis: Quare fácitis res hujuscémodi quas ego áudio, res péssimas, ab omni pópulo? Nolíte, fílii mei; non enim est bona fama quam ego áudio, ut tránsgredi faciátis pópulum Dómini. Si peccáverit vir in virum, placári ei potest Deus: si autem in Dóminum peccáverit vir, quis orábit pro eo? Et non audiérunt vocem patris sui: quia vóluit Dóminus occídere eos. Puer autem Sámuel proficiébat, atque crescébat, et placébat tam Dómino quàm homínibus.

℟. Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, * Auferte deos aliénos de médio vestrî, et ✝ Præparáte corda vestra Dómino, et servíte ei soli. ℣. Genus cùm simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argento, aut lápidi Divínum esse símile. * Auferte deos aliénos de médio vestrî. Glória. ✝ Præparáte. 1. *Reg.* 8. *Act.* 17.

Collecta, Deus, in te sperántium, 179, *et sic in Feriis sequentibus.*

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 3.)

Puer Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis : non erat vísio manifesta. Factum est ergo in die quadam, Heli jacébat in loco suo, et óculi ejus caligáverant, nec póterat vidére : lucerna Dei ántequàm extinguerétur, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei. Et vocávit Dóminus Sámuel. Qui respondens, ait : Ecce ego Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego ; vocasti enim me. Qui dixit : Non vocávi ; revértere, et dormi. Et ábiit, et dormívit. Et adjécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgensque Sámuel ábiit ad Heli, et dixit : Ecce ego ; quia vocasti me. Qui respondit : Non vocávi te, fili mi ; revértere, et dormi. Porrò Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

℟. Deus plebis Israel eduxit patres nostros de terra Ægypti, et dedit eis Júdices usque ad Sámuel Prophétam : exinde postulavérunt regem ; * Et dedit illis Deus Saül virum de tribu Bénjamin. ℣. Dixérunt majóres natu Israel Samuéli : Constítue nobis regem, ut júdicet nos. * Et dedit illis Deus Saül virum. *Act.* 13 1. *Reg.* 8.

LECTIO II.

Et adjécit Dóminus ; et vocávit adhuc Samuélem tértio. Qui consurgens ábiit ad Heli, et ait : Ecce ego ; quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum ; et ait ad Samuélem : Vade, et dormi ; et si deinceps vocáverit te, dices : Lóquere, Dómine ; quia audit servus tuus. Abiit ergo Sámuel, et dormívit in loco suo. Et venit Dóminus, et stetit ; et vocávit, sicut vocáverat secundò : Sámuel, Sámuel. Et ait Sámuel : Lóquere, Dómine ; quia audít servus tuus. Et dixit Dóminus ad Samuélem : Ecce ego fácio verbum in Israel ; quod quicumque audíerit, tínnient ambæ aures ejus. In die illa suscitábo adversùm Heli ómnia quæ locútus sum super domum ejus : incípiam, et complébo. Prædixi enim ei quòd judicatúrus essem domum ejus in æternum, propter iniquitátem, eò quòd nóverat indignè ágere fílios suos, et non corripúerit eos. Idcirco jurávi dómui Heli, quòd non expiétur iníquitas domûs ejus víctimis et munéribus usque in æternum. Dormívit autem Sámuel usque mane, aperuitque óstia domûs Dó-

mini. Et Sámuel timébat indicáre visiónem Heli.

℟. Dixit Sámuel ad Saül: Pércute Amalec, non parcas ei: et pepercit Saül Agag. Et ait Sámuel ad Saül: * Pro eo quòd abjecísti sermónem Dómini, abjécit te Dóminus. ℣. Quicumque totam legem serváverit, offendat autem in uno, factus est ómnium reus. * Pro. 1. *Reg.* 15. *Jac.* 2.

LECTIO III.

Vocavit ergo Heli Samuélem, et dixit: Sámuel fili mi. Qui respondens, ait: Præstò sum. Et interrogávit eum: Quis est sermo quem locútus est Dóminus ad te? oro te ne celáveris me: hæc fáciat tibi Deus, et hæc addat, si abscónderis à me sermónem ex ómnibus verbis quæ dicta sunt tibi. Indicávit ítaque ei Sámuel universos sermónes, et non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dóminus est: quod bonum est in óculis suis fáciat. Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo; et non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram. Et cognóvit universus Israel, à Dan usque Bersabée, quòd fidélis Sámuel Prophéta esset Dómini. Et áddidit Dóminus ut apparéret in Silo, quóniam revelátus fúerat Dóminus Samuéli in Silo, juxta verbum Dómini. Et evénit *sermo Samuélis universo Israéli.*

℟. Numquid vult Dóminus holocausta et víctimas, et non pótiùs ut obediátur voci Dómini? * Mélior est enim obediéntia quàm víctimæ. ℣. Qui permánserit in lege factor óperis, hic beátus in facto suo erit. * Mélior. Glória. * Mélior. 1. *Reg.* 15. *Jac.* 1.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 4.)

Et factum est in diébus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam: et egressus est Israel óbviàm Philísthiim in prælium, et castrametátus est juxta Lápidem adjutórii. Porrò Philísthiim venérunt in Aphec, et instruxérunt áciem contra Israel. Inito autem certámine, terga vertit Israel Philisthæis; et cæsa sunt in illo certámine passim per agros quasi quátuor míllia virórum. Et reversus est pópulus ad castra; dixeruntque majóres natu de Israel: Quare percussit nos Dóminus hódie coram Philísthiim? Afferámus ad nos de Silo Arcam fœderis Dómini; et véniat in médium nostrî, ut salvet nos de manu inimicórum nostrórum. Misit ergo pópulus in Silo, et tulérunt inde Arcam fœderis Dómini exercítuum sedentis

super Chérubim; erantque duo fílii Heli cum Arca fœderis Dei, Ophni et Phínees.

℟. Dilectus, 181.

LECTIO II.

PUGNAVÉRUNT ergo Philísthiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernáculum suum: et facta est plaga magna nimis; et cecidérunt de Israel triginta míllia péditum. Et Arca Dei capta est: duo quoque fílii Heli mórtui sunt, Ophni et Phínees. Currens autem vir de Bénjamin ex ácie, venit in Silo in die illa, scissâ veste, et conspersus púlvere caput. Cùmque ille venisset, Heli sedébat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro Arca Dei. Vir autem ille postquàm ingressus est, nuntiávit urbi; et ululávit omnis cívitas. Et audívit Heli sónitum clamóris, dixitque: Quis est hic sónitus tumultûs hujus? At ille festinávit, et venit, et nuntiávit Heli.

℟. Dixit Sámuel, 182.

LECTIO III.

HELI autem erat nonaginta et octo annórum, et óculi ejus caligáverant, et vidére non póterat. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de ácie fugi hódiè. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? Respondens autem ille qui nuntiábat: Fugit, *inquit*, Israel coram Philísthiim, et ruína magna facta est in pópulo: ínsuper et duo fílii tui mórtui sunt, Ophni et Phínees; et Arca Dei capta est. Cùmque ille nominasset Arcam Dei, cécidit de sella retrorsùm juxta óstium, et fractis cervícibus mórtuus est. Senex enim erat vir, et grandævus: et ipse judicávit Israel quadraginta annis. Nurus autem ejus, uxor Phínees, prægnans erat, vicinaque pártui: et audíto núntio quòd capta esset Arca Dei, et mórtuus esset socer suus, et vir suus, incurvávit se, et péperit; irrúerant enim in eam dolóres súbiti. In ipso autem momento mortis ejus, dixérunt ei quæ stabant circa eam: Ne tímeas, quia fílium peperisti.

℟. Si in toto, 182.

¶ *Si crastinâ die occurrat Festum Solemne-minus, aut suprà, transfertur in Feriam sextam sequentem, etiamsi sit Festum Annuale alicujus loci proprium: tunc de eo fiet Commemoratio in II. Vesperis Festi Corporis Christi.*

Duplex-majus intra Octavam occurrens transfertur post Octavam.

De Duplici-minori, fit tantum Commemoratio, ad Matutinum, ad Laudes et in utrisque Vesperis.

De Semiduplici aut Simplici fit Commemoratio diebus intra Octavam in Officio Nocturno et in Laudib. tantum.

IN FESTO
CORPORIS CHRISTI.

ANNUALE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. D. Redémit Dóminus Jacob, et liberávit eum: et vénient, et laudábunt in monte Sion: et cónfluent ad bona Dómini super frumento et vino. *Jerem.* 41.

Ant. 2. D. Consolábor eos, et lætificábo à dolóre suo: et inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, ait Dóminus. *Jerem.* 31.

Ant. 3. a. Tríticum cómedent, et vinum bibent in átriis sanctis meis. *Is.* 62.

Ant. 4. E. Erit ánima eórum quasi hortus irríguus; et ultrà non esúrient: et pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jerem.* 31.

Ant. 5. C. Audíte audientes me, et comédite bonum: et fériam vobiscum pactum sempiternum. *Is.* 55.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

MEMORIA mea in generatiónes seculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundétur.

℟. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et *miserátor Dóminus*: * Escam dedit timéntibus se: ✝ Memor erit in séculum testamenti sui. ℣. Jesus cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. * Escam. Glória. ✝ Memor. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Ps.* 110. *Joan.* 13.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinisque pretiósi
Quem in mundi prétium,
Fructus ventris generósi,
Rex effúdit géntium.

NOBIS datus, nobis natus
Ex intacta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátûs
Miro clausit órdine.

IN suprémæ nocte cœnæ
Recumbens cum frátribus,
Observátâ lege plenè
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

VERBUM caro panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmandum cor sincérum
Sola fides súfficit.

TANTUM ergo Sacramentum
Venerémur cérnui;
Et antíquum documentum
Novo cedat rítui:
Præstet fides supplementum
Sénsuum deféctui.
GENITORI, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio:
Procedenti ab utróque
Compar sit laudátio Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,
℟. Quam abscondisti timéntibus te! *Ps.* 30.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. *Dupl.* Omnes sitientes, veníte ad aquas; properáte, et comédite: et veníte ad me, et vivet ánima vestra, allel. *Is.* 55.

Collecta, ut infrà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 5. a. Agnum ófferes ad vésperam, in odórem suavitátis: sacrifícium est Dómino oblatióne perpétuâ, allelúia. *Exod.* 29.

HYMNUS.

O QUAM stupendas índuit
Formas amor! Verbum Dei,
Jugis sub ara Víctima,
Se præbet in cibum suis.
DIVINUS hospes, íntimis
Infusus hæret córdibus:
Hinc facta mortális caro
Divinitátis pártíceps.
JESU voluptas córdium,
Beáta pax amántium,
Qui carne nos pascis die,
In nocte nostra sis quies.
A QUO creámur, laus Patri;
Quo páscimur, laus Filio:
Quo consecrámur, non minor
Laus utriusque Flámini.
Amen.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. à. Fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri suo: ipsi glória et impérium, allelúia. *Apoc.* 1.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

PANEM vitæ Jesum Christum Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 6.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS

SACRIS solémniis
Juncta sint gáudia,
Et ex præcórdis
Sonent præcónia:
Recédant vétera,
Nova sint ómnia,
Corda, voces, et ópera.
NOCTIS recólitur
Cœna novíssima,
Quâ Christus créditur
Agnum et ázyma
Dedisse frátribus,
Juxta legítima
Priscis indulta pátribus.
POST agnum typicum,
Explétis épulis,
Corpus Domínicum
Datum discípulis,
Sic totum ómnibus,
Quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
DEDIT fragilibus

Córporis férculum;
Dedit et trístibus
Sánguinis póculum,
Dicens : Accípite
Quod trado vásculum;
Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium
Istud instítuit,
Cujus òfficium
Committi vóluit
Solis Presbyteris,
Quibus sic cóngruit
Ut sumant, et dent céteris.
Panis angélicus
Fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus
Figúris términum :
O res mirábilis !
Mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
Te, trina Déitas,
Unaque, póscimus;
Sic nos tu vísitas
Sicut te cólimus :
Per tuas sémitas
Duc nos quò téndimus :
Ad lucem quam inhábitas.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

In Ps. 15. Conserva me, 86, *Ant.* J. Non congregábo conventícula de sanguínibus; Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei.

In Ps. 22. Dóminus regit me, 99, *Ant.* 2. D. Calix meus inébrians quàm præclárus est !

In Ps. 25. Júdica me, Dómine, 57, *Ant.* 3. a. Circúmdabo altáre tuum, Dómine; *ut áudiam vocem* laudis, et *enarrem mirabília* tua.

℣. Acceptábis, Dómine, sacrifícium justítiæ, ℟. Oblatiónes et holocausta. *Ps.* 50.

LECTIO I.

De libro Exodi.

(Cap. 12.)

Dixit Dóminus ad Móysen et Aáron in terra Ægypti : Mensis iste, vobis princípium ménsium : primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad universum cœtum filiórum Israel, et dícite eis : Décimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per famílias et domos suas. Sin autem minor est númerus ut suffícere possit ad vescendum agnum, assúmet vicínum suum qui junctus est dómui suæ, juxta númerum animárum quæ suffícere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus : juxta quem ritum tollétis et hædum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus : immolabitque eum universa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domórum in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illà assas igni, et azymos panes cum lactúcis agréstibus.

℟. Immolábit agnum multitúdo filiórum Israel ad vés-

peram Paschæ, et edent carnes et ázymos panes. * Quicumque comédérit fermentátum, péribit. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. * Quicumque. Glória. * Quicumque. *Exod.* 12. 1. *Cor.* 5.

LECTIO II.

(Cap. 16.)

LOCUTUS est autem Dóminus ad Móysen, dicens: Audívi murmuratiónes filiórum Israel; lóquere ad eos: Véspere comedétis carnes, et mane saturabímini pánibus; scietisque quòd ego sum Dóminus Deus vester. Factum est ergo véspere, et ascendens cóturnix coopéruit castra: mane quoque ros jácuit per circúitum castrórum. Cùmque operuisset superfíciem terræ, appáruit in solitúdine minútum, et quasi pilo tusum, in similitúdinem pruínæ super terram. Quod cùm vidissent fílii Israel, dixérunt ad ínvicem: Manhu? quod significat, Quid est hoc? ignorábant enim quid esset. Quibus ait Móyses: Iste est panis quem Dóminus dedit vobis ad vescendum.

℟. Appáruit in solitúdine minútum in similitúdinem pruínæ super terram. Quod cùm vidissent fílii Israel, ait *eis Móyses: * Iste est panis* quem Dóminus dedit vobis ad vescendum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. * Iste est. Glória. * Iste est. *Exod.* 16. *Joan.* 6.

LECTIO III.

De libro tértio Regum.

(Cap. 19.)

VENIT Elías in Bersabée Juda, et dimísit ibi púerum suum, et perrexit in desertum, viam uníus diéi. Cùmque venisset, et sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, et ait: Súfficit mihi, Dómine, tolle ánimam meam; neque enim mélior sum quàm patres mei. Projecitque se, et obdormívit in umbra juníperi: et ecce Angelus Dómini tétigit eum, et dixit illi: Surge, et cómede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis, et vas aquæ: comédit ergo, et bibit, et rursum obdormívit. Reversusque est Angelus Dómini secundò, et tétigit eum, dixitque illi: Surge, cómede; grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comédit et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadraginta diébus et quadraginta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

℟. Respexit Elías, et ecce ad caput suum subcinerícius panis, et vas aquæ: co-

médit ergo et bibit, et ambulávit usque ad montem Dei, * In fortitúdine cibi illíus. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in æternum * In fortitúdine. Glória. * In. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. 3. *Reg.* 19. *Joan.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

In Ps. 41. Quemádmodùm, *cum sua divis.* 78, *Ant.* 5. C. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei: in voce exultatiónis et confessiónis sonus epulantis.

In Ps. 42. Júdica me, Deus, 79, *Ant.* 7. d. Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

In Ps. 64. Te decet hymnus, 74, *Ant.* 4. f. Timébunt qui hábitant términos, à signis tuis: parasti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ: ℟. Sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte. *Ps.* 64.

LECTIO IV.

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

(Opusc. 57.)

IMMENSA divínæ largitátis beneficia exhíbita pópulo Christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis nátio, quæ hábeat deos áppropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius suæ divinitátis volens nos esse partícipes, nostram natúram assumpsit, ut hómines deos fáceret factus homo. Et hoc ínsuper quod de nostro assumpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri: sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum; ut redempti à miserábili servitúte, à peccátis ómnibus mundarémur. Et ut tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini sumendum, fidélibus derelíquit.

℟. Dixit Jesus Judæis: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. * Litigábant ergo, dicentes ad ínvicem: Quómodò potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? ℣ Oblíti sunt benefactórum ejus, et mirabílium ejus quæ ostendit eis. * Litigábant. Glória. * Litigábant. *Joan.* 6. *Ps.* 77.

LECTIO V.

O PRETIOSUM et admirandum convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest, in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in le-

ge, sed nobis Christus sumendus propónitur verus Deus? Quid hoc Sacramento mirabílius? In ipso namque panis et vinum in corpus et sánguinem Christi substantiáliter convertuntur. Ideòque Christus Deus et homo perfectus, sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur ítaque à fidélibus, sed mínimè lacerátur: quinímò, divíso Sacramento, sub quálibet divisiónis partículà ínteger persevérat. Accidéntia étiam sine subjecto in eódem existunt; ut fides locum hábeat, dùm invisíbile visibíliter súmitur sub aliéna spécie occultátum; et sensus à deceptióne immúnes reddantur, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℣. Cœnántibus discípulis, accépit Jesus panem, et * Benedixit, ac fregit, deditque eis, et ait: ✝ Accipite, et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Panem cœli dedit eis: panem Angelórum manducávit homo. * Benedixit. Glória. ✝ Accípite. *Matth.* 26. *Ps.* 77.

LECTIO VI.

Nullum étiam Sacramentum est isto salúbrius, quo purgantur peccáta, virtútes augentur, et mens ómnium spiritálium charísmatum abundántiâ impinguátur. Offertur in Ecclésia pro vivis et *mórtuis; ut ómnibus prosit, quod est pro* salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacramenti nullus dignè exprimere súfficit; per quod spiritális dulcédo in suo fonte gustátur, et recólitur memória illíus, quam in sua passióne Christus monstrávit, excellentíssimæ caritátis. Unde ut árctiùs hujus caritátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última cœna, quando, Paschâ cum discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instítuit, tanquam passiónis suæ memoriále perenne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum, et de sua contristátis abséntia solátium singuláre.

℣. Accípiens Jesus cálicem, grátias egit, et dedit illis, dicens: * Bíbite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui ✝ Pro multis effundétur in remissiónem peccatórum. ℣. Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobiscum. * Bíbite. Glória. ✝ Pro. *Repet.* ℣. *usque ad* ℣. *Matth.* 26. *Exod.* 24.

IN III.° NOCTURNO.

In Ps. 80. Exultáte Deo, 92, *Ant.* 8. G. Cibávit eos ex ádipe frumenti; et de petra, melle saturávit eos.

In Ps. 83. Quàm dilecta, 98, *Ant.* 6. F. Cor meum et

caro mea exultavérunt in Deum vivum.

In Ps. 95. Cantáte.....omnis terra, 39, *Ant.* 3. à. Afferte Dómino glóriam et honórem : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

℣. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus : ℟. Beátus vir qui sperat in eo. *Ps.* 33.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 6.)

In illo témpore ; Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(De Trinit. Lib. 8, num. 13, et seq.)

Non est humáno aut séculi sensu in Dei rebus loquendum. Quæ scripta sunt, legámus; et quæ legérimus, intelligámus : et tum perfectæ fídei offício fungémur. De naturáli enim in nobis Christi veritáte quæ dícimus, nisi ab eo didícimus, stultè atque ímpiè dícimus. Ipse enim ait: Caro mea verè est esca, et sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, et *bibit sánguinem* meum, in *me manet, et ego* in eo. De *veritáte carnis* et sánguinis non relictus est ambigendi locus.

℟. Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus : * Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. ℣. Comédite, amíci, et bíbite; et inebriámini, carissimi : * Qui mandúcat. Glória. * Qui mandúcat. *Joan.* 6. *Cant.* 5.

LECTIO VIII.

Nunc enim, et ipsius Dómini professióne, et fide nostrâ, verè caro est, et verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc véritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum dénegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Quàm autem in eo per Sacramentum communicátæ carnis et sánguinis símus, ipse testátur, dicens : Et hic mundus me jam non videt : vos autem me vidébitis, quóniam ego vivo, et vos vivétis; quóniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

℟. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. ℣. Ecce servi mei cómedent, ecce servi mei bibent :

et exultábo et gaudébo in pópulo meo. * Et qui. Glória Patri. * Et qui. *Joan.* 6 *Is.* 65.

LECTIO IX.

QUAM autem naturális in nobis hæc únitas sit, ipse ita testátus est : Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. Num enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fúerit; ejus tantùm in se assumptam habens carnem, qui suam súmpserit. Perfectæ autem hujus unitátis sacramentum supériùs jam docúerat, dicens : Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo per Patrem; et qui manducáverit meam carnem, et ipse vivet per me. Vivit ergo per Patrem : et quo modo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vívimus.

℟. Unus panis et unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus. ℣. Parasti in dulcédine tua páuperi, Deus, qui habitáre facis unánimes in domo, * Omnes qui de uno pane et de uno cálice. Glória. * Omnes. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. 1. *Cor.* 10. *Ps.* 67.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit *os meum.* *Ps.* 62.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. g. Dixit Jesus : Panis Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. *Joan.* 6.

Ant. 2. D. Amen, amen dico vobis : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. *Joan.* 6.

Ant. 3. c. Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. *Joan.* 6.

CANTICUM.

(Prov. 9.)

SAPIENTIA ædificávit sibi domum, * excídit columnas septem.

Immolávit víctimas suas, * míscuit vinum, et propósuit mensam suam.

Misit ancillas suas, ut vocárent ad arcem, * et ad mœnia civitátis.

Si quis est párvulus, véniat ad me; * et insipiéntibus locúta est :

Veníte, comédite panem meum, * et bíbite vinum quod míscui vobis.

Relínquite infántiam, et vívite, * et ambuláte per vias prudéntiæ.

Princípium sapiéntiæ timor Dómini, * et sciéntia sanctórum prudéntia.

Per me enim multiplicabuntur dies tui, * et addentur tibi anni vitæ.

Ant. 4. d. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam æternam. *Joan.* 6.

Ant. 5. a. Qui mandúcat et bibit indignè, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini. 1. *Cor.* 11.

Capitulum. (*Malach.* 1.)

Ab ortu solis usque ad occásum magnum est nomen meum in géntibus, et in omni loco sacrificátur, et offertur nómini meo oblátio munda; quia magnum est nomen meum in géntibus, dicit Dóminus exercítuum.

HYMNUS.

Verbum supernum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.
In mortem à discípulo
Suis tradendus æmulis,
Priùs in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.
Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se nascens dedit sócium,
Convescens in edúlium:
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium:
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.
Qui carne nos pascis tuâ,
Sit laus tibi, Pastor bone,
Cum Patre cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Edent páuperes, et laudábunt Dóminum: ℟. Vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. *Duplicanda.* Quotiescumque manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. 1. *Cor.* 11.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirábili passiónis tuæ memóriam reliquisti: tríbue, quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus; Qui vivis et regnas.

Ad Horas, *in fine Hymn. Doxologia:*

Qui carne nos pascis tuâ,
Sit laus tibi, Pastor bone,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Dixit Jesus.

In ℟. *br.* ℣. Qui es panis* vitæ. *Joan.* 6.

Canon proprius, ad calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Amen, amen.

Capitulum. (1. *Cor.* 11.)

Fratres, Ego accépi à Dó-

mino quod et trádidi vobis; Quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, et dixit: Accípite, et manducáte; hoc est corpus meum quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

℟. *br.* Pane cœli * saturávit eos, * Allelúia, allelúia. Pane. ℣. Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ, * Allelúia. Glória Patri. Pane. *Ps.* 104.

℣. Satiávit Dóminus ánimam inánem, ℟. Et ánimam esurientem satiávit bonis. *Ps.* 106.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Nisi.

Capitulum. (1. *Cor.* 10.)

Ut prudéntibus loquor, vos ipsi judicáte quod dico: Calix benedictiónis cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? et panis quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est?

℟. *br.* Parasti, Dómine, * in conspectu meo mensam, * Allelúia, allelúia. Parasti. ℣. Adversùs eos * qui tríbulant me, * Allelúia. Glória Patri. Parasti. *Ps.* 22.

℣. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, ℟. Et delectentur in lætítia. *Ps.* 67.

AD NONAM.

Ant. 5. a. *Qui manducat.*

Capitulum. (1. *Cor.* 10.)

Nolo vos sócios fieri dæmoniórum. Non potestis cálicem Dómini bíbere, et cálicem dæmoniórum: non potestis mensæ Dómini partícipes esse, et mensæ dæmoniórum.

℟. *br.* Lavábo inter innocentes * manus meas, * Allelúia, allelúia. Lavábo. ℣. Et circúmdabo * altáre tuum, Dómine, * Allelúia. Glória Patri. Lavábo. *Ps.* 25.

℣. Odívi Ecclésiam malignántium, ℟. Et cum ímpiis non sedébo. *Ps.* 25.

AD II VESPERAS.

In Ps. 109. Dixit Dóminus, 21, *Ant.* 1. D. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Ps. 110. Confitébor, 22, *Ant.* 2. D. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se; mandávit in æternum testamentum suum.

Psalm. 115. Crédidi, 101, *Ant.* 3. a. Cálicem salutáris accípiam: Sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Ps. 127. Beáti omnes, 142, *Ant.* 4. E. Fílii tui sicut novellæ olivárum: in circúitu mensæ tuæ.

Ps. 147. Lauda, Jerúsalem, 95, *Ant.* 5. a. Lauda Deum tuum, Sion, quóniam

benedixit fíliis tuis in te, et ádipe frumenti sátiat te.

Capitulum. (*Apoc.* 3.)

Ecce sto ad óstium, et pulso : si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, et cœnábo cum illo, et ipse mecum.

Allelúia, allelúia. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Allelúia. *Deut.* 4.

Hymnus, Pange, 186.

℣. Dóminus in circúitu pópuli sui, ℟. Ex hóc nunc et usque in séculum. *Ps.* 124.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. *Duplicanda.* Ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum; ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. Allelúia. *Luc* 22.

Collecta, ut suprà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capit. de Dom. Cetera ut heri, et sic per Octav.

DIEBUS INTRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Semiduplex.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Ad Noct. *Psalmi de Feria, sub tribus Antiphonis quæ sumuntur cum suo Versiculo è tribus Nocturnis Dominicæ sequentis, alternatim secundum Feriam.*

Lectiones et ℟℟℟. *ut assignantur singulis diebus.*

Ad Laudes et Horas, *Psalmi de Feria, cetera ut in die, præter Antiph. ad* Benedictus, *quæ singulis diebus habetur propria.*

Ad Vesp., *ritu Dupl. Maj., et* Ad Complet. *omnia ut in Festo, etiam Psalmi.*

Ad Magníf., *Ant. propria.*

[*Si occurrat Festum Solemne-minus, aut suprà, in Vesperis tam primis quàm secundis, dicentur Psalmi ut in die Corporis Christi, cum Antiph. de Festo occurrente, et fiet Commemoratio Octavæ. Ad Officium Noct. Lect. primi Nocturni de Script. occurr. divisionibus factis ad aster.* **

Completorium *verò integrum dicetur de Octava.*]

FERIA SEXTA.

Tres Ant. è II. Noct. Dominicæ sequentis, 202.

LECTIO I.

De libro primo Regnm.

(Cap. 5.)

Philisthiim tulérunt arcam Dei, et asportáverunt eam à Lapide adjutórii in Azótum. Tuleruntque Philísthiim arcam Dei, et intulérunt eam in templum Dagon, et statuérunt eam juxta Dagon. Cùmque surrexissent dilúculo Azótii álterâ die, ecce Dagon jacébat pronus in terra ante arcam Dómini : et tulérunt Dagon, et

restituérunt eum in locum suum. * Rursumque mane die álterà consurgentes, invenérunt Dagon jacentem super fáciem suam in terra coram arca Dómini : caput autem Dagon, et duæ palmæ mánuum ejus abscissæ erant super limen; porrò Dagon solus truncus remánserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdótes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azóto, usque in hodiernum diem. ** Aggraváta est autem manus Dómini super Azótios, et demolítus est eos; et percussit in secretióri parte nátium Azótum, et fines ejus. Et ebulliérunt villæ et agri in médio regiónis illius, et nati sunt mures; et facta est confúsio mortis magnæ in civitáte. Videntes autem virí Azótii hujuscémodi plagam, dixérunt : Non máneat arca Dei Israel apud nos; quóniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. Et mittentes congregavérunt omnes sátrapas Philisthinórum ad se, et dixérunt : Quid faciémus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi : Circumducátur arca Dei Israel. Et circumduxérunt arcam Dei Israel. Illis autem circumducéntibus eam, fiébat manus Dómini per singulas civitátes interfectiónis magnæ nimis.

℣. Dixit, *sine* Glória, 190.

LECTIO II.

Ex Epístola sancti Ignátii Epíscopi et Mártyris, ad Smyrnenses.

Considerate eos qui áliam opiniónem tuentur contra grátiam Jesu Christi, quæ ad nos venit, quómodò contrárii sint senténtiæ Dei. De caritáte non est cura ipsis, non de vídua, non de órphano, non de oppresso, non de vincto vel solúto, non de esuriente vel sitiente. Ab Eucharístia et oratióne ábstinent; eo quòd non confiteantur Eucharístiam carnem esse Servatóris nostri Jesu Christi, quæ pro peccátis nostris passa est, quam Pater suâ benignitáte suscitávit. Qui ergo contradícunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem esset ipsis dilígere, ut et resúrgerent.

℣. Cœnántibus, *sine* Glória, 191.

LECTIO III.

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris, adversùs hæreses.

(L. 4, c. 17 et 18.)

Quomodo constábit hæreticis eum panem in quo grátiæ actæ sint, corpus esse Dómini sui, et cálicem sánguinis ejus, si non ipsum fabricatóris mundi Fílium dicant, id est, Verbum ejus?

Quómodò autem rursus dicunt carnem in corruptiónem deveníre, et non percípere vitam, quæ córpore Dómini et sánguine álitur? Ergo aut senténtiam mutent, aut abstíneant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem cónsonans est senténtia Eucharístiæ, et Eucharístia rursus confirmat senténtiam nostram. Quemádmodum enim qui est à terra panis, percípiens invocatiónem Dei, jam non commúnis panis est, sed Eucharístia ex duábus rebus, constans, terrénâ et cœlesti; sic et córpora nostra percipientia Eucharístiam, jam non sunt corruptibília, spem resurrectiónis habéntia.

℟. Accípiens, *et non repet. ab initio post* Glória, 191.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Benedícito Dóminum, qui fecit te, et inebriantem te ab ómnibus bonis suis. *Eccli.* 32.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esúriet; et qui credit in me, non sítiet unquam. *Joan.* 6.

SABBATO.

Tres Ant. è III Nocturno Dominicæ sequentis, 203.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 6.)

Fuit arca Dómini in regióne *Philistinórum* septem ménsibus. Et vocavérunt Philísthiim sacerdótes et divínos, dicentes: Quid faciémus de arca Dómini? Indicáte nobis quómodò remittámus eam in locum suum. Qui dixérunt: Si remittitis arcam Dei Israel, nolíte dimíttere eam vácuam: sed quod debétis, réddite ei pro peccáto; et tunc curabímini, et sciétis quare non recédat manus ejus à vobis. Qui dixérunt: Quid est quod pro delicto réddere debeámus ei? Responderuntque illi: Juxta númerum provinciárum Philisthinórum, quinque anos aureos faciétis, et quinque mures áureos; quia plaga una fuit ómnibus vobis, et sátrapis vestris. * Facietisque similitúdines anórum vestrórum, et similitúdines múrium qui demoliti sunt terram; et dábitis Deo Israel glóriam: si fortè rélevet manum suam à vobis, et à diis vestris, et à terra vestra. Quare aggravátis corda vestra, sicut aggravávit Ægyptus et Phárao cor suum? Nonne postquàm percussus est, tunc dimísit eos, et abiérunt? ** Nunc ergo arrípite et fácite plaustrum novum unum; et duas vaccas fœtas, quibus non est impósitum jugum, júngite in plaustro, et reclúdite vítulos eárum domi. Tolletisque arcam Dómini, et ponétis in plaustro; et vasa áurea quæ exolvistis ei pro delicto,

ponétis in capsellam ad latus ejus : et dimíttite eam, ut vadat.

℟. Caro, *sine* Glória, 192.

LECTIO II.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Ps. 118. Serm. 18, n. 26.)

JAM mensæ cœlestis honóre suscípior; épulis meis non plúvia undátur, non terræ partus labórat, non árborum fructus. Pótui meo non flúmina quærenda, non fontes; Christus mihi cibus, Christus mihi potus; Caro Dei cibus mihi, et Dei sanguis potus est mihi. Non jam ad satietátem meî ánnuos expecto proventus : Christus mihi quotídiè ministrátur. Non verébor, ne qua mihi cum cœli intempéries, aut sterílitas ruris immínuat, si pii cultûs diligéntia persevéret. Non jam cotúrnicum plúvias mihi opto descéndere, quas antè mirábar : non manna quod antè cibis ómnibus præferébam : quia, qui manna manducavérunt patres, esuriérunt. Meus cibus est, quem si quis manducáverit, non esúriet. Meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hóminis.

℟. Sicut, *sine* Glória, 192.

LECTIO III.

DEUS, *panem quem* dat *ómnibus, dat quotídiè*, dat semper. In teipso est ut accípias hunc panem : accéde ad hunc panem, et accípies eum. De hoc pane dictum est : omnes qui elongant se abs te, péribunt. Si te elongáveris ab eo, períbis : Si appropinquáveris ad eum, vives. Hic est panis vitæ : qui ergo vitam mandúcat, mori non potest. Quómodò enim moriétur, cui cibus vita est? Quómodò defíciet, qui habúerit vitálem substántiam? Accédite ad eum, et satiámini; quia panis est : accédite ad eum, et potáte; quia fons est : accédite ad eum, et illuminámini; quia lux est : accédite ad eum, et liberámini; quia ubi Spíritus Dómini, ibi libertas : accédite ad eum, et absolvímini; quia remíssio peccatórum est. Quis sit iste, quærítis? Audíte ipsum dicentem : Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esúriet; et qui credit in me, non sítiet unquam.

℟. Unus panis, *et non repet. ab initio post* Glória, 193.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. a. Vincenti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei. *Apoc.* 2.

DOMINICA INTRA OCTAV. CORPORIS CHRISTI.

Quæ est II. post Pentec.

Duplex-Minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi et *Antiph.* ut in *II. Vesperis* Festi, 195.

Capitulum. (2. *Esdr.* 9.)

PANEM de cœlo dedisti eis in fame eórum, et aquam de petra eduxisti eis sitiéntibus; et dixisti eis ut egrederentur et possidérent terram, super quam levasti manum tuam ut tráderes eis.

Allel. *et ℣. ut suprà*, 196.

Hymnus, Pange, 186.

℣. Ædificávit Dóminus sanctifícium suum in terra, ℟. Quam fundávit in sécula. *Ps.* 77.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Reduxérunt Philísthiim arcam Dómini, et mansit in Cariathíarim; et requiévit omnis domus Israel post Dóminum. 1. *Reg.* 6 *et* 7.

Collecta ut suprà ad Laud.

AD COMPLET., *ut in Festo.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Invit. et Hymn. ut in die, 187.

Psalmi de Dominicâ.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Dixit Móyses: Ite tollentes ánimal per familias vestras, et immoláte Phase. *Exod.* 12.

Ant. 1. *D.* Patres nostri manducavérunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducáre. *Joan.* 6.

Ant. 2. D. Fontes amári obdulcáti sunt eis ad bibendum, et annónam de cœlo consecúti sunt. *Judith.* 5.

℣. Dívites egérunt et esuriérunt: ℟. Inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono. *Ps.* 33.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 6.)

FECERUNT Philísthiim hoc modo; et tollentes duas vaccas, quæ lactábant vítulos, junxérunt ad plaustrum, vitulosque eárum conclusérunt domi. Et posuérunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam quæ habébat mures áureos et similitúdines anórum. Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Béthsames, et itínere uno gradiebantur, pergéntes et mugientes: et non declinábant neque ad déxteram neque ad sinistram; sed et sátrapæ Philísthiim sequebantur usque ad términos Béthsames. Porrò Bethsamítæ metébant tríticum in valle: et elevantes óculos suos, vidérunt arcam, et gavísi sunt cùm vidissent. Et plaustrum venit in agrum Jósue Bethsamítæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus: et concidérunt ligna plaustri, vaccasque imposuérunt super ea holocaustum Dómino. Levítæ autem deposuérunt arcam Dei, et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa áurea, et posuérunt super lápidem grandem.

℟. Immolábit, *sine* Glória, 188.

LECTIO II.

Viri autem Bethsamítæ obtulérunt holocausta, et immolavérunt víctimas in die illa Dómino. Et quinque sátrapæ Philisthinórum vidérunt, et reversi sunt in Accaron in die illa. Hi sunt autem ani áurei quos reddidérunt Philísthiim pro delicto, Dómino: Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum: et mures áureos secundùm númerum úrbium Philísthiim, quinque provinciárum, ab urbe muráta usque ad illam quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum, super quem posuérunt arcam Dómini, quæ erat usque in illum diem in agro Jósue Bethsamítis. Percussit autem de viris Bethsamítibus, eò quòd vidissent arcam Dómini: et percussit de pópulo septuaginta viros, et quinquaginta míllia plebis. Luxitque pópulus, eò quòd Dóminus percussisset plebem plagâ magnâ. Et dixérunt viri Bethsamítæ: Quis póterit stare in conspectu Dómini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet à nobis? Miseruntque núntios ad habitatóres Cariathíarim, dicentes: Reduxérunt Philísthiim arcam Dómini; descéndite, et redúcite eam ad vos.

℟. Appáruit, *sine* Glória, 189.

LECTIO III.

(Cap. 7.)

Venerunt ergo viri Cariathíarim, et reduxérunt arcam Dómini, et intulérunt eam in domum Abínadab in Gábaa: Eleázarum autem fílium ejus sanctificavérunt, ut custodíret arcam Dómini. Et factum est, ex qua die mansit arca Dómini in Cariathíarim, multiplicáti sunt dies; (erat quippe jam annus vigésimus) et requiévit omnis domus Israel post Dóminum. Ait autem Sámuel ad universam domum Israel: dicens: Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, auferte Deos aliénos de médio vestrî, Báalim et Astaroth; et præparáte corda vestra Dómino, et servíte ei soli, et éruet vos de manu Philísthiim. Abstulérunt ergo fílii Israel Báalim et Astaroth, et serviérunt Dómino soli. Dixit autem Sámuel: Congregáte universum Israel in Masphat, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Masphath: hauseruntque aquam, et effudérunt in conspectu Dómini, et jejunavérunt in die illa, atque dixérunt ibi: Peccávimus Dómino. Judicavitque Sámuel fílios Israel in Masphath.

℟. Respexit Elías, *et non repetit. ab initio post* Glória. 189.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Discúbuit Jesus, et duódecim Apóstoli cum eo; et ait illis: Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobiscum, ántequàm pátiar. *Luc.* 22.

Ant. 7. c. Dico vobis quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. *Luc.* 22.

Ant. 4. E. Accepto cálice, grátias egit, et dixit: Accípite. Dico enim vobis quòd non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. *Luc.* 22.

℣. Edúcas panem de terra; ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis. *Ps.* 103.

LECTIO IV.

Ex Apológia sancti Justíni Mártyris, pro Christiánis.

(Ap. 2, ad Anton. pium.)

Offertur ei qui frátribus præest, panis, et póculum aquæ et vini; quibus ille acceptis, laudem et glóriam rerum ómnium Patri per nomen Fílii et Spíritûs sancti offert; et gratiárum actiónem, pro eo quòd nos donis suis hisce dignátus sit, prolixè exéquitur. Atque ubi ille preces et gratiárum actiónem absolvit, pópulus omnis qui adest, faustà approbatióne acclámat, dicens; Amen. Amen autem *Hebráicè* significat, Fiat. *Præsidens verò* postquàm gratiárum actiónem perfécit, et pópulus universus apprecatióne lætà eam comprobávit, qui apud nos Diáconi vocantur, distríbuunt unicuíque præsántium, ut partícipet eum in quo grátiæ actæ sunt, panem, vinum et aquam; et ad absentes pérferunt.

℣. Dixit Jesus Judæis, *sine* Glória, 190.

LECTIO V.

Porro alimentum hoc apud nos appellátur Eucharístia: quod nulli álii participáre lícitum est, quàm ei qui veram esse doctrinam nostram credit; quique lavácro, propter remissiónem peccatórum regenerationemque dato, ablútus est, et qui ita vivit, ut Christus trádidit. Neque enim ut usitátum panem et usitátum potum hæc súmimus: sed quemádmodùm per Verbum Dei homo factus Jesus Christus Salvátor noster, et carnem et sánguinem, salútis nostræ causà, hábuit; ita étiam, eam in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti grátiæ sunt actæ, alimóniam, unde sanguis et caro nostra per mutatiónem aluntur, incarnáti illíus Jesu carnem et sánguinem esse docti sumus. Apóstoli enim in Commentáriis à se scriptis, quæ Evangélia vocantur, ita tradidérunt præcepisse sibi Jesum; eum, accepto pane, cùm grátias

egisset, dixisse : Hoc fácite in memóriam meî; hoc est corpus meum : et póculo simíliter accepto, cùm grátias egisset, dixisse : Hic est sanguis meus.

℟. Cœnántibus discípulis, accépit Jesus panem, *sine* Glória, 191.

LECTIO VI.

In ómnibus quas offérimus oblatiónibus, benedicendo laudámus factórem ómnium per Fílium ejus Jesum Christum et Spíritum sanctum. Et die qui dícitur Solis, ómnium qui vel in óppidis vel in agris manent, in eumdem locum conventus fit : et commentária Apostolórum, aut scripta Prophetárum, quámdiu fert hora, leguntur. Deinde, lectóre quiescente, Præsidens oratiónem, quâ pópulum instruit et ad imitatiónem tam pulchrárum rerum exhortátur, habet. Tum consúrgimus omnes, et preces fúndimus : et, ut ánteà díximus, précibus peractis, panis offertur, et vinum et aqua ; et Præpósitus ítidem, quantùm pro viríli sua potest, preces et gratiárum actiónes profundit ; populusque acclámat, dicens : Amen. Et distribútio communicatioque fit eórum in quibus grátiæ sunt actæ, cuíque præsenti ; abséntibus autem per Diáconos míttitur. Quibus *cópiæ súppetunt, ii, pro arbítrio quisque suo*, contríbuunt : et quod ita collígitur, apud Præpósitum depónitur ; illeque inde opitulátur pupillis, víduis, vinctis, et ádvenis ; et ipse ómnium indigéntium curátor est. Solis autem die conventum ágimus, quòd is primus dies sit in quo Deus, ténebras et matériam cùm vertisset, mundum effécit ; et Jesus Christus Salvátor noster eo ipso die à mórtuis resurrexit.

℟. Accípiens Jesus, *et non rep. ab init. post* Glória. 191.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 1. *g.* Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem qui tabernáculo desérviunt. *Hebr.* 13.

Ant. 3. c Vidéte ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum ; partícipes enim Christi effecti sumus. *Hebr.* 3.

Ant. 8. *G.* Quanta putátis meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, et sánguinem testamenti pollútum dúxerit? *Hebr.* 10.

℣. Emitte lucem tuam et veritátem tuam, ℟. Et introíbo ad altáre Dei. *Ps.* 42.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 14.)

In illo témpore ; Dixit Jesus cuídam de simul discumbéntibus cum ipso in domo príncipis Pharisæórum : Ho-

mo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 36, in Evang.)

Hoc distáre, fratres carís-simi, inter delícias corpóris et cordis solet, quòd corporáles delíciæ, cùm non habentur, grave in se desidérium accendunt; cùm verò hábitæ eduntur, comedentem prótinus in fastídium per satietátem vertunt. At contrà, spiritáles delíciæ, cùm non habentur, in fastídio sunt, cùm verò habentur, in desidério : tantòque à comedente ámpliùs esuriuntur, quantò et ab esuriente ámpliùs comeduntur. In illis appetítus placet, experiéntia dísplicet : in istis appetítus vilis est, et experiéntia magis placet. In illis appetítus saturitátem, satúritas fastídium génerat; in istis autem appetítus saturitátem, satúritas appetítum parit. Augent enim spiritáles delíciæ desidérium in mente, dùm sátiant; quia quantò magis eárum sapor percípitur, eò ámpliùs cognóscitur quòd avídiùs amétur : et idcirco non hábitæ amári non possunt, quia eárum sapor ignorátur. Quis *enim* amáre váleat quod *ignórat? Proinde* Psalmista *nos ádmonet*, dicens : Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

℣. Homo quidam fecit cœnam magnam, et misit servum suum horâ cœnæ dícere invitátis ut venírent; * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis; * Quia paráta. *Luc.* 14. *Prov.* 9.

LECTIO VIII.

Has autem homo delícias tunc amísit, cùm in paradíso peccávit : extrà éxiit, cùm os à cibo æternæ dulcédinis clausit. Unde nos quoque nati in hujus peregrinatiónis ærumnâ, huc fastidiósi jam vénimus, nec scimus quid desideráre debeámus; tantòque se ámpliùs fastídii nostri morbus exággerat, quantò se magis ab esu illíus dulcédinis ánimus elongat : et eò jam internas delícias non áppetit, quò eas comédere diu longèque desuévit.

℣. Cœpérunt simul omnes excusáre. * Primus dixit : Villam emi, et necesse hábeo vidére illam. Alter dixit : Juga boum emi, et eo probáre illa. ℣. Non audiérunt, sed abiérunt in voluntátibus et in pravitáte cordis sui mali; factique sunt retrorsùm. * Primus dixit : Villam emi, et necesse hábeo. *Luc.* 14. *Jerem.* 7.

LECTIO IX.

Fastidio ergo nostro tahéa-

cimus, et longâ inédiæ peste fatigámur. Et quia gustáre intus nólumus parátam dulcédinem, amámus foris míseri famem nostram. Sed superna nos píetas nec deserentes se déserit. Contemptas enim illas delícias ad memóriæ nostræ óculos révocat, easque nobis propónit: in promissióne torpórem excútit, atque ut fastídium nostrum repéllere debeámus invítat. Ait namque: Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos. Quis est iste homo, nisi ille de quo per Prophétam dícitur: Et homo est, et quis cognóvit eum? Qui fecit cœnam magnam; quia satietátem nobis dulcédinis internæ præparávit.

℟. Irátus paterfamíliâs, dixit servo suo: Exi citò in platéas et vicos civitátis; * Et páuperes, ac débiles, et cæcos, et claudos intróduc huc. ℣. Si quis est párvulus, véniat ad me; * Et. Glória. * Et. *Luc.* 14. *Prov.* 9.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

AD LAUDES.

Psalmi, Antiph. et Canticum, ut in die, 193.

Capitulum. (1. *Cor.* 11.)

Quicumque *manducáverit panem hunc, vel bíberit cá-*

licem Dómini indignè, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de cálice bibat.

Hymnus, Verbum, 194.

℣. Edent páuperes, et saturabuntur: ℟. Vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Dómine, factum est ut imperasti; et adhuc locus est. Et ait dóminus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intráre, ut impleátur domus mea. *Luc.* 14.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui Ecclésiam tuam pretióso córpore et sánguine tuo mirabíliter réficis: infunde in eam Spíritum vivificantem, ut cœlestis participatióne mystérii, de te vivens in terris, tecum vívere mereátur in cœlis: Qui vivis... in unitáte ejusdem.

Ad Horas, *omnia ut in die, exceplo Canone, qui habetur ad calcem.*

Ad Primam, *non dicitur Symbolum* Quicumque.

AD II VESPERAS.

Psal. et Ant. de Festo, 195.

Capitulum. (*Apoc.* 22.)

Beati qui lavant stolas suas in sánguine Agni; ut sit potestas eórum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitátem. Foris canes, et venéfici, et impudíci, et homicídæ, et idólis servientes, et

omnis qui amat et facit mendácium.

Allel. *et ℣. ut suprà*, 196.

Hymnus, Pange, 186.

℣. Péreant peccatóres à fácie Dei, ℟. Et justi epulentur et exultent. *Ps.* 67.

Ad Magníf. *Ant.* 7. a. Dico vobis quòd nemo virórum illórum qui vocáti sunt, gustábit cœnam meam. *Luc.* 14.

Collecta, ut suprà ad Laud.

FERIA SECUNDA.

Tres Antiph. è I. Nocturno Dominicæ præcedentis.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 8.)

FACTUM est, cùm senuisset Sámuel, pósuit fílios suos júdices Israel. Fuitque nomen fílii ejus primogéniti, Joel; et nomen secundi, Abía, júdicum in Bersabée. Et non ambulavérunt fílii illíus in viis ejus; sed declinavérunt post avarítiam, acceperuntque múnera, et pervertérunt judícium. Congregáti ergo universi majóres natu Israel, venérunt ad Samuélem in Rámatha, dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et fílii tui non ámbulant in viis tuis; constítue nobis regem, ut júdicet nos, sicut et universæ habent natiónes. Displícuit sermo in óculis Samuélis, eò *quòd dixissent*: Da nobis regem, *ut júdicet nos.* Et orávit Sámuel ad Dóminum. Dixit autem Dóminus ad Samuélem: Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abjecérunt, sed me, ne regnem super eos. Juxta ómnia ópera sua quæ fecérunt à die quâ eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc, sicut dereliquérunt me, et serviérunt diis aliénis, sic fáciunt étiam tibi. Nunc ergo vocem eórum audi: verúmtamen contestáre eos, et prædic eis jus regis qui regnatúrus est super eos. Dixit ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum qui petíerat à se regem.

℟. Immolábit, *sine* Glória, 188.

LECTIO II.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

(Epist. 150, quæ est ad Hedibiam, n. 11.)

DICO vobis: Non bibam ámodò de hoc genímine vitis usque in diem illum quo bibam illud novum vobiscum in regno Patris mei. Ex hoc loco quidam mille annórum fábulam struunt, in quibus Christum regnatúrum corporáliter esse contendunt, et bibitúrum vinum quod ex illo témpore usque ad consummatiónem mundi non bíberit. Nos autem audiámus panem, quem fregit Dóminus, deditque discípulis suis, esse corpus

Dómini salvatóris, ipso dicente ad eos : Accípite et comédite; hoc est corpus meum : et cálicem illum esse, de quo íterùm locútus est : Bíbite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundétur. Iste est calix de quo in Prophéta légimus : Cálicem salutáris accípiam. Et álibi : Calix tuus inébrians quàm præclárus est! Si ergo panis qui de cœlo descendit, corpus est Dómini; et vinum quod discípulis dedit, sanguis illíus est novi testamenti, qui pro multis effúsus est in remissiónem peccatórum, Judáicas fábulas repellámus. Non enim est regnum Dei cibus et potus, sed justítia, et gáudium, et pax in Spíritu sancto. Nec Móyses dedit nobis panem verum; sed Dóminus Jesus, ipse convíva et convívium, ipse cómedens et qui comédítur.

℟. Appáruit, *sine* Glória, 189.

LECTIO III.

Illius bíbimus sánguinem, et sine ipso potáre non póssumus, et quotídie in sacrifíciis ejus de genímine vitis veræ rubéntia vina calcámus, et novum ex his vinum bíbimus de regno Patris, nequáquam in vetustáte lítteræ, sed in novitáte spíritûs; cantantes cánticum novum, quod nemo *potest cantáre nisi in regno Ecclésiæ*, quod regnum Patris est. Hunc panem et Jacob Patriarcha comédere cupiébat, dicens : Si fúerit Dóminus Deus mecum, et déderit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad operiendum. Quotquot enim in Christo baptizámur, Christum indúimus, et panem comédimus Angelórum, et audímus Dóminum prædicantem : Meus cibus est ut fáciam voluntátem ejus qui misit me Patris, ut impléam opus ejus. Faciámus igitur voluntátem ejus qui misit nos Patris, et impleámus opus ejus; et Christus nobiscum bibet in regno Ecclésiæ sánguinem suum.

℟. Respexit, *et non repet. ab initio post* Glória 189.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. f. Panem de cœlo dedisti pátribus nostris, Dómine, in fame eórum. 2. *Esdr.* 9.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in deserto, et mórtui sunt : qui mandúcat hunc panem, vivet in æternum. *Joan.* 6.

FERIA TERTIA.

Tres Ant. è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 9.)

Erat vir de Bénjamin nómine Cis, fílius Abiel, fílii Seror, fílii Béchorath, fílii Aphia, fílii viri Jemíni, fortis róbore. Et erat ei fílius

vocábulo Saül, electus et bonus, et non erat vir de fíliis Israel mélior illo. Ab húmero et sursum eminébat super omnem pópulum. Perírerant autem ásinæ Cis patris Saül. Et dixit Cis ad Saül fílium suum : Tolle tecum unum de púeris, et consurgens vade, et quære ásinas. Qui cùm transissent per montem Ephraïm, et per terram Sálisa, et non invenissent, transiérunt étiam per terram Salim, et non erant; sed et per terram Jémini, et mínimè reperérunt. Cùm autem venissent in terram Suph, dixit Saül ad púerum qui erat cum eo : Veni, et revertámur, ne fortè dimíserit pater meus ásinas, et sollícitus sit pro nobis. Qui ait ei : Ecce vir Dei est in civitáte hac, vir nóbilis; omne quod lóquitur, sine ambiguitáte venit. Nunc ergo eámus illuc, si fortè índicet nobis de via nostra, propter quam vénimus.

℣. Dixit, *sine* Glória, 190.

LECTIO II.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 82, al. 83, in Matth.)

Cuique fidéli per hoc mystérium Christus se conjungit; et quos génuit, per se nutrit, neque álii tradit : hocque tibi modo probat se *carnem accepisse* tuam. Ne *ítaque segnes simus* tantâ dignáti caritáte et tanto honóre. Non vidétis quanto ímpetu infantes lábia sua mamillæ admóveant? Cum eódem stúdio nos ad hanc accedámus mensam, et ad mamillam spirituális póculi; imò verò majóre cum stúdio ut lactentes púeri grátiam Spíritûs attrahámus : unusque nobis sit dolor, si hoc spirituáli alimento privémur. Non sunt humánæ virtútis hæc ópera. Is qui tunc in illa cœna hæc confécit, et nunc étiam operátur. Nos ministrórum habémus órdinem : qui verò illa sanctíficat et transmútat, ipse est. Nullus ergo Judas adsit, nullus avárus : si quis discípulus non est, recédat : non recipit hæc mensa eos qui tales non sunt. Cum discípulis, inquit, meis fácio Pascha.

℣. Cœnántibus discípulis, *sine* Glória, 191.

LECTIO III.

(Homil. 46, aliàs 45, in Joan.)

Ab illa mensa recedámus tanquam leónes ignem spirantes, diábolo terríbiles, cogitantes quod sit caput nostrum, et quantam nobis dilectiónem exhibuérit. Attendámus ígitur nobis ipsis, directi, cùm tantis fruámur bonis : et cùm turpe quidpiam loqui subit ánimum, vel quando irâ, vel pravo quópiam affectu nos córripi cérnimus, nobiscum reputé-

mus quibus dignáti simus beneficiis, quem Spíritum accepérimus. Hæc cogitátio nostros temperábit affectus. Quousque enim rebus præséntibus hærébimus? quousque non excitábimur? quousque nullam salútis nostræ curam habébimus? Cogitémus quibusnam nos Deus dignátus sit, grátias agámus, glóriam referámus, non modò per fidem, sed étiam per ópera, ut futúra consequámur bona, grátiâ et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi, quîcum Patri glória, unâ cum Sancto Spíritu, nunc et semper, et in sécula seculórum. Amen.

Tu autem.

℟. Accípiens Jesus, *et non repet. ab initio post* Glória, 191.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Omnis homo qui accésserit ad ea quæ consecráta sunt, in quo est immundítia, períbit coram Dómino. *Levit.* 22.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Quícumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè, reus erit córporis et sánguinis Dómini. 1. *Cor.* 11.

FERIA QUARTA.

Tres Ant. è III. Nocturno Dominicæ præcedentis.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 9.)

Cum ascénderent clivum civitátis, invenérunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixérunt eis: Num hìc est Videns? Quæ respondentes, dixérunt illis: Hìc est: ecce ante te, festína nunc; hodiè enim venit in civitátem, quia sacrifícium est hódiè pópuli in excelso. *Ingredientes urbem, statim inveniétis eum ántequàm ascendat excelsum ad vescendum. Neque enim comestúrus est pópulus, donec ille véniat; quia ipse benedícit hóstiæ, et deinceps cómedunt qui vocáti sunt. Nunc ergo conscéndite, quia hódiè reperiétis eum. ** Et ascendérunt in civitátem. Cùmque illi ambulárent in médio urbis, appáruit Sámuel egrédiens obviam eis, ut ascénderet in excelsum. Dóminus autem reveláverat aurículam Samuélis ante unam diem quàm veníret Saül, dicens: Hâc ipsâ horâ quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Bénjamin, et unges eum ducem super pópulum meum Israel: et salvábit pópulum meum de manu Philisthinórum, quia respexi pópulum meum; venit enim clamor eórum ad me. Cùmque aspexisset Sámuel Saúlem, Dóminus dixit ei: Ecce vir quem díxeram tibi; iste dominábitur pópulo meo.

Tu autem.

℟. Caro mea verè est cibus, et sanguis meus, sine Glória, 192.

LECTIO II.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Mystériis.

(Cap. 9.)

Forte dicas : Aliud vídeo; quómodò tu mihi ásseris quòd Christi corpus accípiam? Probémus non hoc esse quod natúra formávit, sed quod benedíctio consecrávit, majoremque vim esse benedictiónis quàm natúræ; quia benedictióne étiam natúra ipsa mutátur. Virgam tenébat Móyses; projécit eam, et facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, et in virgæ natúram revertit. Vides ígitur prophéticâ grátiâ bis mutátam esse natúram et serpentis et virgæ? Quòd si tantùm váluit humána benedíctio, ut natúram convérteret; quid dícimus de ipsa consecratióne divína, ubi verba ipsa Dómini salvatóris operantur? Nam sacramentum illud quod áccipis, Christi sermóne confícitur.

℟. Sicut misit me, *sine* Glória, 192.

LECTIO III.

De totíus mundi opéribus legisti : Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandávit, et creáta sunt. Sermo ergo Christi qui pótuit ex níhilo fácere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutáre quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quàm mutáre natúras. Sed quid argumentis útimur? Suis utámur exemplis, incarnationisque exemplo astruámus mystérii veritátem. Numquid natúræ usus præcessit, cùm Jesus Dóminus ex María nascerétur? Liquet ígitur quòd præter natúræ órdinem Virgo generávit; et hoc quod confícimus corpus, ex Vírgine est. Quid hìc quæris natúræ órdinem in Christi córpore, cùm præter natúram sit ipse Dóminus Jesus partus ex Vírgine? Vera útique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est : verè ergo carnis illíus sacramentum est. Ipse clamat Dóminus Jesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictiónem verbórum cœléstium ália spécies nominátur; post consecratiónem corpus Christi significátur. Ipse dicit sánguinem suum. Ante consecratiónem áliud dícitur, post consecratiónem sanguis nuncupátur. Et tu dicis, Amen; hoc est, Verum est. Quod os lóquitur, mens interna fateátur; quod sermo sonat, affectus séntiat.

℣. Unus panis, *et non repetitur ab initio post* Glória, 193.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Beátus qui manducábit panem in regno Dei. *Luc.* 14.

OCTAVA

CORPORIS CHRISTI,

ET FESTUM

SACERDOTII EJUSDEM D. N. J. C.

SOLEMNE-MINUS.

IN I. VESPERIS.

Ritu Solemni-Majori.

Psalmi et Ant. ut in II Vesp. Festi Corporis Christi, 195.

Capitulum. (*Hebr.* 7.)

Lex hómines constítuit Sacerdótes infirmitátem habentes : Sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Fílium in æternum perfectum.

℟. Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis : ex útero ante lucíferum génui te. * Tu es sacerdos in æternum. Glória. *Repet.* ℟. Christus. *Hebr.* 5. *Ps.* 109.

HYMNUS.

Cessant figúræ : non litat ímpares
Impar Sacerdos ámpliùs hóstias;
Jam Póntifex fit Numen ipsum;
Seque sibi Deus Agnus offert.
Vitam cruentus qui semel óbtulit,
Se non cruentum júgiter ímmolat,
Mactátus, aris et renascens
Perpétuò moriendo vivit.
Ad grande munus nos Deus érigit,
Quos ungit intùs sacríficos sibi;
Pondus cadúci sustinémus
Angélicis húmeris tremendum.
O quam stupendæ, quas ágimus vices!
Quem prona cœli cúria súspicit,
Sacras ad aras imperantes
Nos dócilis Deus ipse sentit.
Christum, Sacerdos, cœlitus évocas,
Per te creátur, qui creat ómnia;
Immótus orbem qui gubernat,
Se tibi dat fácilem movéri.
Non impotenti, críminis árbiter,

Verbo resolvis férrea víncula :
Quas fers magistrâ voce, Numen
Ecce sibi putat esse leges.
LAUS summa Patri, summaque Fílio,
Qui se parenti cónsecrat Hóstiam :
Sacro Ministri quo dicantur Chrismate, laus tibi, flamen almum. Amen.

℣. Israël, non accípiam de domo tua vítulos; ℟. Neque de grégibus tuis hircos. *Ps.* 49.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. *Duplicanda.* Reprobátio fit præcedentis mandáti, propter infirmitátem ejus et inutilitátem : melióris testamenti sponsor factus est Jesus. *Hebr.* 7.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Antiph. et Hymnus ut in Festo Corporis Christi, 187.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Pontíficem magnum, Jesum Fílium Dei, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 4.

Ps. 94. Veníte, 150

HYMNUS.

TALIS decébat Póntifex
Nobis ut esset ínnocens,
Qui nostra factus víctima,
Delícta gentis éxpiet.

TENTATUS est per ómnia,
Promptusque nobis cómpati,
Nos præliantes ádjuvat,
Et cùm jacémus érigit.
DEO per ipsum nos decet,
Offerre laudis hóstiam ;
Hæc grata laus, quam párturit
Quà Christus ardet cáritas.
NOVI Sacerdos fœderis,
Tuos ministros réspice;
Ut consecráti spíritu,
In spíritu desérviant.
ALTARE fac per ámplius,
In quo te litas Póntifex,
Nos sancta tecum tángere,
Et intuéri límina.
PLACARE quam non désinit
Christus suam per hóstiam,
Sit Trinitáti glória,
Nunc et per omne séculum Amen.

IN I.° NOCTURNO.

In Ps. 15. Conserva me, 86.

Ant. 2. D. Melchísedech rex Salem, Sacerdos Dei summi obviávit Abrahæ, et benedixit ei. *Hebr.* 7.

In Ps. 22. Dóminus regit me, 99.

Ant. 1. a. Intuémini quantus sit hic, cui décimas dedit Abraham Patriarcha. *Hebr.* 7.

In Ps. 25. Júdica me, Dómine, quóniam, 57.

Ant. 4. f. Per Abraham et Levi, qui décimas accépit, decimátus est : adhuc enim in lumbis Patris erat, quan-

dò obviávit ei Melchísedech. *Hebr.* 7.

℣. Unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, ℟. Præ consórtibus tuis. *Ps* 44.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 9.)

Accessit Saül ad Samuélem in médio portæ, et ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. Et respondit Sámuel Saúli, dicens: Ego sum Videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedátis mecum hódiè, et dimittam te mane: et ómnia quæ sunt in corde tuo, indicábo tibi: et de ásinis quas nudiustértius perdidisti, ne sollícitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt óptima quæque Israel? Nonne tibi, et omni dómui patris tui? Respondens autem Saül, ait: Numquid non fílius Jémini ego sum, de mínima tribu Israel, et cognátio mea novíssima inter omnes famílias de tribu Bénjamin? Quare ergo locútus es mihi sermónem istum? Assumens ítaque Sámuel Saúlem et púerum ejus, introduxit eos in triclínium, et dedit eis locum in cápite eórum qui fúerant invitáti.

℟. Melchísedech, rex justítiæ, rex pacis, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, * Assimilátus *Fílio Dei manet Sacerdos in* perpétuum. ℣. Próferens panem et vinum, ait: Benedictus Abram Deo excelso. * Assimilátus. *Hebr.* 7. *Gen.* 14.

LECTIO II.

(Cap. 9 et 10.)

Et comédit Saül cum Samuéle in die illa. Et descendérunt de excelso in óppidum, et locútus est cum Saúle in solário; stravitque Saül in solário, et dormívit. Cùmque mane surrexissent, et jam elucésceret, vocávit Sámuel Saúlem in solário, dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saül; egressique sunt ambo, ipse vidélicet, et Sámuel. Cùmque descénderent in extréma parte civitátis, Sámuel dixit ad Saül: Dic púero ut antecédat nos, et tránseat: tu autem subsiste paulisper, ut índicem tibi verbum Dómini. Tulit autem Sámuel lentículam ólei, et effúdit super caput ejus, et deosculátus est eum, et ait: Ecce unxit te Dóminus super hæreditátem suam in príncipem, et liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum ejus, qui in circúitu ejus sunt.

℟. Necessárium fuit secundùm órdinem Melchísedech álium súrgere sacerdótem, et non secundùm órdinem Aáron dici: * Nihil enim ad perfectum adduxit lex. ℣. Angelus testamenti ecce venit, dicit Dóminus,

et purgábit filios Levi, et erunt Dómino offerentes sacrifícia in justítia. * Nihil ad perfectum. *Hebr.* 7. *Malach.* 3.

LECTIO III.

Et convocávit Sámuel pópulum ad Dóminum in Maspha; et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et érui vos de manu Ægyptiórum, et de manu ómnium regum qui affligébant vos. Vos autem hódie projecistis Deum vestrum, qui solus salvávit vos de universis malis et tribulatiónibus vestris; et dixistis: Nequáquam; sed regem constítue super nos. Nunc ergo state coram Dómino per tribus vestras, et per famílias. Et applícuit Sámuel omnes tribus Israel, et cĕcidit sors tribûs Bénjamin. Et applícuit tribum Bénjamin et cognatiónes ejus, et cécidit cognátio Metri, et pervénit usque ad Saül fílium Cis. Quæsiérunt ergo eum, et non est inventus. Et consuluérunt post hæc Dóminum, utrumnam ventúrus esset illuc. Responditque Dóminus: Ecce abscónditus est domi. Cucurrérunt ítaque, et tulérunt eum inde; stetitque in médio pópuli, et áltior fuit universo pópulo ab húmero et sursum. Et ait Sámuel ad *omnem pópulum*: Certè vi*détis quem elégit* Dóminus, quóniam non sit símilis illi in omni pópulo. Et clamávit omnis pópulus, et ait: Vivat Rex.

℣. Transláto sacerdótio, necesse est ut et legis translátio fiat. * Secundùm similitúdinem Melchísedech álius sacerdos, non secundùm legem mandáti carnális factus est, sed secundùm virtútem vitæ insolúbilis. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, ante luciferum génui te: Tu es sacerdos in æternum. * Secundùm similitúdinem Melchísedech. Glória. * Secundùm. *Hebr.* 7. *Ps.* 109.

IN II.° NOCTURNO.

In Ps. 41. Quemádmodum, *cum suâ divisione,* 78.

Ant. 3. à. Umbram habens lex futurórum bonórum, hóstiis quas ófferunt nunquàm potest accedentes salvos fácere. *Hebr.* 10.

In Ps. 42. Júdica me Deus, 79.

Ant. 2. *D.* Ideò Christus ingrédiens mundum, dicit: Holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt, dixi: Ecce vénio. *Hebr.* 10.

In Ps. 64. Te decet, 74.

Ant. 7. a. Hic unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempiternum sedet in déxtera Dei. *Hebr.* 10.

℣. Si voluisses sacrifícium, dedissem útique. ℟. Holocaustis non delectáberis. Ps. 50.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Enarr. in Ps. 109, n. 17.)

CHRISTUS secundùm id quòd natus de Patre, Deus apud Deum, coæternus gignenti, non Sacerdos: sed Sacerdos propter carnem assumptam, propter víctimam quam pro nobis offerret à nobis acceptam. Jurávit Dóminus. Quid est, jurávit Dóminus? firmávit. Non enim pœnitébit. Non mutábit. Quid? Tu es Sacerdos in æternum. Ideo in æternum, quia non pœnitébit eum. Sed Sacerdos, secundùm quid? Numquid erunt illæ hóstiæ víctimæ oblátæ à Patriarchis, aræ sánguinis et Tabernáculum, et illa primi testamenti véteris Sacramenta? absit. Jam illa subláta sunt everso jam Templo, remóto illo Sacerdótio, pereunte víctimâ eórum, et sacrifício

℟. Omnis Sacerdos præstò est quotídiè ministrans, et easdem sæpè ófferens hóstias, quæ nunquàm possunt auferre peccáta: * Jesus autem unâ oblatióne, consummávit in sempiternum sanctificátos. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen: Per síngulos dies unum agnum manè, álterum verò agnum ófferes ad vésperam. * Jesus autem unâ oblatióne. *Hebr.* 10. *Exod.* 29.

LECTIO V.

(Enarr. 1, in Ps. 33, n. 5 et 6.)

ERAT ut nostis sacrifícium Judæórum ántea secundùm órdinem Aáron in víctimis pécorum, et hoc in mystério: nondum erat sacrifícium córporis et sánguinis Dómini quod fidéles norunt, et qui Evangélium legérunt; quod sacrifícium nunc diffúsum est toto orbe terrárum. Propónite ergo vobis ante óculos duo sacrifícia, et illud secundùm órdinem Aáron, et hoc secundùm órdinem Melchísedech. Scriptum est enim: Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

℟. In priori tabernáculo semper introïbant Sacerdótes: in secundo autem semel in anno solus Póntifex, non sine sánguine. * Christus autem non per sánguinem hircórum, sed per próprium sánguinem, introívit semel in sancta, æternâ redemptióne inventâ. ℣. Póntifex cùm mactáverit hircum pro peccáto pópuli, inferet sánguinem ejus intra velum sanctuárii. * Christus autem. *Hebr.* 9. *Levit.* 16.

LECTIO VI.

DE quo dícitur, Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech?

de Dómino nostro Jesu Christo. Quis erat Melchísedech? Rex Salem. Et tantus erat Melchísedech à quo benedicerétur Abraham. Prótulit panem et vinum, et benedixit Abraham, et dedit ei décimas Abraham. Vidéte, quid prótulit, et quem benedixit. Et dictum est póstea : Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. De quo álio dicit (David) : Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech? nisi de illo cujus nostis sacrifícium. Caro et sanguis Dómini novum sacrifícium.

℣. Alii plures facti sunt Sacerdótes, idcircò quòd morte prohiberentur permanére : * Jesus eò quòd máneat in æternum sempiternum habet sacerdótium. ℣. Ascendit Aáron Sacerdos in montem Hor, jubente Dómino, et ibi mórtuus est. * Jesus. Glória. * Jesus. *Hebr.* 7. *Num.* 33.

IN III.° NOCTURNO.

In Ps. 80. Exultáte Deo, 92.

Ant. 8. G. Omnis Póntifex ad offerendum múnera, et hóstias constitúitur. *Hebr.* 8.

In Ps. 83. Quam dilecta, 98.

Ant. 6. F. Si sanguis hircórum inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quantò magis sanguis Christi emundábit conscientiam nostram? *Hebr.* 9.

In Ps. 95. Cantáte... omnis terra, 39.

Ant. 5. a. Novi Testamenti mediátor est, ut morte intercedente, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt æternæ hæreditátis. *Hebr.* 9.

℣. Congregáte illi sanctos ejus, ℟. Qui órdinant testamentum ejus super sacrifício. *Ps.* 49.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 22.)

Cum facta esset hora, discúbuit Jesus, et duódecim Apóstoli cum eo, et ait illis : Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobiscum, ántequàm pátiar. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

(Epist. 63, ad Cœcilium de sacro Domini calice.)

In Sacerdóte Melchísedech sacrifícii Domínici sacramentum præfigurátum vidémus, secundùm quòd Scriptúra divína testátur, et dicit: Et Melchísedech Rex Salem prótulit panem et vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quòd autem Melchísedech typum Christi portáret, declárat in Psalmis

Spíritus sanctus, ex persóna Patris ad Fílium, dicens: Ante lucíferum génui te: Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. Qui ordo útique hîc est de sacrifício illo véniens, et inde descendens, quòd Melchísedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem et vinum óbtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dóminus noster Jesus Christus, qui sacrifícium Deo Patri óbtulit, hoc idem quod Melchísedech obtúlerat, id est panem et vinum, suum scílicet corpus et sánguinem.

℟. Cœnántibus, 191.

LECTIO VIII.

(Paulò post.)

Ut ergo in Génesi per Melchísedech Socerdótem benedíctio circa Abraham posset ritè celebrári, præcédit antè imágo sacrifícii Christi, in pane et vino scílicet constitúta. Quam rem perfíciens et adimplens Dóminus, panem et cálicem mixtum óbtulit; et qui est plenitúdo veritátis, veritátem præfigurátæ imáginis adimplévit. Sed et per Salomónem Spíritus sanctus typum Domínici sacrifícii ante præmonstrans, immolátæ hóstiæ, et panis et vini, sed et altáris et Apostolórum fáciens mentiónem, *Sapiéntia, inquit, ædificávit sibi* domum, et súbdidit columnas septem: mactávit suas hóstias, míscuit in cratéra vinum suum, et parávit mensam suam; et misit servos suos cónvocans cum excelsa prædicatióne ad cratérem, dicens: Qui est insípiens declínet ad me; et egéntibus sensu dixit: Veníte, édite de meis pánibus, et bíbite vinum quod míscui vobis. Vinum mixtum declárat, id est, cálicem Dómini aquâ et vino mixtum prophéticâ voce prænúntiat, ut appáreat in Passióne Domínica id esse gestum, quod fúerat ante prædictum.

℟. Accípiens, 191.

LECTIO IX.

(Longè post.)

Si Jesus Christus Dóminus et Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, et sacrifícium Patri seipsum primus óbtulit, et hoc fieri in suî commemoratiónem præcépit, útique ille Sacerdos vice Christi verè fúngitur, qui id quod Christus fecit imitátur; et sacrifícium verum et plenum tunc offert in Ecclésia Deo Patri, si sic incípiat offerre, secundùm quod ipsum Christum vídeat obtúlisse. Nam si Sacerdótes Dei et Christi sumus, non invénio quem magis sequi quàm Deum et Christum debeámus, quandò ipse in Evangelio máxi-

mè dicat : Ego sum lumen sécuti : Qui me secátus fúerit, non ambulábit in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Ne ergo in ténebris ambulémus, Christum sequi et præcepta ejus observáre debémus; ut cùm in claritáte sua, et majestáte cœlesti venire cœperit, invéniat nos tenére quod mónuit, observáre quod dócuit, fácere quod fecit.

℟. Ait Jesus Apóstolis : Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobiscum, ántequam pátiar : * Hoc facite in meam commemoratiónem. ℣. Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Hoc. Glória. *Rep.* ℟. *usque ad* ℣. *Luc.* 22. *Ps.* 4.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Dómini est assúmptio nostra. ℟. Et sancti Israel Regis nostri. *Ps.* 88.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. D. Talis decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus à peccatóribus. *Hebr.* 7.

Ant. 2. D. Débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, et fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. *Hebr.* 2.

Ant. 3. c. Dilexit nos, et *trádidit* semetipsum pro nobis *oblatiónem* et hóstiam Deo in odórem suavitátis, *Ephes.* 5.

Canticum, Sapiéntia, *ut in Festo Corp. Christi*, 193.

Ant. 7. d. Consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis æternæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech. *Hebr.* 5.

Ant. 5. a. Salváre in perpétuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. *Hebr.* 7.

Capitulum. (*Hebr.* 8.)

MELIUS sortítus est ministérium, quantò et melióris testamenti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est.

HYMNUS.

QUOS sibi, nostram méditans salútem,
Nexibus sanctis Deus alligávit,
Audiant Christum dócili monentem
Aure ministri.
Vos gregi Pastor vóluit præíre :
Inter et servos numeráre cessans,
Intimos vobis ánimi recessus
Pandit amícus.
Vos decet pacem pópulis precári,
Móribus sanctis decet hanc meréri :
Sancta, dùm legem pópulus requíret,
Vita loquátur.

VICTIMAM sese dedit ipse Christus,
Víctimam rursùm litat hic Parenti,
Et manu vestrâ cadit immolátus
Ipse Sacerdos.
SACRA divínus cruor ora tingit,
Totus et vestro sedet ore Christus:
Totus ah! vestro sédeat refúsus
Péctore Christus.
LAUS tibi detur, Génitor, perennis:
Juge sit Nato decus, et perennem
Múneris laudem réferat superni
Spíritus auctor. Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári, ℟. Et Sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. *Duplicanda.* Christus Póntifex futurórum bonórum ad destitutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit. *Hebr.* 9.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui ad majestátis tuæ glóriam, et géneris humáni salútem, Unigénitum tuum summum constituisti Sacerdótem, eíque ad sacrificandum tibi hóstiam mundam Sacerdótes Ministros sociasti; præsta, ut omnes qui vocatióne tam sanctâ dignáti sunt, altári tuo *devóte ministrent, et seipsos hóstiam* vivam et sanctam offerre mereantur; Per eumdem.

AD HORAS, *in fine Hymnorum, Doxologia:*

SUPREME Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Psalmi de Dominicâ.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Talis decébat.

CANON *proprius, ad calcem.*

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Débuit.

Capitulum. (*Hebr.* 4.)

NON habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris: tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto: adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ.

℟. *br.* Cálicem salutáris * accípiam; * Allelúia, allelúia. Cálicem. ℣. Et nomen Dómini invocábo; * Allelúia. Glória. Cálicem.

℣. Vota mea Dómino reddam; ℟. In conspectu omnis pópuli ejus. *Ps.* 115.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Dilexit nos.

Capitulum. (*Hebr.* 10.)

HABENTES fidúciam in introítu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam et viventem per velámen, id est,

carnem suam, et Sacerdótem magnum super domum Dei, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem.

℟. *br.* Memor sit Dóminus * sacrifícii tui : * Allelúia, allelúia. Memor sit. ℣. Et holocaustum tuum * pingue fiat. * Allelúia. Glória. Memor sit.

℣. Lætábimur in salutári tuo, ℟. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. *Ps.* 19.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Salváre.

Capitulum. (*Hebr.* 8.)

TALEM habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum minister, et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus * Christum suum ; * Allelúia, allelúia. Salvum. ℣. Exáudiet illum * de cœlo sancto suo ; * Allelúia. Glória. Salvum. *Ps.* 19.

℣. Mirificávit Dóminus sanctum suum : ℟. Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum. *Ps.* 4.

AD II. VESPERAS.

Ant. et Psalmi ut in Festo Corporis Christi.

Capitulum. (*Jerem.* 31.)

INEBRIABO ánimam Sacerdótum pinguédine : et pópulus meus bonis meis adimplébitur, ait Dóminus.

Allelúia, allelúia. ℣. Jesus Christus, fecit nos regnum et Sacerdótes Deo et Patri suo : ipsi glória et impérium in sécula seculórum. Allelúia. *Apoc.* 1.

Hymnus. Cessant figúræ, *ut in I. Vesperis,* 211.

℣. Sacrífícent sacrifícium laudis : ℟. Et annúntient ópera ejus in exultatióne. *Ps.* 106.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. *Duplicanda.* Fratres sancti vocatiónis cœlestis partícipes, consideráte Apóstolum, et Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei qui fecit illum. *Hebr.* 3.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Ut in Festo Corporis Christi, 187.

FERIA SEXTA

HEBD. II POST PENTECOSTEN.

Officium ut in Psalterio.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 12.)

DIXIT Sámuel ad universum Israel : Ecce audívi vocem vestram juxta ómnia quæ locúti estis ad me, et constítui super vos regem. Et nunc rex gráditur ante vos : ego autem sénui, et incánui ; porrò filii mei vobiscum

sunt: ítaque conversátus coram vobis ab adolescéntia mea usque ad hanc diem, ecce præstò sum. Loquímini de me coram Dómino, et coram Christo ejus, utrùm bovem cujusquam túlerim, aut ásinum; si quémpiam calumniátus sum, si oppressi áliquem, si de manu cujusquam munus accépi: et contemnam illud hódiè, restituamque vobis. Et dixérunt: Non es calumniátus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicújus quíppiam. Dixitque ad eos: Testis est Dóminus adversùm vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non invenéritis in manu mea quíppiam. Et dixérunt: Testis.

℣. Dílectus à Dómino Deo suo Sámuel Prophéta Dómini renovávit impérium: * In lege Dómini congregatiónem judicávit, et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis. ℣. Deus sorte distríbuit pátribus terram, et post hæc dedit Júdices usque ad Sámuel Prophétam. * In lege Dómini. *Eccli.* 46. *Act.* 13.

LECTIO II.

Et ait Sámuel ad pópulum: Dóminus, qui fecit Móysen et Aáron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti. Nunc ergo state, ut judício contendam adversùm vos coram Dómino, de ómnibus *misericórdiis Dómini*, quas fecit vobiscum et cum pátribus vestris: quómodò Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamavérunt patres vestri ad Dóminum; et misit Dóminus Móysen et Aáron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocávit eos in loco hoc. Qui oblíti sunt Dómini Dei sui, et trádidit eos in manu Sísaræ magistri milítiæ Hasor, et in manu Philisthinórum, et in manu regis Moab, et pugnavérunt adversùm eos. Pósteà autem clamavérunt ad Dóminum, et dixérunt: Peccávimus, quia derelíquimus Dóminum, et servívimus Báalim et Astaroth: nunc ergo érue nos de mánu inimicórum, nostrórum, et serviémus tibi. Et misit Dóminus Jerobaal, et Badan, et Jephte, et Sámuel, et éruit vos de manu inimicórum vestrórum per circúitum, et habitastis confidenter. Videntes autem quòd Naas rex filiórum Ammon venisset adversùm vos, dixistis mihi: Nequáquam, sed rex imperábit nobis, cùm Dóminus Deus vester regnáret in vobis. Nunc ergo præstò est rex vester, quem elegistis et petistis.

℣. Dixit Sámuel ad universum Israel: Nolíte declináre post vana quæ non próderunt vobis: et non derelinquet Dóminus pópulum suum. Quod * Si perseveravéritis in malítia, peribitis ℣. Nescítis quóniam servi

estis ejus cui obedítis, sive peccáti ad mortem, sive obeditiónis ad justítiam ? * Si. 1. *Reg.* 12. *Rom.* 6.

LECTIO III.

Et clamávit Sámuel ad Dóminum, et dedit Dóminus voces et plúvias in illa die. Et timuit omnis pópulus nimis Dóminum et Samuélem; et dixit universus pópulus ad Samuélem : Ora pro servis tuis ad Dóminum Deum tuum, ut non moriámur; addídimus enim universis peccátis nostris malum, ut peterémus nobis regem. Dixit autem Sámuel ad pópulum : Nolíte timére, vos fecistis universum malum hoc; verúmtamen nolíte recédere à tergo Dómini, sed servíte Dómino in omni corde vestro. Et nolíte declináre post vana, quæ non próderunt vobis, neque éruent vos; quia vana sunt. Et non derelinquet Dóminus pópulum suum, propter nomen suum magnum; quia jurávit Dóminus fácere vos sibi pópulum. Absit autem à me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis, et docébo vos viam bonam et rectam. Igitur timéte Dominum, et servíte ei in veritáte, et ex toto corde vestro.

℟. Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, * *Auferte deos* aliénos de *médio vestri*, *et* præparáte corda vestra Dómino, et servite ei soli. ℣. Genus cùm simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argento, aut lápidi Divinum esse símile. * Auferte. Glória. * Auferte. 1. *Reg.* 7. *Act.* 17.

Collecta, Deus, qui Ecclésiam tuam, *suprà*, 205.

SABBATO

[*Hodie et aliis Sabbatis usque ad Adventum, fit officium de B. Maria Virgine in Sabbato, nisi occurrat Festum Duplex aut suprà, vel dies intra Octavam primi vel secundi ordinis* (*id est, diei in quo non potest fieri de Semiduplici*) *vel diei intra Octavam B. M. V., vel aliqua Feria privilegiata, ut feriæ Quatuor Temporum, vel vigilia alicujus Festi ritûs annualis.*

Si autem de B. M. V. non possit fieri Officium, fiet saltem commemoratio de ea in Vesperis Feriæ sextæ, et in Laudibus Sabbati, præterquàm in Solemnibus et suprà. (*Omittetur autem hæc Commemoratio intra Octavam Annualium Domini.*)

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 13.)

Filius uníus anni erat Saül cùm regnáre cœpisset; duóbus autem annis regnávit super Israel. Et elégit sibi Saül tria míllia de Israel : et erant cum Saül duo míllia in Machmas et in monte Be-

thel, mille autem cum Jónatha in Gábaa Bénjamin: porrò céterum pópulum remísit unumquemque in tabernácula sua. Et percussit Jónathas statiónem Philisthinórum, quæ erat in Gábaa Quod cùm audissent Philísthiim, Saül cécinit búccinâ in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. Et universus Israel audívit hujuscémodi famam: Percussit Saül statiónem Philistinórum; et erexit se Israel adversùs Philísthiim. Clamávit ergo pópulus post Saül in Gálgala.

LECTIO II.

Et Philísthiim congregáti sunt ad præliandum contra Israel, triginta míllia cúrruum, et sex míllia équitum, et réliquum vulgus, sicut aréna quæ est in líttore maris plúrima. Et ascendentes castrametáti sunt in Machmas ad orientem Béthaven. Quod cùm vidissent viri Israel se in arcto pósitos, (afflictus enim erat pópulus) abscondérunt se in speluncis et in ábditis, in petris quoque, et in antris, et in cisternis. Hebræi autem transiérunt Jordánem in terram Gad et Gálaad. Cùmque adhuc esset Saül in Gálgala, universus pópulus pertérritus est qui sequebátur eum. Et expectávit septem diébus juxta plácitum Samuélis, et non venit Sámuel in Gálgala, dilapsusque est pópulus ab eo.

LECTIO III.

Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum et pacífica. Et óbtulit holocaustum: Cumque complesset ófferens holocaustum, ecce Sámuel veniébat; et egressus est Saül óbviam ei, ut salutáret eum. Locutusque est ad eum Sámuel: Quid fecisti? Respondit Saül: Quia vidi quòd pópulus dilaberétur à me, et tu non véneras juxta plácitos dies, (porrò Philísthiim congregáti fúerant in Machmas) dixi: Nunc descendent Philísthiim ad me in Gálgala, et fáciem Dómini non placávi: necessitáte compulsus óbtuli holocaustum. Dixitque Sámuel ad Saül: Stulte egisti, nec custodísti mandáta Dómini Dei tui, quæ præcépit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dóminus regnum tuum super Israel in sempiternum; sed nequáquam regnum tuum ultra consurget. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum; et præcepit ei Dóminus ut esset dux super pópulum suum, eò quòd non serváveris quæ præcépit Dóminus.

Vesperæ *de sequenti.*

IN FESTO

SACRATISSIMI CORDIS JESU.

SOLEMNE-MAJUS.

¶ *Si Dominica III post Pent. occurrat* 24 *vel* 29 *Junii, Festum SS. Cordis transfertur in Dominicam IV. In hoc autem posteriori casu, Officium SS. Pontificum Romanorum anticipabitur in diem quintam Julii et de eo fiet Commemoratio in I. Vesperis Sacratissimi Cordis Jesu, nihilque fiet ampliùs de Octava SS. Apostolorum.*

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 1. D. Delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum : Beáti qui custódiunt vias meas. *Prov.* 8.

Ant. 3. E. Fériam eis pactum sempiternum, et non désinam eis benefácere. *Jerem.* 32.

Ant. 6. F. Lætábor super eis cùm benè eis fécero in toto Corde meo, et in tota ánima mea. *Jerem.* 32.

Ant. 7. G. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. *Osee.* 11.

Ant. 5. C. Erunt mihi in pópulum, et ego ero eis in Deum : addúcam super eos omne bonum quod ego loquor ad eos. *Jerem.* 32.

Capitulum. (*Is.* 66.)

Hæc dicit Dóminus; Ecce ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis, et quasi torrentem inundantem. Ad úbera portabímini, et super génua blandientur vobis. Quómodò si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos : vidébitis, et gaudébit cor vestrum.

℟. Tránsite ad me omnes qui concupiscitis me, et à generatiónibus meis implémini : * Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. ℣. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. * Spíritus. Glória Patri. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Eccli.* 34. *Matth.* 11.

HYMNUS.

Quæ latus Jesu cruenta
Perforávit láncea,
Dives hæc nobis reclúsit
Péctoris sacrárium :
Orbis occurrat, salútis
En patescit óstium

Non, ut olim monte sancto,
Hic Deus nos térritat :
Inter ignes non minátur,
Totus ecce cáritas :
Spirat almum Cor amórem,
Cordis exposcens vices.
Hinc fluunt tórrentis instar
Gratiárum flúmina :
Hic salus ægris parátur,
Fléntibus solátium ;
Hic labórans sublevátur,
Hic beátur índigus.
Surge, quid reus moráris?
Hic thronus cleméntiæ ;
Voce Cor Jesu disertâ
Orat indulgéntiam :
Tela natus jam vibrantem
Patris exarmat manum.
Vana ne fiant amóris
Tam stupendi pígnora,
Tu rebellis, Christe, mentis
Frange contumáciam ;
Quæ tuum pectus perúrit,
Úrat et nos cáritas.
Sit perennis laus Parenti,
Qui creávit ómnia,
Filióque qui redémit
Morte nos volens suâ :
Flaminique cujus almo
Confovémur hálitu. Amen.

℣. Tu, Dómine, suávis et mitis. ℟. Et multæ misericórdiæ, ómnibus invocántibus te. *Ps.* 85.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. E. *Duplicanda.* Tóllite jugum meum super vos, et díscite à me, quia mitis sum et húmilis Corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. *Matth.* 11.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Pro Commem. Dominicæ III post Pentecosten.

Ant. Multò mélior est obediéntia, quàm stultórum víctimæ, qui nésciunt quid fáciunt mali. *Eccles.* 4.

℣. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo; ℟. Et exaltábit mansuétos in salútem. *Ps.* 149.

Collecta, Protector in te sperántium, *ut infrà ad Laudes.*

Commem. SS. Cordis Beatæ M. V.

Ant. Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo, quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1.

℣. Bénedic ánima mea Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

Collecta, Deus, qui cor et mentem, *ut infrà ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 2. A. Unus mílitum lánceâ latus Jesu apéruit, et contínuò exívit sanguis et aqua. *Joan.* 18.

Hymn. Grates, *cum Doxologia sequenti :*

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Adusta sacris ígnibus,
Fac, Christe, corda férveant. Amen.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. c. Qui sitit, véniat : et qui vult, accípiat aquàm vitæ, gratis. *Apoc.* 22.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM Christum qui dilexit nos, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O QUAM digna coli cántibus æmulis
Quæ Christi látitant Corde sub íntimo!
Patris progénies, Christus Homo Deus,
Quantis dignus honóribus!
IN templum Génitor péctoris íntima
Præsens ipse suo númine cónsecrat,
Dùm votis Génitus supplícibus Patrem
Cultu non colit ímpari.
ARDENS intériùs, qui, sacer ártifex,
Tantum finxit opus, Spíritus ínsidet;
Perlustrans óperis grande decus sui:
Mirum quàm sibi complacet!
IN Christo quot opes dona sciéntiæ
Quot præcelsa Pater pródigus ábdidit!
O quàm dives adest in penetrálibus
Thesaurus sapiéntiæ.
AT quàm fausto aperit vúlnere láncea,
Quo nos partúriat, Pectus *amábile!*
Isto fonte fluens nos aqua, nos cruor
Sanat, récreat, ábluit.
O VITÆ látices, vívida flámina!
O sacros áditus péctoris íntimi!
Da nos, Christe, piis munéribus tui
Cordis perpétuò frui.
Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ps. 8. Dómine, Dóminus noster, 37, *Ant.* 6. F. Christus dilexit nos et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo, in odórem suavitátis. *Ephes.* 5.

Ps. 22. Dóminus regit me, 99, *Ant.* 3. a. Largitus est nobis multitúdinem bonórum secundùm indulgéntia suam, et secundùm multitúdinem misericordiárum suárum. *Is.* 63.

Ps. 64. Te decet hymnus, 74, *Ant.* 5. F. Quis súfficit enarráre ópera illíus? quis investigábit magnália ejus, aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus. *Eccli.* 18.

℣. Suávis Dóminus universis, ℟. Et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus. *Ps.* 144.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

(Cap. 1, 3.)

BENEDICTUS Deus et Pater

Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte : qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilecto fílio suo in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secundùm divítias grátiæ ejus quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia.

℟. Recordátus est Dóminus pópuli sui ; et factus est eis Salvátor : * In dilectióne sua, et in indulgéntia sua ipse redémit eos et portávit eos, et elevávit eos cunctis diébus. ℣. Jesus cùm dilexisset suos qui erant in mundo ; in finem dilexit eos. * In dilectióne sua. *Is.* 63. *Joan.* 13.

LECTIO II.

(Cap. 2, 4.)

Deus autem, qui dives est in misericórdia propter nímiam caritátem suam quâ dilexit nos, cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (cujus grátiâ *estis salváti*), et conresuscitávit et consedére fecit in cœlestibus in Christo Jesu ; ut osténderet in sécúlis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Grátiâ enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est ; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus.

℟. Dóminus Jesus in quâ nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, * Et dixit : Accípite, et manducáte : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se. * Et dixit. 1. *Cor.* 11. *Ps.* 110.

LECTIO III.

(Cap. 3, 14.)

Hujus rei grátiâ flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secundùm divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in caritáte radicáti et fundáti, ut possitis com-

prehéndere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profundum; scire étiam supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem qui potens est ómnia fácere superabundanter quàm pétimus aut intellígimus, secundùm virtútem quæ operátur in nobis, ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes séculi seculórum. Amen. Tu autem.

℟. Commendat caritátem suam Deus in nobis, * Quóniam cùm adhùc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. ℣. Aspícite quæ fecit nobisoum, convertímini ítaque peccatóres, credentes quod fáciat vobiscum misericórdiam suam. * Quóniam. Glória. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣. *Rom.* 5. *Tob.* 13.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 80. Exultáte Deo, 92, *Ant.* 4. E. Fílios enutrívi et exaltávi, ipsi autem sprevérunt me. *Is.* 1.

Ps. 83. Quàm dilecta, 98, *Ant.* 3. a. Ego quasi nutrítius portábam eos in bráchiis meis; et nesciérunt quod curárem eos. *Osee* 11.

Ps. 84. Benedixisti, Dómine, 53, *Ant.* 1. a. Ecce viri dorsa habentes contra templum Dómini? Numquid leve est hoc, ut fácerent abominatiónes istas, quas fecérunt hìc? *Ezech.* 8.

℣. Si inimícus meus maledixisset mihi, sustinuissem útique. ℟. Tu verò homo unánimis. *Ps.* 54.

LECTIO IV.

CULTUS sacratíssimi Cordis Jesu plúribus præcedéntium ætátum viris sanctitáte et doctrínâ conspícuis familiáris, desinente século décimo séptimo in Gálliis celébrior habéri cœpit. In ipsíus honórem várias in locis extructa sunt altária; vota nuncupáta, festa celebráta. Crescentem in dies fidélium devotiónem plúrimis Deus miráculis comprobávit, inter quæ memoranda semper súbita pestis illíus extínctio quæ Massíliam depopulabátur. Hinc ubique erecta grati ánimi erga Cor tam benéficum monumenta. Nec jam intra Gálliæ fines stetit pretiósus ille cultus. Succedéntibus annis per totam Europam propagátus est, et apud plerasque étiam remotíssimas réliqui orbis regiónes diffúsus.

℟. Impropérium expectávit Cor meum et misériam: * Et sustínui qui simul contristarétur et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni. ℣. Tristítia mihi magna est, et contínuus dolor Cordi meo. * Et sustínui qui simul contristarétur. *Ps.* 68. *Rom* 9.

LECTIO V.

Hoc attendens Clemens décimus tértius summus Póntifex, vestigiisque prædecessórum suórum insistens, qui devotiónem istam non semel approbáverant, Polóniæ Ecclésiis, aliisque id postulántibus, summo Religiónis enutriendæ zelo festum sacratíssimi Cordis Jesu celebrandi, officiumque in ejus honórem recitandi facultátem concessit. Undè Epíscopi hujusce Regni pro comítiis generálibus Parísiis congregáti anno Dómini millésimo septingentésimo sexagésimo quinto, piíssimis augustæ Regínæ Maríæ votis ultrò annuentes, eamdem devotiónem in sua quisque diœcési instituendam esse unánimi consensu decrevérunt, ceterosque Galliárum Epíscopos ad eam cum ipsis adoptandam per lítteras invitárunt, ut quos habébant dignitátis consortes, eosdem tam laudábilis institúti habérent æmulatóres. Hanc autem festivitátem pópulus celebrandam propónunt piíssimi Præsules, ut fidéles immensam illam Salvatóris nostri caritátem sub sacratíssimi Cordis ejus symbolo devótè recolentes vehementiùs excitentur, tùm ad redamandum ardéntiùs Cor sacratíssimum ex quo tam divíni erga nos affectus *profluxérunt, tùm ad majóres* redemptiónis fructus percipiendos, tùm ad reparandas abundantiùs injúrias in augustíssimo Eucharístiæ sacramento dulcíssimo Salvatóri illátas. Quantùm autem Deo sit acceptus cultus ille, probant fructus virtútum ubérrimi, qui ubicumque susceptus fuit ab ipso prodisse cernuntur.

℟. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, ego autem orábam. * Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, et ódium pro dilectióne mea. ℣. Egò veni ut vitam hábeant, et abundántiùs hábeant; * Et. *Ps.* 108. *Joan.* 10.

LECTIO VI.

De Sermóne sancti Bonaventúræ Epíscopi.

(De stimulo amoris, part. 1, cap. 1.)

O Passio desiderábilis! O mors admirábilis! Quid mirabílius, quàm quòd mors vivíficet, vúlnera sanent, sanguis album fáciat, apértio láteris Cor cordi conjungat! O mors amábilis! O mors delectábilis! Non volo ámpliùs à Jesu separári. Bonum est enim cum illo esse, et in ipso volo tria tabernácula fácere, unum in mánibus, unum in pédibus, sed áliud contínuum in látere. Ibi loquar ad Cor ejus, et ab ipso quod volúero impetrábo. Sic fáciens, dulcis-

simæ Matris vestígia sequar, cujus ánimam passiónis Fílii gládius pertransívit. O amantíssima vúlnera Dómini nostri Jesu Christi! Quantâ credis ánimam frui dulcédine, quæ per illa forámina conjúngitur Cordi Christi? Certè exprímere tibi néqueo, sed experíre et scito.

℟. Factus est in Corde meo ignis exæstuans, et deféci ferre non sústinens, * Audívi enim contumélias à viris qui erant pacífici mei, et qui custodiébant latus meum. ℣. Dolor meus super dolórem, in me Cor meum mœrens. * Audívi enim contumélias. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Jer.* 20 et 8.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 95. Cantáte Dómino... cantáte, 39, *Ant.* 2. D. Numquid et vos vultis abíre? Dómine, ad quem íbimus? verba vitæ æternæ habes. *Joan.* 6.

Ps. 41. Quemádmodum desíderat, 78, *Ant.* 5. a. Etsi discédat unusquisque, non faciémus sicut omnes: non est nobis útile ut eámus álterà viâ. 1. *Mach.* 2.

Ps. 102. Bénedic, ánima mea... et ómnia, *cum sua divis.* 80, *Ant.* 8. G. Et nunc séquimur te in toto corde, ne confundas nos: sed fac nobiscum juxtà mansuetúdinem tuam. *Dan.* 3.

℣. *Ecce* qui elongant se *à te, períbunt*; ℟. Mihi autem adhærére Deo bonum est. *Ps.* 72.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 19, 31.)

In illo témpore; Judæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in Cruce córpora Sábbato (erat enim magnus dies ille Sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangerentur eórum crura, et tollerentur. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(84, in Joan.)

Venerunt mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judæórum grátiam conciliandam latus ejus láncea aperuérunt, et sic mórtuo adhuc insultant. O péssimam voluntátem ac scelestíssimam! Noli tamen perturbári, dilectíssime; quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophetía hinc impléta est, ínquiens: Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantùm, sed non creditúris fuit fídei argumentum; ut Thomæ et his qui ei símiles futúri erant. Ad hæc et arcánum mystérium consummátum est. Exívit enim sanguis et aqua. Non casu et sine causa hi fontes scaturiérunt, sed quó-

niam ex ambobus Ecclésia constituta est. Sciunt hoc initiáti; per aquam enim regeneráti, Sánguine et Carne nutriuntur. Hinc Mystéria ortum habent, ut quóties ad admirandum Cálicem accédis, tanquam ab ipso látere háuriens accédas. Et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus. Hoc est, non aliunde audívi, sed ipse áffui. Contumélias narrat, et vides quantam ádhibet diligéntiam ut credátur, Scílicet quæ máximè ignominiósa videntur, hæc sunt bonórum nostrórum pretiosíssima.

℣. Ecce sancta nostra, et pulchritúdo nostra, et cláritas nostra desoláta est, et coinquinavérunt ea gentes. * Quò ergo nobis adhuc vívere? ℣. Subintroiérunt hómines ímpii, Dóminum nostrum Jesum Christum negantes; locúti sunt contra Deum.* Quò. 1. *Mach.* 1. *Judæ* 4 et 15.

LECTIO VIII.

Fortasse hæc audientes conflagrátis, et eos qui cum Jesu tunc fuérunt beátos dúcitis. Adnitámur ergo pro víribus ut fáciem ejus admirábilem intueámur. Nam si nunc hæc audiendo irà flagrámus, et illis tempóribus, quibus in terra versátus est, fuisse, vocem audisse, fáciem vidisse, allocútum esse, tetigisse, *ei ministrasse*, desiderámus; considera qualis visu futúrus sit, non in córpore ámplius mortáli, neque humána pátiens, sed Angelis stipátus; cùm nos quoque, immortáli córpore, eum vidébimus. Quare adnitámur ne tantâ excidámus glóriâ. Neque enim difficile est, modò velímus; neque onerósum, si attendérimus. Dirigámus óculos in cœlum, et illa semper imaginémur bona, atque inspiciámus, in quibus si semper versábimur, neque bona hujus mundi nos allícient, neque mala molestè ferémus. Et quid dico præsentibus malis non dolitúros, immò ne vidére quidem ea putábimus. Tantus enim est amor, ut non præsentes tantùm, sed absentes quos dilígimus, quotídiè cérnere videámur. Magna namque dilectiónis vis, ómnia neglígit, et dilecto ánimum cólligat. Si Christum ita diligerémus, humána ómnia nobis umbra, imágo sómnium viderentur. Dicerémus et nos: Quis nos separábit à caritáte Christi?

℣. Ecce irátus es, Dómine, et peccávimus: et nunc, Dómine, Pater noster es tu, et ópera mánuum tuárum omnes nos: * Ne irascáris, Dómine, satis, et ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ; ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. ℣. Occísus es, Dómine, et redemisti nos

Deo in sánguine tuo; * Ne. *Is.* 64. *Apoc.* 5.

LECTIO IX.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 15.)

In illo témpore; Erant appropinquantes Jesu publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant Pharisæi et Scribæ, dicentes: Quia hic peccatóres récipit, et manducat cum illis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 34, in Evang. N. 4.)

Considerandum nobis est, fratres mei, cur Dóminus plus de conversis peccatóribus, quàm de stántibus justis, in cœlo gáudium esse fateátur. Nisi hoc quòd ipsi per quotidiánum visiónis experimentum nóvimus, quia plerumque hi qui nullis se oppressos peccatórum mólibus sciunt, stant quidem in via justítiæ, nulla illícita pérpetrant, sed tamen ad cœlestem pátriam ánxiè non anhélant; tantóque sibi in rebus lícitis usum præbent, quantò se perpetrasse nulla illícita meminérunt. Et plerumque pigri rémanent ad exercenda bona præcípua; quia valdè sibi secúri sunt, quòd nulla commíserint mala *gravióra*.

℟. Vos qui permansístis mecum in tentatiónibus meis: * Non turbétur cor vestrum, quodcumque voluéritis, petétis, et fiet vobis: sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. ℣. Qui pacíficè venistis ad me, ut auxiliémini mihi, Cor meum jungátur vobis; * Non. Glória. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣. *Luc.* 22. *Joan.* 14 *et* 15. 1. *Paral.* 12.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; ℟. Cantábo et psalmum dicam. *Ps.* 56.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. D. Veníte ad sanctuárium Dómini, quod sanctificávit in æternum. 2. *Paral.* 30.

Ant. 5. a. In ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter. *Coloss.* 2.

Ant. 6. F. Ibi solúmmodò magníficus est Dóminus noster: locus fluviórum, rivi latíssimi et patentes. *Is.* 33.

Ant. 7. d. De plenitúdine.

CANTICUM.

(Is. 52.)

Confitebor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * conversus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus: * fiduciáliter agam, et non timébo.

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salutem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, * et dicétis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excelsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnificè fecit : * annuntiáte hoc in universa terra.

Exulta et lauda, habitátio Sion; * quia magnus in medio tuî, Sanctus Israel.

Ant. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus et grátiam pro grátia. *Joan.* 1.

Ant. 3. a. Per ipsum habémus accessum in uno spíritu ad Patrem. *Ephes.* 2.

Capitulum. (*Hebr.* 6.)

ADEAMUS ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

HYMNUS.

CHRISTE, fons jugis salientis undæ,
Péctoris sacros áperi recessus,
Ut Deo plenos bibat ore puro
Spíritus amnes.
HIC latens blando plácidus sopóre,
Nóxio mundi procul à tumultu,
Ebrius largo jacet affluentis
Núminis haustu.
IGNEIS pectus jáculis ferítur :
Vulnus inflígit Deus ipse telum,
Lædit et sanat ferientis idem
Ictus amóris
ARDOR hinc crescit, priùs hinc amáta,
Mens amat Christum redamante Christo;
Æmulum pectus nimis æstuanti
Sólvitur igne.
CHRISTE, quo ferves cremer intus æstu :
Corda fac zelus benè doctus urat :
Qui tuos rexit, regat ille nostros,
Spíritus actus.
CORDIS in sacris látebris sepulta,
Mens tibi sanctè moritúra vivat,
Vana dediscens, tibi Christe, fida
Sérviat uni.
QUI pari sese rédamant amóre,
Summa laus Pátri, Genitóque summa :
Laus tibi compar utriusque sanctum,
Flamen amóris.
Amen.

℣. Quid mihi est in cœlo, et à te quid vólui super terram? ℟. Deus cordis méi, et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 74.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. c. *Duplicanda.* Secundùm Cor tuum fecisti ómnia magnália hæc : idcircò magnificátus es, Dómine Deus : quia non est símilis tuî in ómnibus quæ audívimus áuribus nostris. 2. *Reg.* 7.

COLLECTA. Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui ineffábiles Cordis tui divítias Ecclésiæ sponsæ tuæ, singulári dilectiónis beneficio, aperíre dignátus es : concéde propítius, ut grátiis cœléstibus ex hoc dulcíssimo fonte manántibus corda nostra ditári ac recreári mereantur; Qui vivis.

Pro Commem. Dominicæ.

Ant. Múlier si perdíderit drachmam unam, quærit diligenter; et cùm invénerit, cónvocat amícas, dicens : Congratulámini mihi, quia invéni drachmam quam perdíderam. *Luc.* 15.

℣. Manè astábo tibi, Dómine, et vidébo; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5.

COLLECTA. Orémus.

PROTECTOR in te speántium, Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum : multíplica super nos misericórdiam tuam; ut, te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus æterna; Per.

Et hæc Collecta dicitur per Hebdom. quando fit de Feria.

Pro Commem. sacratissimi Cordis B. V. M.

Ant. Testis mihi est Deus quómodò cúpiam vos ómnes in viscéribus Jesu Christi, eò quòd hábeam vos in Corde, sócios gáudii mei. *Philipp.* 1.

℣. Tríbuat tibi Dóminus secundùm Cor tuum; ℟. Et omne consilium tuum confirmet. *Ps.* 19.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui Cor et mentem beátæ Maríæ semper Vírginis spirituálibus grátiæ donis cumulando, eam imágini Fílii tui perfectè conformem effecisti; concéde, ut fidéli virtútum ipsíus imitatióne, Christum in nobis exprímere valeámus; Per eumdem.

AD HORAS.

In fine Hymnorum dicitur Doxologia : SIT laus, *ut suprà* 225.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Non dicitur Symbolum, Quicumque.

Ant. 1. D. Veníte.

In ℟. *br.* Qui mitis es* et húmilis Corde. *Matth.* 11.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess. 13, c. 8.)

PATERNO affectu ádmonet sancta Synodus, hortátur, rogat, óbsecrat per víscera misericórdiæ Dei nostri; ut omnes qui Christiáno nómi-

ne censentur, mémores tantæ majestátis, et tam exímii Amóris Jesu Christi Dómini nostri, qui dilectam Animam suam in nostræ salútis prétium, et Carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mystéria Córporis et Sánguinis ejus, eâ fídei constántiâ et firmitáte, ea ánimi devotióne ac pietáte et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantiálem frequenter suscípere possint, et is verè eis sit ánimæ vita et perpétua sánitas mentis.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. In ipso.

Capitulum. (*Coloss.* 1.)

In ipso complácuit, omnem plenitúdinem inhabitáre, et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

℟. *br.* Dóminus dominórum * redémit nos; * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Quóniam in æternum * misericórdia ejus. * Allel. Glória. Dóminus. *Ps.* 135.

℣. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum, *Ps.* 106.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Ibi.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Ego diligentes me díligo: et qui manè vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ et glória, opes superbæ et justítia; mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso.

℟. *br.* Gustáte et vidéte, * quóniam suávis est Dóminus: * Allelúia, all. Gustáte. ℣. Beátus vir, * qui sperat in eo. * Allelúia. Glória. Gustáte. *Ps.* 33.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; ℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Ps.* 61.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Per ipsum.

Capitulum. (*Deut.* 33.).

Amantissimus Dómini habitábit confidenter in eo: quasi in thálamo totâ die morábitur, et inter húmeros illíus requiescet.

℟. *br.* Hæc réquies mea * in séculum sécuri. * Allelúia, all. Hæc. ℣. Hic habitábo, * quóniam elégi eam, * Allel. Glória. Hæc. *Ps.* 131.

℣. Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula; ℣. Prótegar in velamento alárum tuárum. *Ps.* 60

AD II. VESPERAS.

Ps. 109. Dixit, 21, *Ant.* J. Dóminus noster Jesus Christus dilexit nos, et dedit consolatiónem æternam, et spem bonam in grátia. 2. *Thess.* 2.

Ps. 110. Confitébor, 22, *Ant.* 4. E. Patienter agit,

nolens áliquos perire, sed omnes ad pœniténtiam reverti. 2. *Petr.* 3.

Ps. 112. Laudáte, púeri, 23, *Ant.* 3. E. Miserébitur secundùm multitúdinem misericordiárum suárum; non enim humiliávit ex corde suo, et abjécit fílios hóminum. *Thren.* 3.

Ps. 115. Crédidi, 101, *Ant.* 6. F. Nos ergo diligámus Deum, quóniam ipse prior dilexit nos. 1. *Joan.* 4.

Ps. 136. Super flúmina Babylónis, 45, *Ant.* 5. c. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anathéma. 1. *Cor.* 16.

Capitulum. (2. *Cor.* 5.)

Caritas Christi urget nos: æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: et pro ómnibus mórtuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurrexit.

Allelúia, allelúia. ℣ Vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus qui dilexit me, et trádidit semetipsum pro me. Allelúia. *Gal.* 2.

HYMNUS.

Sit qui tonantem, Christe, canat manum;
Sit mille cinctum qui rádiis caput;
Cor nos sacrátum, caritá-*tis*
Perpétuæ venerámur aram.

Altis quot ignes viscéribus latent,
Amóris et quot divítiæ tui!
Æterna nostræ spes salútis,
Inde sacer cruor usque manat.

Tu, secla nondùm cúrrere cœperant,
Tu nos amábas: dùm cádimus nece
Omnes paternâ, dùm minátur
Fulmen, ades, loquerisque pacem.

Ex orbis ipsa cæsus orígine,
Prodis Redemptor; jam cúpidum sitit
Mortem, dolóres, probra pectus:
Quid nímio nimis est Amóri?

Pendens cruentâ quos cruce párturis,
Ardente gestas nuncque foves sinu;
Adhuc et insons pro nocente
Cor gémitu rogat efficáci.

O Cor amandum! quis mihi símplicis
Alas columbæ quis dabit, ut tuos
Petam recessus, sic amantem
Ut dóceat redamáre Christum?

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sit summa sancto glória Flámini;
Tu fac, adúrat dedicátum,
Christe, tibi tua flamma pectus. Amen.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivisci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. *Duplicanda.* Quis nos separábit à caritáte Christi? neque mors, neque vita, neque Ángeli, neque Principátus, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei quæ est in Christo Jesu Dómino nostro. *Rom.* 8.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Pro Commem. Domin.

Ant. Dico vobis quia gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agente. *Luc.* 15.

℣. In Deo laudábimur totâ die; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Pro Commem. S. Cordis B. M. V.

Ant. Cor nostrum dilatátum est: non angustiámini in nobis: tanquam fíliis dico, dilatámini et vos. 2. *Cor.* 6.

℣. Cor meum et caro mea exultavérunt ℟. In Deum vivum. *Ps.* 83.

Collecta, ut suprà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. et Capit. de Dom. cætera ut heri.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 14.)

OMNES *Israelítæ qui se* abscónderant in monte Ephraïm, audientes quòd fugissent Philísthæi, sociavérunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saül quasi decem míllia virórum. Et salvávit Dóminus in die illa Israel: pugna autem pervénit usque ad Béthaven. Et viri Israel sociáti sunt sibi in die illa; adjurávit autem Saül pópulum, dicens: Maledictus vir qui coméderit panem usque ad vésperam, donec ulciscar de inimícis meis. Et non manducávit universus pópulus panem: omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super fáciem agri. Ingressus est ítaque pópulus saltum, et appáruit fluens mel, nullusque applícuit manum ad os suum; timébat enim pópulus juramentum. Porrò Jónathas non audíerat cùm adjuráret pater ejus pópulum: extenditque summitátem virgæ quam habébat in manu, et intinxit in favum mellis; et convertit manum suam ad os suum, et illumináti sunt óculi ejus.

℟. Dilectus à Dómino Deo suo Sámuel Prophéta Dómini renovávit impérium: * In lege Dómini congregatiónem judicávit, et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis. ℣. Deus sorte distríbuit pátribus terram, et post hæc dedit Júdices usque ad Sámuel Prophétam. * In lege Dómini

congregatiónem. *Eccli.* 46. *Act.* 13.

LECTIO II.

Et dixit Saül : Irruámus super Philisthæos nocte, et vastémus eos usque dùm illucescat mane, nec relinquámus ex eis virum. Dixitque pópulus : Omne quod bonum vidétur in óculis tuis, fac. Et ait sacerdos : Accedámus hùc ad Deum. Et consúluit Saül Dóminum : Num pérsequar Philísthiim ? si trades eos in manus Israel ? Et non respondit ei in die illa. Dixitque Saül : Applicáte hùc universos ángulos pópuli ; et scitóte, et vidéte per quem accíderit peccátum hoc hódiè. Vivit Dóminus salvátor Israel ; quia si per Jónatham fílium meum factum est, absque retractatióne moriétur. Ad quod nullus contradixit ei de omni pópulo. Et ait ad universum Israel : Separámini vos in partem unam, et ego cum Jónatha fílio meo ero in parte áltera. Responditque pópulus ad Saül : Quod bonum vidétur in óculis tuis, fac.

℟. Dixit Sámuel ad universum Israel : Nolíte declináre post vana quæ non próderunt vobis : et non derelinquet Dóminus pópulum suum. Quòd * Si perseveravéritis in malítia, períbitis.

℣. Nescítis quóniam servi estis ejus cui obedítis, sive peccáti ad mortem, sive obeditiónis ad justítiam ? * Si perseveravéritis in malítia, períbitis. 1. *Reg.* 12. *Rom.* 6

LECTIO III.

Et dixit Saül ad Dóminum Deum Israel : Dómine Deus Israel, da indícium : quid est quòd non respónderis servo tuo hódiè ? Si in me aut in Jónatha fílio meo est iníquitas hæc, da ostensiónem : aut si hæc iníquitas est in pópulo tuo, da sanctitátem. Et deprehensus est Jónathas et Saül ; pópulus autem exívit. Et ait Saül : Míttite sortem inter me et inter Jónatham fílium meum. Et captus est Jónathas. Dixit autem Saül ad Jónatham : Indica mihi quid féceris. Et indicávit ei Jónathas, et ait : Gustans gustávi in summitáte virgæ quæ erat in manu mea, paululùm mellis, et ecce ego móriar. Et ait Saül : Hæc fáciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte moriéris, Jónatha. Dixitque pópulus ad Saül : Ergone Jónathas moriétur, qui fecit salútem hanc magnam in Israel ? hoc nefas est : vivit Dóminus, si cecíderit capillus de cápite ejus in terram, quia cum Deo operátus est hódiè. Liberávit ergo pópulus Jónatham, ut non moreretur.

℟. Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum,

* Auferte deos aliénos dè médio vestrî, et præparate corda vestra Dómino, et servíte eî soli ℣. Genus cùm simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argento, aut lápidi Divínum esse símile. * Auferte deos aliénos de médio vestrî, et præparáte. Glória. * Auferte. 1. *Reg.* 7. *Act.* 17.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 15.)

Ait Sámuel ad Saül : Sine me, et indicábo tibi quæ locútus sit Dóminus ad me nocte. Dixitque eî : Lóquere. Et ait Sámuel : Nonne cùm párvulus esses in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es? unxitque te Dóminus in regem super Israel, et misit te Dóminus in viam, et ait : Vade, et intérfice peccatóres Amalec, et pugnábis contra eos usque ad internecióném eórum? Quare ergo non audisti vocem Dómini; sed versus ad prædam es, et fecisti malum in óculis Dómini? Et ait Saül ad Samuélem : Imò audívi vocem Dómini, et ambulávi in via per quam misit me Dóminus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interféci. Tulit autem de præda pópulus oves et boves, primítias eórum quæ cæsa sunt, ut ímmolet Dómino Deo suo in Gálgalis.

℟. Deus plebis Israel elégit patres nostros de terra Ægypti, et dedit eis júdices usque ad Sámuel Prophétam : exinde postulavérunt regem, * Et dedit illis Deus Saül virum de tribu Bénjamin. ℣. Dixérunt majóres natu Israel Samuéli : Constítue nobis regem, ut júdicet nos; * Et dedit illis. *Act.* 13. 1. *Reg.* 8.

LECTIO II.

Et ait Sámuel : Numquid vult Dóminus holocausta et víctimas, et non pótius ut obediátur voci Dómini? Mélior est enim obediéntia quàm víctimæ, et auscultáre magis quàm offerre ádipem aríetum : quóniam quasi peccátum ariolandi est, repugnáre; et quasi scelus idololatríæ, nolle acquiéscere. Pro eo ergo quòd abjecisti sermónem Dómini, abjécit te Dóminus ne sis rex. Dixitque Saül ad Samuélem : Peccávi, quia prævaricátus sum sermónem Dómini et verba tua, timens pópulum, et obédiens voci eórum. Sed nunc porta, quæso, peccátum meum, et revértere mecum, ut adórem Dóminum. Et ait Sámuel ad Saül : Non revertar tecum, quia projecisti sermónem Dómini, et projécit te Dóminus ne sis rex super Israel.

℟. Dixit Sámuel ad Saül :

Percute Amalec, non parcas ei: et pepercit Saül Agag. Et ait Sámuel ad Saül: * Pro eo quòd abjecisti sermónem Dómini, abjécit te Dóminus. ℣. Quicumque totam legem serváverit, offendat autem in uno, factus est ómnium reus. * Pro eo. 1. *Reg.* 15. *Jac.* 2.

LECTIO III.

Et conversus est Sámuel ut abíret: ille autem apprehendit summitátem pállii ejus, quæ et scissa est. Et ait ad eum Sámuel: Scidit Dóminus regnum Israel à te hódiè, et trádidit illud próximo tuo meliori te. Porrò Triumphátor in Israel non parcet, et pœnitúdine non flectétur; neque enim homo est ut agat pœniténtiam. At ille ait: Peccávi; sed nunc honóra me coram senióribus pópuli mei, et coram Israel; et revértere mecum, ut adórem Dóminum Deum tuum. Reversus ergo Sámuel, secútus est Saúlem; et adorávit Saül Dóminum. Dixitque Sámuel: Addúcite ad me Agag regem Amalec. Et oblátus est ei Agag pinguíssimus, et tremens. Et dixit Agag: Síccine séparat amára mors? Et ait Sámuel: Sicut fecit absque líberis mulíeres gládius tuus, sic absque liberis erit inter mulíeres mater tua. Et in *frusta con* ídit eum Sámuel *coram Dómino* in Gálgalis. ℟. *Numquid* vult Dóminus holocausta et víctimas, et non pótiùs ut obediátur voci Dómini? * Mélior est enim obediéntia quàm víctimæ. ℣. Qui permánserit in lege factor óperis, hic beátus in facto suo erit. * Mélior. Glória. * Mélior. 1. *Reg.* 15. *Jac.* 1.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 15 et 16.)

Non vidit Sámuel ultrà Saül usque ad diem mortis suæ! verúmtamen lugébat Sámuel Saúlem, quóniam Dóminum pœnitébat quòd constituisset eum regem super Israel. Dixitque Dóminus ad Samuélem: Usquequò tu luges Saül, cùm ego projécerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum óleo, et veni ut mittam te ad Isaï Bethleemítem; provídi enim in fíliis ejus mihi regem. Et ait Sámuel: Quómodò vadam? áudiet enim Saül, et interfíciet me. Et ait Dóminus: Vítulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Dómino veni. Et vocábis Isaï ad víctimam, et ego ostendam tibi quid fácias, et unges quemcumque monstrávero tibi. Fecit ergo Sámuel sicut locútus est ei Dóminus. Venítque in Béthleem, et admirati sunt senióres civi-

tátis, occurrentes ei; dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? Et ait: Pacíficus: ad immolandum Dómino veni: santificámini, et veníte mecum ut ímmolem. Sanctificávit ergo Isaï et fílios ejus, et vocávit eos ad sacrifícium.

℟. Dilectus, 237.

LECTIO II.

Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Dómino est Christus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ne respícias vultum ejus, neque altitúdinem statúræ ejus; quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico: homo enim videt ea quæ parent; Dóminus autem intuétur cor. Et vocávit Isaï Abínadab, et adduxit eum coram Samuéle. Qui dixit: Nec hunc elégit Dóminus. Adduxit autem Isaï Samma, de quo ait: Etiam hunc non elégit Dóminus. Adduxit ítaque Isaï septem fílios suos coram Samuéle; et ait Sámuel ad Isaï: Non elégit Dóminus ex istis.

℟. Dixit Sámuel, 238.

LECTIO III.

Dixitque Sámuel ad Isaï: Numquid jam compléti sunt fílii? Qui respondit: Adhuc rélíquus est párvulus, et pascit oves. Et ait Sámuel ad Isaï: Mitte, et adduc eum; *nec enim discumbémus* priusquàm huc ille véniat. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoràque fácie. Et ait Dóminus: Surge, unge eum, ipse est enim. Tulit ergo Sámuel cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum ejus; et directus est Spíritus Dómini à die illa in David, et deinceps: surgensque Sámuel ábiit in Rámatha. Spíritus autem Dómini recessit à Saül, et exagitábat eum spíritus nequam à Dómino.

℟. Si in toto corde, 238.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 17.)

Congregantes Philísthiim ágmina sua in prælium, convenérunt in Socho Judæ, et castrametáti sunt inter Socho et Azéca in fínibus Dommim. Porrò Saül et fílii Israel congregáti venérunt in vallem Terebinthi, et direxérunt áciem ad pugnandum contra Philísthiim. Et Philísthiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex áltera parte; vallisque erat inter eos. Et egressus est vir spúrius de castris Philisthinórum, nómine Góliath, de Geth, altitúdinis sex cubitórum et palmi: et cassis ærea super caput ejus, et loricâ squamátâ induebátur: porrò pondus loricæ ejus quinque

míllia siclórum æris erat; et ócreas æreas habébat in crúribus; et clypeus æreus tegébat húmeros ejus. Hastíle autem hastæ ejus erat quasi liciatórium texéntium; ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habébat ferri: et ármiger ejus antecedébat eum.

℟. Deus plebis Israel elégit, 239.

LECTIO II.

Stansque clamábat adversùm phalangas Israel, et dicébat eis: Quare venistis paráti ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saül? Elígite ex vobis virum, et descendat ad singuláre certámen. Si quíverit pugnáre mecum, et percússerit me, érimus vobis servi; si autem ego prævalúero, et percússero eum, vos servi éritis, et serviétis nobis. Et aiébat Philisthæus: Ego exprobrávi agmínibus Israel hódiè: Date mihi virum, et íneat mecum singuláre certámen. Audiens autem Saül et omnes Israelítæ sermónes Philisthæi hujuscémodi, stupébant, et metuébant nimis.

℟. Dixit Sámuel ad Saül, 239.

LECTIO III.

Et dixit David: Ego servus tuus vadam, et pugnábo adversùs Philisthæum. Et ait Saül ad David; Non vales resístere Philisthæo isti, nec pugnáre adversùs eum, quia puer es; hic autem vir bellátor est ab adolescéntia sua. Dixitque David ad Saül: Pascébat servus tuus patris sui gregem, et veniébat leo, vel ursus, et tollébat aríetem de médio gregis; et persequébar eos, et percutiébam, eruebamque de ore eórum: et illi consurgébant adversùm me, et apprehendébam mentum eórum, et suffocábam interficiebamque eos. Nam et leónem et ursum interféci ego servus tuus: erit ígitur et Philisthæus hic incircumcísus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et áuferam opprobrium pópuli; quóniam quis est iste Philisthæus incircumcísus, qui ausus est maledícere exercítui Dei viventis? Et ait David: Dóminus qui erípuit me de manu leónis et de manu ursi, ipse me liberábit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saül ad David: Vade, et Dóminus tecum sit.

℟. Numquid vult Dóminus, 240.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 17.)

Tulit David báculum suum quem semper habébat in mánibus; et elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrente, et misit eos in pe-

ram pastorálem quam habébat secum, et fundam manu tulit; et processit adversùm Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incédens, et appropinquans adversùm David, et ármiger ejus ante eum. Cùmque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum; erat enim adolescens, rufus, et pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum báculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis; dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatílibus cœli et béstiis terræ. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gládio, et hasta, et clypeo; ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Israel, quibus exprobrasti hódiè: et dabit te Dóminus in manu mea, et percútiam te, et áuferam caput tuum à te.

℟. Dilectus à Dómino Deo, 237.

LECTIO II.

Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veníret, et appropinquáret contra David, festinávit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi. Et misit manum suam in peram: tulitque unum lápidem, et fundà jecit, et circumdúcens percussit Philisthæum in fronte: et infixus est lapis in fronte ejus, et cécidit in fáciem suam super terram. Prævaluitque David adversùm Philisthæum in funda et lápide, percussumque Philisthæum interfécit. Cùmque gládium non habéret in manu David, cucurrit et stetit super Philisthæum, et tulit gládium ejus, et eduxit eum de vagína sua; et interfécit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philísthiim quòd mórtuus esset fortíssimus eórum, fugérunt. Et consurgentes viri Israel et Juda vociferáti sunt, et persecúti sunt Philisthæos usque dum venírent in vallem, et usque ad portas Accaron.

℟. Dixit Sámuel ad universum Israel, 238.

LECTIO III.

(Cap. 18.)

Porro cùm reverterétur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulíeres de universis úrbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saül regis, in tympanis lætítiæ, et in sistris. Et præcinébant mulíeres ludentes, atque dicentes: Percussit Saül mille, et David decem míllia. Irátus est autem Saül nimis, et displícuit in óculis ejus sermo iste, dixitque: Dedérunt David decem míllia, et mihi mille dedérunt: quid ei súperest, nisi solum regnum? Non rectis ergo óculis Saül

aspiciébat David à die illa, et deinceps. Post diem autem álteram invásit spíritus Dei malus Saül, et prophetábat in médio domûs suæ; David autem psallébat manu suâ, sicut per síngulos dies. Tenebatque Saül lánceam, et misit eam, putans quòd confígere posset David cum paríete: et declinávit David à fácie ejus secundò. Et timuit Saül David, eò quòd Dóminus esset cum eo, et à se recessisset.

℟. Si in toto, 238.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro primo Regum.

(Cap. 26.)

Ait David ad Achímelech Hethæum, et Abísaï fílium Sarvíæ, fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saül in castra? Dixitque Abísaï: Ego descendam tecum. Venérunt ergo David et Abísaï ad pópulum nocte, et invenérunt Saül jacentem et dormientem in tentório, et hastam fixam in terra ad caput ejus. Abner autem et pópulum dormientes in circúitu ejus. Dixitque Abisaï ad David: Conclúsit Deus inimícum tuum hódiè in manus tuas; nunc ergo perfódiam eum lánceà in terra semel, et secundò opus non erit. Et dixit David ad Abísaï: Ne interfícias eum; quis enim extendet manum suam in christum Dómini, et ínnocens erit? Et dixit David: Vivit Dóminus, quia nisi Dóminus percússerit eum, aut dies ejus vénerit ut moriátur, aut in prælium descendens periérit; propítius sit mihi Dóminus ne extendam manum meam in christum Dómini. Nunc ígitur tolle hastam quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, et abeámus.

LECTIO II.

Tulit ígitur David hastam et scyphum aquæ, qui erat ad caput Saül, et abiérunt: et non erat quisquam qui vidéret, et intellígeret, et evigiláret; sed omnes dormiébant, quia sopor Dómini irrúerat super eos. Cùmque transisset David ex adverso, et stetisset in vértice montis de longè, et esset grande intervallum inter eos, clamávit David ad pópulum, et ad Abner fílium Ner, dicens: Nonne respondébis, Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu qui clamas, et inquiétas regem? Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? et quis álius símilis tuî in Israel? Quâre ergo non custodisti dóminum tuum regem? ingressus est enim unus de turba ut interfíceret regem dóminum tuum. Non est bonum hoc quod fecisti: vivit Dóminus, quóniam fílii mortis estis vos, qui non custódistis dó-

minum vestrum, christum Dómini. Nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.

LECTIO III.

COGNOVIT autem Saül vocem David, et dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? Et ait David: Vox mea, dómine mi rex. Et ait: Quam ob causam dóminus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea? Nunc ergo audi, oro, dómine mi rex, verba servi tui: Si Dóminus íncitat te adversùm me, odorétur sacrifícium; si autem fílii hóminum, maledicti sunt in conspectu Dómini, qui ejecérunt me hódiè, ut non hábitem in hæreditáte Dómini, dicentes: Vade, servi diis aliénis. Et nunc non effundátur sanguis meus in terram coram Dómino; quia egressus est rex Israel, ut quærat púlicem unum, sicut persequitur perdix in móntibus. Et ait Saül: Peccávi: revértere, fili mi David; nequáquam enim ultrà tibi malefáciam, eò quòd pretiósa fúerit ánima mea in óculis tuis hódiè: appáret enim quòd stultè égerim, et ignoráverim multa nimis.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. David in sua misericórdia consecútus est sedem regni in sécula. 1. *Mach.* 2.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA IV
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber secundus Regum.

(Cap. 1.)

FACTUM est, postquàm mórtuus est Saül, ut David reverterétur à cæde Amalec, et manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértia appáruit homo véniens de castris Saül, veste conscissâ, et púlvere conspersus caput. Et ut venit ad David, cécidit super fáciem suam, et adorávit, Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? índica mihi. Qui ait: Fugit pópulus ex prælio, et multi corruentes è pópulo mórtui sunt: sed et Saül et Jónathas fílius ejus interiérunt.

℟. Elégit Dóminus David servum suum, et * Sústulit eum de grégibus óvium: de post fœtantes accépit eum páscere Jacob servum suum, et Israel hæreditátem suam. ℣. Amóto Saül, suscitávit illis David regem; cui testimónium pérhibens, dixit: Invéni David fílium Jesse, virum secundùm cor meum. * Sústulit eum de grégibus. *Ps.* 77. *Act.* 13.

LECTIO II.

Dixitque David ad adolescentem qui nuntiábat ei: Unde scis quia mórtuus est Saül, et Jónathas fílius ejus? Et ait adolescens qui nuntiábat ei: Casu veni in montem Gélboë, et Saül incumbébat super hastam suam: porrò currus et équites appropinquábant ei; et conversus post tergum suum, videnque me vocávit. Cui cùm respondissem, Adsum; dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecítes ego sum. Et locútus est mihi: Sta super me, et intérfice me; quóniam tenent me angústiæ et adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum, occídi illum; sciébam enim quòd vívere non póterat post ruínam; et tuli diadéma quod erat in cápite ejus, et armillam de bráchio illíus, et áttuli ad te dóminum meum huc.

℟. Quasi adeps separátus à carne, sic David à fíliis Israel. Occídit gigantem: * In tollendo manum, saxo fundæ dejécit exultatiónem Golíæ; nam invocávit Dóminum omnipotentem. ℣. Si quis Dei cultor est, et voluntátem ejus facit, hunc exaudit. * In tollendo manum, saxo fundæ dejécit. *Eccli.* 47. *Joan.* 9.

LECTIO III.

Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo; et planxérunt, et flevérunt, et jejunavérunt usque ad vésperam super Saül, et super Jónatham fílium ejus, et super pópulum Dómini, et super domum Israel, eò quòd corruissent gládio. Dixitque David ad júvenem qui nuntiáverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Fílius hóminis ádvenæ Amalecítæ ego sum. Et ait ad eum David: Quare non timuisti míttere manum tuam ut occíderes christum Dómini? Vocansque David unum de púeris suis, ait: Accédens írrue in eum. Qui percussit illum, et mórtuus est. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum; os enim tuum locútum est adversùm te, dicens: Ego interféci christum Dómini.

℟. Hæc dicit Dóminus David: Feci tibi nomen grande: suscitábo semen tuum post te: firmábo regnum ejus; et * Stabíliam thronum ejus ✠ Usque in sempiternum. ℣. Dabit illi Dóminus sedem David patris ejus, et regni ejus non erit finis. * Stabíliam. Glória. ✠ Usque 2. *Reg.* 5. *Luc.* 1.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 2, de David et Saül.)

Cum Saül incidisset in ma-

nus David, post datam salútem ínsequens illum, et occídere volens, cùmque posset hostem cum universo exércitu concídere, dimísit illum íntegrum et incólumem; ideòque cùm sciret morbum regis immedicábilem esse, neque illum unquam hostílem in se ánimum positúrum, submóvit sese ab óculis illíus, et apud bárbaros vitam agébat, sérviens, honóre privátus, pudóre suffúsus, labóre ac misérià sibi ipsi parans ad victum necessária. Atqui non hoc tantùm est quod mirémur; sed illud quoque, quòd postéaquàm audíerat regem in ácie cecidisse, discídit vestem, et cínere se conspersit, et eo luctu luxit, quo quis lugéret amisso primogénito germanóque fílio. Subinde nomen illíus inclámans unà cum fílii nómine, compósitis étiam encómiis, ac voces acerbi dolóris testes emittens, impransus mansit usque ad vésperam, éxecrans et ipsa loca quæ Saúlis sánguinem excéperant.

℟. Tabernáculum testimónii fuit cum pátribus nostris usque in diébus David, qui invénit grátiam ante Deum, * Et pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. ℣. Memento, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus, sicut jurávit Dómino. * Et pétiit. *Act.* 7. *Ps.* 131.

LECTIO V.

Nunc mihi quisque recordétur inimíci qui læsit, dolóre etiamnum in ánimo æstuante, atque hunc et vivum servet, et vità defunctum deplóret, haud quidem ad ostentatiónem, sed ex ánimo veroque corde; etiamsi quid perferendum sit incómmodi, ne quid offendat eum qui læsit, ómnia tum fáciat, tum patiátur, magna à Deo expectans præmia. En hic étiam regnum adeptus est, nec tamen inquinávit cæde manus: sed dextram habens puram, sic corónâ redimítus est, sic ad sólium ascendit, púrpurà ac diadémate magnificéntius encómium gestans, vidélicet quòd hosti pepercisset, quòd eumdem extinctum luxisset. Idcirco non vivus modò, sed et mórtuus hóminum memórià celebrátur.

℟. Dilexit David Deum qui fecit illum; et dedit illi contra inimícos poténtiam: Dóminus purgávit peccáta ipsíus, et * Exaltávit in æternum cornu ejus, et dedit illi testamentum regni, et sedem glóriæ in Israel. ℣. Erexit Dóminus cornu salútis nobis in domo David púeri sui, sicut locútus est per os sanctórum qui à século sunt Prophetárum ejus. * Exaltávit in æternum cornu ejus, et dedit illi. *Eccli.* 47. *Luc.* 1.

LECTIO VI.

(Homil. 3.)

MULTI, defunctis inimícis, in illórum líberos iram, quam in eos habébant, effudérunt. At non ita generósus ac magnánimus iste David: sed et viventem inimícum observávit, et illo defuncto, benevoléntiam quam erga illum gésserat, fíliis exhíbuit. Quid illíus mensâ sánctius, quam cingébant fílii hostis; hostis, inquam, occídere conáti? Quid illo convívio spirituálius, in quo tam multæ abundábunt benedictiónes? Angeli pótiùs quàm hóminis convocantis erat. Si quidem inimíci fílios amplecti et amáre, et illíus fílium, qui tóties ipsum tentasset è médio tóllere, atque id móliens excessiset è vita, id facit ut in illum chorum referátur.

℟. David in sua generatióne cùm administrasset voluntáti Dei, dormívit; * Et appósitus est ad patres suos. ℣. Mórtuus est in senectúte bona, plenus diérum, et divítiis, et glóriâ; * Et appósitus. Glória. * Et. *Act.* 13. 1. *Paral.* 29.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Cùm turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secùs stagnum Genézareth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. lib. 4, n. 68 et 70.)

UBI Dóminus multis impertívit vária génera sanitátum, nec témpore, nec loco cœpit ab stúdio sanandi turba cohibéri. Vesper incúbuit, sequebantur: stagnum occurrit, urgébant. Et ídeò ascendit in Petri navim. Hæc est illa navis quæ adhuc secundùm Matthæum flúctuat, secundùm Lucam replétur píscibus; ut et princípia Ecclésiæ fluctuantis, et posterióra exuberantis agnoscas. Sanctus Lucas eam sibi navim, in qua Petrus piscarétur, elégit. Non turbátur ista quæ Petrum habet, in qua prudéntia návigat, abest perfídia, fides spirat. Quemádmodùm enim turbári póterat, cui præerat is in quo Ecclésiæ firmamentum est? Illic ergo turbátio, ubi módica fides: hic secúritas, ubi perfecta diléctio.

℟. Cùm turbæ irrúerent in Jesum ut audírent verbum Dei, ascendens in navim quæ erat Simónis, * Sedens docébat de navícula turbas. ℣. Sapiéntia in cápite turbárum clámitat: Convertímini ad correptiónem meam; et ostendam vobis

verba mea. * Sedens docébat de navícula turbas. *Luc.* 5. *Prov.* 1.

LECTIO VIII.

(N. 71 et 72.)

Etsi áliis imperátur ut laxent rétia sua, soli tamen Petro dícitur: Duc in altum, hoc est in profundum disputatiónum. Quid enim tam altum, quàm altitúdinem divitiárum vidére, scire Dei Fílium, et professiónem divínæ generatiónis assúmere? Quam licèt mens non queat humána plenæ ratiónis investigatióne comprehéndere, fídei tamen plenitúdo compléctitur. In hoc altum disputatiónis Ecclésia à Petro dúcitur, ut vídeat hinc resurgentem Dei Fílium, inde Spíritum sanctum profluentem. Quæ sunt autem Apostolórum quæ laxári jubentur rétia, nisi verbórum complexiónes, et quasi quidam oratiónis sinus, et disputatiónum recessus; qui eos quos céperint, non amittant? Et benè Apostólica instrumenta piscandi rétia sunt, quæ non captos périmunt, sed reservant, et de profundo ad lumen éxtrahunt; fluctuantes de ínfimis ad superna tradúcunt.

℟. Ut cessávit Jesus loqui, dixit ad Simónem: Duc in altum, et * Laxáte rétia vestra in captúram. ℣. *Ecce ego mittam piscatóres* multos, dicit Dominus, piscabuntur fílios Israel. * Laxáte. *Luc.* 5. *Jerem.* 16.

LECTIO IX.

(N. 76 et 77.)

Præceptor, inquit, per totam noctem laborantes, nihil cépimus; sed in verbo tuo laxábo rétia. Et ego, Dómine, scio quia nox mihi est, quando non ímperas. Expecto ut júbeas: in verbo tuo laxábo rétia. O vácua præsúmptio! ô humílitas fructuósa! Qui nihil ánteà céperant, magnam in verbo Dómini conclúdunt píscium multitúdinem. Non hoc humánæ facúndiæ opus, sed supernæ vocatiónis est munus. Cedunt disputatiónes hóminum: fide suâ plebs credit. Rumpuntur rétia, nec lábitur piscis. Vocantur ad adjumentum sócii qui erant in ália navi. Quæ est illa ália navis, nisi fortè Judæa, ex qua Joannes et Jacóbus eliguntur? Hi de Synagóga ad navem Petri, hoc est, ad Ecclésiam convenérunt, ut implérent ambas navículas. Omnes enim in nómine Jesu génua flectunt, sive Judæus, sive Græcus: ómnia et in ómnibus Christus.

℟. Simon dixit Jesu: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rete. Cùm hoc fecissent, * Con-

clusérunt píscium multitúdinem copiósam. ℣. Ipsi vidérunt ópera Dómini, et mirabília ejus in profundo. * Conclusérunt. Glória Patri * Conclusérunt. *Luc.* 5. *Ps.* 106.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Rumpebátur rete eórum; et annuérunt sóciis qui erant in ália navi, ut venírent. Et vénérunt, et implevérunt ambas navículas, ita ut penè mergerentur. *Luc.* 5.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, Dómine, ut et mundi cursus pacíficè nobis tuo órdine dirigátur, et Ecclésia tua tranquillà devotióne lætétur; Per Dóminum nostrum.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. D Simon Petrus prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccátor sum, Dómine. Stupor enim circumdéderat eum, et omnes qui cum illo erant, in captúra píscium quam céperant. *Luc.* 5.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 2.)

Post hæc consúluit David Dóminum, dicens: Num ascendam in unam de civitátibus Juda? et ait Dóminus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quò ascendam? Et respondit ei: In Hebron. Ascendit ergo David, et duæ uxóres ejus, Achínoam Jezraelítes, et Abígail uxor Nabal Carméli: sed et viros qui erant cum eo, duxit David síngulos cum domo sua; et mansérunt in óppidis Hebron. Veneruntque viri Juda, et unxérunt ibi David, ut regnáret super domum Juda.

℟. Elégit Dóminus David servum, 245.

LECTIO II.

Et nuntiátum est David, quòd viri Jabes Gálaad sepelissent Saül. Misit ergo David núntios ad viros Jabes Gálaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Dómino, qui fecistis misericórdiam hanc cum dómino vestro Saül, et sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dóminus misericórdiam et veritátem; sed et ego reddam grátiam, eò quòd fecistis verbum istud. Confortentur manus vestræ, et estóte fílii fortitúdinis; licèt enim mórtuus sit dóminus vester Saül, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

℟. Quasi adeps, 246.

LECTIO III.

Abner autem fílius Ner, princeps exércitùs Saül, tulit Isboseth fílium Saül, et circumduxit eum per castra; regemque constituit super Gálaad, et super Gessúri, et

super Jézrael, et super Ephraïm, et super Bénjamin, et super Israel universum. Quadraginta annórum erat Isboseth fílius Saül, cùm regnáre cœpisset super Israel; et duóbus annis regnávit: sola autem domus Juda sequebátur David. Et fuit numérus diérum, quos commorátus est David ímperans in Hebron super domum Juda, septem annórum et sex ménsium.

℟. Hæc dicit, 246.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 3.)

Cum esset prælium inter domum Saül et domum David, Abner fílius Ner regébat domum Saül. Fúerat autem Saúli concubína, nómine Respha, fília Aia. Dixitque Isboseth ad Abner: Quare ingressus es ad concubínam patris mei? Qui irátus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversùm Judam hódie, qui fécerim misericórdiam super domum Saül patris tui, et super fratres et próximos ejus, et non trádidi te in manus David; et tu requisisti in me quod argúeres pro mulíere hódie? Hæc fáciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quómodò jurávit Dóminus David, sic fáciam cum eo, ut transferátur regnum de domo Saül; et elevétur thronus David super Israel, et super Judam, à Dan usque Bersabée. Et non pótuit respondére ei quidquam, quia metuébat illum.

℟. Tabernáculum testimónii, 247.

LECTIO II.

Misit ergo Abner núntios ad David pro se dicentes: Cujus est terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicítias, et erit manus mea tecum, et redúcam ad te universum Israel. Qui ait: Optimè: ego fáciam tecum amicítias; sed únam rem peto à te, dicens: Non vidébis fáciem meam, ántequàm addúxeris Michol fíliam Saül; et sic vénies, et vidébis me. Misit autem David núntios ad Isboseth fílium Saül, dicens: Redde uxórem meam Michol, quam despondi mihi centum præpútiis Philísthiim. Misit ergo Isboseth, et tulit eam à viro suo Phältiel, fílio Laïs.

℟. Dilexit David Deum qui fecit, 247.

LECTIO III.

Sermonem quoque íntulit Abner ad senióres Israel, dicens: Tam heri quàm nudiustértiùs quærebátis David ut regnáret super vos. Nunc ergo fácite, quóniam Dóminus locútus est ad David, dicens: In manu servi

mei David salvábo pópulum meum Israel de manu Philísthiim, et ómnium inimicórum ejus. Locútus est autem Abner étiam ad Bénjamin. Et ábiit ut loquerétur ad David in Hebron, ómnia quæ placúerant Israéli, et universo Bénjamin. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris; et fecit David Abner et viris ejus qui vénerant cum eo, convívium. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut cóngregem ad te dóminum meum regem omnem Israel, et íneam tecum fœdus, et ímperes ómnibus, sicut desíderat ánima tua.

℟. David, 248.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 4.)

Venientes fílii Remmon Berothíthæ, Rechab et Báana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiébat super stratum suum merídie: et ostiária domùs purgans tríticum, obdormívit. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas trítici; et percussérunt eum in ínguine Rechab et Báana frater ejus, et fugérunt. Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiébat super lectum suum in conclávi, et percutientes interfecérunt eum; sublatóque cápite ejus, abiérunt per viam deserti totâ nocte: et attulérunt caput Isboseth ad David in Hebron, dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth fílii Saül inimíci tui, qui quærébat ánimam tuam; et dedit Dóminus dómino meo regi ultiónem hódie de Saul et de sémine ejus.

℟. Elégit Dóminus, 245.

LECTIO II.

Respondens autem David Rechab et Báana fratri ejus, fíliis Remmon Berothítæ, dixit ad eos: Vivit Dóminus, qui éruit ánimam meam de ómni angústia; quóniam eum qui annuntiáverat mihi, et díxerat: Mórtuus est Saul; qui putábat se próspera nuntiáre, ténui, et óccidi eum in Síceleg, cui oportébat mercédem dare pro núntio: quantò magis nunc, cùm hómines ímpii interfecérunt virum innóxium in domo sua super lectum suum, non quæram sánguinem ejus de manu vestra, et áuferam vos de terra? Præcépit ítaque David púeris suis, et interfecérunt eos: præcidentesque manus et pedes eórum, suspendérunt eos super piscínam in Hebron; caput autem Isboseth tulérunt, et sepeliérunt in sepulcro Abner in Hebron.

℟. Quasi adeps, 246.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Et venérunt universæ tri-

bus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum et caro tua sumus: sed et heri et nudiustértiùs cùm esset Saül rex super nos, tu eras edúcens et redúcens Israel; dixit autem Dóminus ad te: Tu pascés pópulum meum Israel, et tu eris dux super Israel. Venérunt quoque et senióres Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Dómino; unxeruntque David in regem super Israel. Fílius triginta annórum erat David, cùm regnáre cœpisset; et quadraginta annis regnávit. In Hebron regnávit super Judam septem annis et sex ménsibus: in Jerúsalem autem regnávit triginta tribus annis super omnem Israel et Judam. Et ábiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerúsalem ad Jebusæum habitatórem terræ; dictumque est David ab eis: Non ingrediéris huc, nisi abstúleris cæcos et claudos, dicentes: Non ingrediétur David huc. Cepit autem David arcem Sion: hæc est cívitas David.

℟. Hæc dicit, 246.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 6.)

Congregavit rursùm David omnes electos ex Israel triginta míllia. Surrexitque David, et ábiit, et universus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei, super quam invocátum est nomen Dómini exercítuum, sedentis in Chérubim super eam. Et imposuérunt arcam Dei super plaustrum novum; tulérunt-que eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa: Oza autem et Ahio fílii Abínadab minábant plaustrum novum. Cùmque tulissent eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa, custódiens arcam Dei, Ahio præcedébat arcam. David autem et omnis Israel ludébant coram Dómino in ómnibus lignis fabrefactis, et cítharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis.

℟. Tabernáculum, 247.

LECTIO II.

Postquam autem venérunt ad áream Nachon, extendit Oza mánum ad arcam Dei, et ténuit eam, quóniam calcitrábant boves, et declinavérunt eam. Iratusque est indignatióne Dóminus contra Ozam, et percussit eum super temeritáte: qui mórtuus est ibi juxta arcam Dei. Contristátus est autem David, eò quòd percussisset Dóminus Ozam; et vocátum est nomen loci illíus, Percússio Ozæ, usque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illa, dicens: Quómodò ingrediétur ad me

arca Dómini? Et nóluit divértere ad se arcam Dómini in civitátem David; sed divertit eam in domum Obédedom Gethæi.

℟. Dilexit, 247.

LECTIO III.

Et habitávit arca Dómini in domo Obédedom Gethæi tribus ménsibus: et benedixit Dóminus Obédedom, et omnem domum ejus. Nuntiatumque est regi David quòd benedixisset Dóminus Obédedom et ómnia ejus, propter arcam Dei. Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio: et erant cum David septem chori, et víctima vítuli. Cùmque transcendissent qui portábant arcam Dómini sex passus, immolábat bovem et aríetem; et David saltábat totis víribus ante Dóminum.

℟. David, 248.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 7.)

Factum est cùm sedisset rex in domo sua, et Dóminus dedisset ei réquiem úndiquè ab universis inimícis suis, dixit ad Nathan prophétam: Videsne quòd ego hábitem in domo cédrina, et arca Dei pósita sit in médio péllium? Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac; quia Dóminus tecum est. Factum est autem in illa nocte; et ecce sermo Dómini ad Nathan, dicens: Vade, et lóquere ad servum meum David: Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitávi in domo ex die illa, quâ eduxi fílios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc; sed ambulábam in tabernáculo et in tentório.

℟. Elégit Dóminus, 245.

LECTIO II.

Per cuncta loca quæ transívi cum ómnibus fíliis Israel, numquid loquens locútus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcépi ut pásceret pópulum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cédrinam? Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ego tuli te de páscuis sequentem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel; et fui tecum in ómnibus ubicumque ambulasti, et interféci universos inimícos tuos à fácie tua; fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Israel, et plantábo eum; et habitábit sub eo, et non turbábitur ámpliùs: nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut priùs, ex die quâ constítui júdices super pó-

m meum Israel ; et ré-
m dabo tibi ab ómnibus
ícis tuis : prædicitque
Dóminus, quòd domum
t tibi Dóminus.

Quasi adeps, 246.

LECTIO III.

QUE compléti fúerint
tui, et dormíeris cum
bus tuis, suscitábo se-
tuum post te, quod
liétur de útero tuo, et
ibo regnum ejus. Ipse
cábit domum nómini
, et stabíliam thronum
ejus usque in sempiter-
. Ego erò ei in patrem,
e erit mihi in fílium :
iníquè áliquid gésserit,
m eum in virga viró-
, et in plagis filiórum
inum. Misericórdiam
n meam non áuferam ab
cut ábstuli à Saül quem
i à fácie mea. Et fidélis
lomus tua, et regnum
usque in æternum ante
m tuam, et thronus
erit firmus júgiter. Se-
ùm ómnia verba hæc,
ta universam visiónem
, sic locútus est Nathan
avid.

Hæc dicit, 246.

SABBATO.

LECTIO I.

libro secundo Regum.

(Cap. 11.)

UM est, vertente anno,
mpore quo solent reges
ella procédere, misit
David Joab, et servos suos
cum eo, et universum Israel;
et vastavérunt fílios Am-
mon, et obsedérunt Rabba;
David autem remansit in
Jerúsalem. Dùm hæc age-
rentur, áccidit ut súrgeret
David de strato suo post me-
rídiem, ut deambaláret in
solário domûs régiæ; vidit-
que mulíerem se lavantem,
ex adverso super solárium
suum: erat autem múlier pul-
chra valdè. Misit ergo rex,
et requisívit quæ esset mú-
lier. Nuntiatumque est ei
quòd ipsa esset Bethsabée fí-
lia Elíam uxor Uríæ Hethæi.
Missis ítaque David núntiis,
tulit eam; quæ cùm ingressa
esset ad illum, dormívit cum
ea; statimque sanctificáta est
ab immundítia sua, et re-
versa est in domum suam
concepto fœtu; mittensque
nuntiávit David, et ait: Con-
cépi.

LECTIO II.

MISIT autem David ad Joab,
dicens : Mitte ad me Uríam
Hethæum. Misitque Joab
Uríam ad David. Et venit
Urías ad David; quæsivitque
David quàm rectè ágeret
Joab, et pópulus, et quó-
modò administrarétur bel-
lum. Et dixit David ad
Uríam : Vade in domum
tuam, et lava pedes tuos. Et
egressus est Urías de domo
regis, secutusque est eum
cibus régius. Dormívit au-
tem Urías ante portam do-

mûs régiæ cum áliis servis dómini sui, et non descendit ad domum suam. Nuntiatúmque est David à dicéntibus : Non ivit Urías in domum suam. Et ait David ad Uríam : Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? Et ait Urías ad David : Arca Dei, et Israel, et Juda hábitant in papilionibus, et dóminus meus Joab, et servi dómini mei super fáciem terræ manent; et ego ingrédiar domum meam, ut cómedam et bibam, et dórmiam cum uxóre mea? Per salútem tuam, et per salútem ánimæ tuæ non fáciam rem hanc.

LECTIO III.

Ait ergo David ad Uríam : mane hic étiam hódie, et cras dimittam te. Mansit Urías in Jerúsalem in die illa et áltera : et vocávit eum David ut comédéret coram se et bíberet, et inebriávit eum : qui egressus véspere, dormívit in strato suo cum servis dómini sui, et in domum suam non descendit. Factum est ergo mane, et scripsit David epístolam ad Joab, misitque per manum Uríæ, scribens in epístola : Pónite Uríam ex adverso belli, ubi fortíssimum est prælium; et derelínquite eum, ut percussus intéreat. Igitur cùm Joab obsidéret urbem, pósuit Uríam in loco ubi sciébat viros esse fortíssimos. Egressique viri de civitáte, bellábant adversùm Joab, et cecidérunt de pópulo servórum David : et mórtuus est étiam Urías Hethæus.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Dixit David ad Deum : Peccávi nimis Dómino; óbsecro, aufer iniquitátem servi tui, quia insipienter egi. 1. *Par.* 21.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA V
POST PENTECOSTEN.
IN 1.º NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 11 et 12.)

Audivit uxor Uríæ quòd mórtuus esset Urías vir suus, et planxit eum. Transacto autem luctu, misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei fílium : et displícuit verbum hoc quod fécerat David, coram Dómino. Misit ergo Dóminus Nathan ad David. Qui cùm venisset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitáte una, unus dives, et alter pauper : dives habébat oves et boves plúrimos valde; pauper autem nihil habébat omníno, præter ovem unam párvulam quam émerat et nutríerat, et quæ créverat apud eum cum fíliis ejus simul, de pane illíus cómedens, et de cálice ejus bibens, et in sinu illíus dór-

miens; eratque illi sicut fília. Cùm autem peregrínus quidam venisset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus et de bobus suis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis, et præparávit cibos hómini qui vénerat ad se.

℟. Elégit Dóminus, 245.

LECTIO II.

IRATUS autem indignatióne David adversùs hóminem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc: ovem reddet in quádruplum, eò quòd fécerit verbum istud, et non pepércerit. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego érui te de manu Saül, et dedi tibi domum dómini tui, et uxóres dómini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda; et si parva sunt ista, adjíciam tibi multò majóra.

℟. Quasi adeps, 246.

LECTIO III.

QUARE ergo contempsisti verbum Dómini, ut fáceres malum in conspectu meo? Uríam Hethæum percussisti gládio, et uxórem illíus accepisti in uxórem tibi, et interfecisti eum gládio filiórum Ammon: quamobrem non recédet gládius de domo tua usque in sempiternum, eò quòd despéxeris me, et túleris uxórem Uríæ Hethæi, ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dóminus: Ecce ego suscitábo super te malum de domo tua, et tollam uxóres tuas in óculis tuis, et dabo próximo tuo, et dórmiet cum uxóribus tuis in óculis solis hujus. Tu enim fecisti abscónditè; ego autem fáciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.

℟. Hæc dicit, 246.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Apológia David.

(Ad Theodos. August. Cap. 2.)

UNUSQUISQUE nostrûm per síngulas horas quàm multa delinquit! et tamen unusquisque de plebe peccátum suum confitendum non putat. Ille rex tantus ac potens, ne exíguo quidem momento manére penès se delicti passus est consciéntiam; sed præmatúrâ confessióne, atque immenso dolóre, réddidit peccátum suum Dómino. Quem mihi nunc fácilè repérias honorátum ac dívitem, qui si arguátur alicújus culpæ reus, non molestè ferat? At ille régio clarus império, tot divínis probátus oráculis, cùm à privátо

hómine corriperétur quòd gráviter deliquísset, non indignátus infrémuit, sed confessus ingémuit culpæ dolóre.

℟. Tabernáculum, 247.

LECTIO V.

Denique Dóminum dolor íntimi movit affectûs, ut Nathan díceret: Quoniam pœnítuit te, et Dóminus tránstulit peccátum tuum. Matúritas ítaque véniæ profundam regis fuisse pœniténtiam declarávit, quæ tanti erróris offensam tradúxerit. Alii hómines, cùm à sacerdótibus córripiuntur, peccátum suum íngravant, dùm negáre cúpiunt aut defendere; ibique eórum lapsus est major ubi desperátur corréctio. Sancti autem Dómini qui consummáre pium certámen gestiunt et cúrrere cursum salútis, sícubi fortè ut hómines corrúerint natúræ magis fragilitáte, quam peccandi libídine, acrióres ad currendum resurgunt, pudóris stímulo majóra reparantes certámina; ut non solùm nullum attulisse æstimétur lapsus impedimentum, sed étiam velocitátis incentíva cumulasse.

℟. Dilexit David, 247.

LECTIO VI.

(Cap. 4.)

Peccavit David, quod solent reges: sed pœniténtiam gessit, flevit, ingémuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecrávit indulgéntiam, humi stratus deplorávit ærumnam, jejunávit, orávit, confessiónis suæ testimónium in perpétua sécula vulgáto dolóre transmísit. Quod erubescunt fácere priváti, rex non erúbuit confitéri. Qui tenentur légibus, audent suum negáre peccátum, dedignantur rogáre indulgéntiam, quam petébat qui nullis légibus tenebátur humánis. Quòd peccávit, conditiónis est; quòd supplicávit, correctiónis. Lapsus commúnis, sed speciális conféssio. Culpam ítaque incidisse, natúræ est; diluisse, virtútis.

℟. David, 248.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Dico vobis, quia nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 16. in Matth.)

Caritas est ómnium mater bonórum, certa discipuló-

rum nota, quæ ómnia nostra cóntinet. Jure ergo radíces et fontes inimicítiæ quæ illam pessumdat, cum vehemèntia multa Christus ámputat et tollit. Nihil enim ita curat Deus, ut nos mútuis vínculis colligári. Ideò et per seipsum et per discípulos suos, tam in novo quàm in véteri testamento, multo hoc præceptum sermóne commendat, et véhemens vindex est eórum qui hoc despíciunt. Etenim nihil ita malítiam omnem indúcit et fundat, ut caritátis remótio. Ideò dicébat : Cùm abundáverit iníquitas, refrigescet cáritas multórum. Sic Caïn fratricída factus est, sic Esaü, sic fratres Joséphi; sic innúmera exorta sunt mala, avulsâ caritáte.

℟. Audistis quia dictum est antíquis : Non occídes. * Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judício. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen : Lóquere ad omnem cœtum filiórum Israel : Non stabis contra sánguinem próximi tui. * Ego autem. *Matth.* 5. *Levit.* 19.

LECTIO VIII.

Neque in supradictis gradum sistit; sed ália plura ádhibet, queis ostendit quantum ejus hábeat ratiónem. Nam cùm per concílium, per judícium et per gehennam ígnis comminátus esset, ália adjécit præcedéntibus cónsona; nempe : Si offers munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid adversùm te, relinque munus tuum ante altáre, et vade priùs reconciliári fratri tuo; et tunc véniens offer munus tuum. O bonitátem, ò benignitátem, quæ omnem sermónem súperat! Honórem suum dés-picit pro caritáte erga próximum; ostendens se priùs comminátum esse, non ex inimicítia quadam, vel ex cupiditáte inferendi supplícii, sed ex amóre ferventi. Quid enim hisce verbis mansuétius fingi possit? Interrumpátur, inquit, cultus meus, ut cáritas tua máneat. Nam verè sacrifícium est reconciliátio cum fratre. Ideò non dixit, Postquàm obtúleris, vel, Antequàm ófferas; sed ipso múnere præsente, et jam sacrifício incipiente, mittit eum, ut se cum fratre reconcíliet; nec subláto jacente múnere, nec ántequàm munus attúlerit, sed illo in médio jacente jubet illuc accúrrere.

℟. Si offers munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altáre, et * Vade priùs reconciliári fratri tuo. ℣. Misericórdiam vólui, et non sacrifícium; et sciéntiam Dei, plusquàm holocausta.

* Vade priùs reconciliári. *Matth.* 5. *Os.* 6.

LECTIO IX.

Cur ergo sic jubet id ágere, et quâ de causâ? Hæc ambo, ut mihi quidem vidétur, subíndicans, et agens; unum quidem, ut jam dixi, ut ostendat se caritátem magni fácere, et illam esse putáre máximum ómnium sacrifícium, seque sine caritáte sacrifícium non admíttere; secundum autem, ut reconciliatiónis inevitábilem necessitátem áfferat. Nam qui jussus est non priùs offerre quàm reconciliarétur, etiamsi non ex amóre próximi, saltem ne sacrifícium imperfectum máneat, properábit ad offensum fratrem, ut inimicítiam solvat. Ideòque ómnia empháticis expressit verbis, terrens illum excitansque. Cùm dixisset enim, Relinque munus tuum, non ibi súbstitit, sed subjunxit, Ante altáre: et postquàm ex loco in horrórem quemdam conjécit, Et vade, nec tantùm dixit, Vade; sed adjunxit, priùs; et tunc véniens, offer munus tuum: per hæc ómnia declárans hanc mensam non admíttere eos qui inimicítias mútuò exercent.

℣. Relinque próximo tuo nocenti te; * Et tunc ✠ Deprecanti tibi peccáta solventur. ℣. Tunc véniens ófferes munus tuum; * Et tunc. Glória. ✠ Deprecanti tibi. *Eccli.* 28. *Matth.* 5.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparasti: infunde córdibus nostris tui amóris affectum; ut te in ómnibus et super ómnia diligentes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Dico vobis: Qui díxerit fratri suo, Raca, reus erit concílio. Qui autem díxerit, Fátue, reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 12.)

Dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino. Dixitque Nathan ad David: Dóminus quoque tránstulit peccátum tuum; non moriéris. Verúmtamen, quóniam blasphemáre fecisti inimícos Dómini propter verbum hoc, fílius qui natus est tibi, morte moriétur. Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dóminus párvulum quem pepérerat

uxor Uríæ David, et desperátus est. Deprecatusque est David Dóminum pro parvulo; et jejunávit David jejúnio, et ingressus seorsum, jácuit super terram. Venérunt autem senióres domûs ejus, cogentes eum ut súrgeret de terra: qui nóluit, nec comédit cum eis cibum.

℟. Elégit Dóminus, 245.

LECTIO II.

Accidit autem die séptimâ ut morerétur infans: timueruntque servi David nuntiáre ei quòd mórtuus esset párvulus. Dixérunt enim: Ecce cùm párvulus adhuc víveret, loquebámur ad eum, et non audiébat vocem nostram; quantò magis si dixérimus, Mórtuus est puer, se afflíget? Cùm ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quòd mórtuus esset infántulus; dixitque ad servos suos: Num mórtuus est puer? Qui respondérunt ei: Mórtuus est. Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est: cùmque mutasset vestem, ingressus est domum Dómini, et adorávit, et venit in domum suam, petivitque ut pónerent ei panem, et comédit.

℟. Quasi adeps, 246.

LECTIO III.

Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo quem fecisti? Propter infantem, cùm adhuc víveret, jejunasti et flebas; mórtuo autem púero, surrexisti, et comedisti panem. Qui ait: Propter infantem, dùm adhuc víveret, jejunávi et flevi; dicébam enim: Quis scit si fortè donet eum mihi Dóminus, et vivat infans? Nunc autem quia mórtuus est, quare jejúnem? Numquid pótero revocáre eum ámpliùs? Ego vadam magis ad eum; ille verò non revertétur ad me. Et consolátus est David Bethsabée uxórem suam, ingressusque ad eam dormívit cum ea; quæ génuit fílium, et vocávit nomen ejus Sálomon, et Dóminus dilexit eum. Misitque in manu Nathan Prophétæ, et vocávit nomen ejus, Amábilis Dómino, eò quòd dilígeret eum Dóminus.

℟. Hæc dícit, 246.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 13.)

Factum est post tempus biénnii, ut tonderentur oves Absalom in Baálhasor, quæ est juxta Ephraïm: et vocávit Absalom omnes fílios regis, venitque ad regem, et ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui; véniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. Dixitque rex ad Absalom: Noli, fili mi, noli rogáre ut veniámus omnes,

et gravémus te. Cùm autem cógeret eum, et noluisset ire, benedixit ei.

℟. Tabernáculum testimónii, 247.

LECTIO II.

Et ait Absalom: Si non vis veníre, véniat, óbsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum. Coégit ítaque Absalom eum, et dimísit cum eo Amnon et universos fílios regis. Feceratque Absalom convívium quasi convívium regis. Præcéperat autem Absalom púeris suis, dicens: Observáte cùm temulentus fúerit Amnon vino, et díxero vobis: Percútite eum, et interfícite, nolíte timére; ego enim sum qui præcípio vobis: roborámini, et estóte viri fortes. Fecérunt ergo púeri Absalom adversùm Amnon, sicut præcéperat eis Absalom. Surgentesque omnes fílii regis, ascendérunt sínguli mulas suas, et fugérunt.

℟. Dilexit David Deum qui fecit, 247.

LECTIO III.

Cumque adhuc pérgerent in itínere, fama pervénit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes fílios regis, et non remansit ex eis saltem unus. Surrexit ítaque rex, et scidit vestimenta sua, et cécidit super terram; et omnes servi illíus, qui assistébant ei, scidérunt vestimenta sua. Respondens autem Jónadab fílius Sémmaa fratris David, dixit: Ne æstimet dóminus meus rex quòd omnes púeri fílii regis occísi sint; Amnon solus mórtuus est, quóniam in ore Absalom erat pósitus ex die quâ oppressit Thamar sorórem ejus. Nunc ergo ne ponat dóminus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes fílii regis occísi sunt; quóniam Amnon solus mórtuus est. Fugit autem Absalom.

℟. David in sua generatióne, 248.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 14.)

Cum ingressa fuisset múlier Thecuítis ad regem, cécidit coram eo super terram, et adorávit, et dixit: Serva me, rex. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu! múlier vídua ego sum; mórtuus est enim vir meus: et ancillæ tuæ erant duo fílii, qui rixáti sunt adversùm se in agro; nullusque erat qui eos prohibére posset: et percussit alter álterum, et interfécit eum. Et ecce consurgens universa cognátio adversum ancillam tuam, dicit: Trade

eum qui percussit fratrem suum, ut occidámus eum pro ánima fratris sui quem interfécit, et deleámus hærédem, et quærunt extínguere scintillam meam quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et relíquiæ super terram.

℟. Elégit Dóminus David, 245.

LECTIO II.

Et ait rex: Qui contradíxerit tibi, adduc eum ad me, et ultrà non addet ut tangat te. Quæ ait: Recordétur rex Dómini Dei sui, ut non multiplicentur próximi sánguinis ad ulciscendum, et nequáquam interfíciant fílium meum. Qui ait: Vivit Dóminus, quia non cadet de capillis fílii tui super terram. Dixit ergo múlier: Loquátur ancilla tua ad dóminum meum regem verbum. Et ait: Lóquere. Dixitque múlier: Quare cogitasti hujuscémodi rem contra pópulum Dei, et locútus est rex verbum istud, ut peccet, et non redúcat ejectum suum? Omnes mórimur, et quasi aquæ dilábimur in terram, quæ non revertuntur; nec vult Deus períre ánimam, sed retractat cógitans ne pénitùs péreat qui abjectus est.

℟. Quasi adeps, 246.

LECTIO III.

Et ait rex: Numquid manus Joab tecum est in ómnibus istis? Respondit múlier, et ait: Per salútem ánimæ tuæ, dómine mi rex, nec ad sinistram, nec ad déxteram est ex ómnibus his quæ locútus est dóminus meus rex; servus enim tuus Joab ipse præcépit mihi, et ipse pósuit in os ancillæ tuæ ómnia verba hæc. Ut vérterem figúram sermónis hujus, servus tuus Joab præcépit istud: tu autem, dómine mi rex, sápiens es sicut habet sapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia super terram. Et ait rex ad Joab: Ecce placátus feci verbum tuum: vade ergo, et révoca púerum Absalom. Cadensque Joab super fáciem suam in terram, adorávit, et benedixit regi; et dixit Joab: Hódiè intellexit servus tuus, quia invéni grátiam in óculis tuis, dómine mi rex; fecisti enim sermónem servi tui. Surrexit ergo Joab, et ábiit in Gessur, et adduxit Absalom in Jerúsalem. Dixit autem rex: Revertátur in domum suam, et fáciem meam non vídeat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et fáciem regis non vidit.

℟. Hæc dicit, 246.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 14.)

Surrexit Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et

dixit : Quare succendérunt servi tui ségetem meam igni? Et respondit Absalom ad Joab : Misi ad te óbsecrans ut veníres ad me, et mítterem te ad regem, et díceres ei : Quare veni de Gessur? mélius mihi erat ibi esse : óbsecro ergo ut vídeam fáciem regis : quòd si memor est iniquitátis meæ, interfíciat me. Ingressus itaque Joab ad regem, nuntiávit ei ómnia : vocatusque est Absalom, et intrávit ad regem, et adorávit super fáciem terræ coram eo; osculatusque est rex Absalom.

℟. Tabernáculum testimónii, 247.

LECTIO II.

(Cap. 15.)

IGITUR post hæc fecit sibi Absalom currus, et équites, et quinquaginta viros, qui præcéderent eum. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta intróitum portæ; et omnem virum qui habébat negótium, ut veníret ad regis judícium, vocábat Absalom ad se, et dicébat : De qua civitáte es tu? Qui respondens aiébat : Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. Respondebatque ei Absalom : Videntur mihi sermónes tui boni et justi; sed non est qui te áudiat constitútus à rege. Dicebatque Absalom : Quis me constítuat júdicem super terram, ut ad me véniant omnes qui habent negótium, et justè júdicem? Sed et cùm accéderet ad eum homo ut salutáret illum, extendébat manum suam, et apprehendens osculabátur eum. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judícium, ut audirétur à rege; et sollicitábat corda virórum Israel.

℟. Dilexit, 247.

LECTIO III.

DIXIT Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Dómino, in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens : Si redúxerit me Dóminus in Jerúsalem, sacrificábo Dómino. Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et ábiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratóres in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audiéritis clangórem búccinæ, dícite : Regnávit Absalom in Hebron. Porrò cum Absalom iérunt ducenti viri de Jerúsalem vocáti, euntes símplici corde, et causam pénitùs ignorantes. Accersívit quoque Absalom Achítophel Gilonítem consiliárium David, de civitáte sua Gilo. Cùmque immoláret víctimas, facta est conjurátio válida; populusque concurrens augebátur cum Absalom. Venit ígitur núntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel séquitur Absalom. Et

ait David servis suis qui erant cum eo in Jerúsalem: Súrgite, fugiámus.

℟. David, 248.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 15.)

Egressus rex et omnis Israel pédibus suis, stetit procul à domo: et universi servi ejus ambulábant juxta eum, et legiónes Cérethi, et Phélethi, et omnes Gethæi, pugnatóres válidi, sexcenti viri qui secúti eum fúerant de Geth pédites, præcedébant regem. Dixit autem rex ad Ethaï Gethæum: Cur venis nobiscum? Revértere, et hábita cum rege, quia peregrínus es, et egressus es de loco tuo. Herì venisti, et hódiè compelléris nobiscum égredi? Ego autem vadam quò itúrus sum: revértere, et reduc tecum fratres tuos, et Dóminus fáciet tecum misericórdiam et veritátem; quia ostendisti grátiam et fidem. Et respondit Ethaï regi, dicens: Vivit Dóminus; et vivit dóminus meus rex; quóniam in quocumque loco fúeris, dómine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Et ait David Ethaï: Veni, et transi. Et transívit Ethaï Gethæus, et omnes viri qui cum eo erant, et réliqua multitúdo. Omnesque flebant voce magnâ, et universus pópulus transíbat: rex quoque transgrediebátur torrentem Cedròn, et cunctus pópulus incedébat contra viam quæ réspicit ad desertum. Venit autem et Sadoc sacerdos, et universi Levítæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuérunt arcam Dei: et ascendit Abíathar, donec explétus esset omnis pópulus qui egressus fúerat de civitáte. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invénero grátiam in óculis Dómini, redúcet me, et ostendet mihi eam, et tabernáculum suum. Si autem díxerit mihi: Non places; præstò sum, fáciat quod bonum est coram se.

℟. Elégit Dóminus, 245.

LECTIO II.

Et dixit rex ad Sadoc sacerdótem: O Videns, revértere in civitátem in pace; et Achímaas fílius tuus, et Jónathas fílius Abíathar, duo fílii vestri sint vobiscum: ecce ego abscondar in campéstribus deserti, donec véniat sermo à vobis índicans mihi. Reportavérunt ergo Sadoc et Abíathar arcam Dei in Jerúsalem; et mansérunt ibi. Porrò David ascendébat clivum olivárum, scandens et flens, nudis pédibus incédens, et operto cápite; sed et omnis pópulus qui erat cum eo, operto cá-

pite ascendébat plorans. Nuntiátum est autem David quòd et Achítophel esset in conjuratióne cum Absalom; dixítque David : Infátua, quæso, Dómine, consílium Achítophel.

℟. Quasi adeps separátus à carne, 246.

LECTIO III.

(Cap. 16.)

Venit ergo rex David usque Bahúrim; et ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domûs Saül, nómine Sémei, fílius Gera; procedebatque egrédiens, et maledicébat, mittebatque lápides contra David, et contra universos servos regis David. Omnis autem pópulus, et universi bellatóres à dextro et à sinistro látere regis incedébant. Ita autem loquebátur Sémei cùm maledíceret regi: Egrédere, egrédere, vir sánguinum, et vir Bélial : réddidit tibi Dóminus universum sánguinem domûs Saül; quóniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dóminus regnum in manu Absalom fílii tui; et ecce premunt te mala tua, quóniam vir sánguinum es. Dixit autem Abísaï fílius Sárviæ regi : Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo regi? vadam, et amputábo caput ejus. Et ait rex : Quid mihi et vobis est, fílii Sarviæ? dimíttite eum, ut maledícat : Dóminus enim præcépit ei ut maledíceret David; et quis est qui áudeat dícere quare sic fécerit? Et ait rex Abísai, et universis servis suis : Ecce fílius meus qui egressus est de útero meo, quærit ánimam meam; quantò magis nunc fílius Jémini? Dimíttite eum, ut maledícat juxta præceptum Dómini : si fortè respíciat Dóminus afflictiónem meam, et reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hac hodierna.

℟. Hæc dicit, 246.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro secundo Regum.

(Cap. 18.)

Considerato David pópulo suo, constítuit super eos tribúnos, et centuriónes; et dedit pópuli tértiam partem sub manu Joab, et tértiam partem sub manu Abísai fílii Sárviæ fratris Joab, et tértiam partem sub manu Ethaï qui erat de Geth; dixitque rex ad pópulum : Egrédiar et ego vobiscum. Et respondit pópulus : Non exíbis; sive enim fugérimus, non magnóperè ad eos de nobis pertinébit; sive média pars cecíderit è nobis, non satis curábunt; quia tu unus pro decem míllibus computáris : mélius est ígitur ut sis nobis in urbe præsídio. Ad quos rex ait : Quod vobis vidétur rectum, hoc

fáciam. Stetit ergo rex juxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas, centéni et milléni. Et præcépit rex Joab, et Abísaï, et Ethaï, dicens: Serváte mihi púerum Absalom. Et omnis pópulus audiébat præcipientem regem cunctis princípibus pro Absalom. Itaque egressus est pópulus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraïm. Et cæsus est ibi pópulus Israel ab exércitu David.

LECTIO II.

Accidit autem ut occúrreret Absalom servis David, sedens mulo: cùmque ingressus fuísset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quércui; et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus cui inséderat, pertransívit. Vidit autem hoc quíspiam, et nuntiávit Joab, dicens: Vidi Absalom pendére de quercu. Et ait Joab viro qui nuntiáverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum bálteum? Qui dixit ad Joab: Si appénderes in mánibus meis mille argénteos, nequáquam mítterem manum meam in fílium regis: audiéntibus enim nobis, præcépit rex tibi, et Abísai, et Ethaï, dicens: Custodíte mihi púerum Absalom. Sed et si fecissem contra ánimam meam audacter, nequáquam hoc regem latére potuisset, et tu stares ex adverso? Et ait Joab: Non sicut tu vis, sed aggrédiar eum coram te. Tulit ergo tres lánceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom; cùmque adhuc palpitáret hærens in quercu, cucurrérunt decem júvenes armígeri Joab, et percutientes interfecérunt eum.

LECTIO III.

Apparuit Chusi, et véniens ait: Bonum apporto núntium, dómine mi rex; judicávit enim pro te Dóminus hódie de manu ómnium qui surrexérunt contra te. Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax púero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant inquit, sicut puer, inimíci dómini mei regis, et universi qui consurgunt adversùs eum in malum. Contristátus ítaque rex ascendit cœnáculum portæ, et flevit; et sic loquebátur, vadens: Fíli mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Sedit Sálomon super sólium Dómini in regem pro David patre suo, et cunctis plácuit; et páruit illi omnis Israel. 1. *Paral.* 29.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA VI
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.
LECTIO I.

Incípit liber tértius Regum.

(Cap. 1.)

Rex David senúerat, habebatque ætátis plúrimos dies: cùmque operirétur véstibus, non calefiébat. Adónias autem fílius Haggith elevabátur, dícens: Ego regnábo. Fecitque sibi currus et équites, et quinquaginta viros, qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom. Et sermo ei cum Joab fílio Sárviæ, et cum Abíathar sacerdóte, qui adjuvábant partes Adóniæ. Sadoc verò sacerdos, Banáias fílius Joíadæ, et Nathan prophéta, et Sémei et Reï, et robur exércitûs David non erat cum Adónia.

℟. Dilexit Dóminus Salomónem; misitque in manu Nathan prophétæ, * Et vocávit nomen ejus, Amábilis Dómino, eò quòd dilígeret eum Dóminus. ℣. Deus ipse prior dilexit, * Et vocávit. 2. *Reg.* 12. 1. *Joan.* 4.

LECTIO II.

Dixit quoque rex David: Vocáte mihi Sadoc sacerdótem, et Nathan prophétam, et Banáiam fílium Joíadæ. Qui cùm ingressi fuissent coram rege, dixit ad eos: Tóllite vobiscum servos dómini vestri, et impónite Salomónem fílium meum super mulam meam, et dúcite eum in Gihon; et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan prophéta, in regem super Israel; et canétis búccinâ, atque dicétis: Vivat rex Sálomon. Et ascendétis post eum, et véniet, et sedébit super sólium meum, et ipse regnábit pro me: illique præcípiam ut sit dux super Israel et super Judam.

℟. Dixit Dóminus Salomóni: Quia non petisti tibi dies multos, nec divítias, sed postulasti tibi sapiéntiam; * Ecce dedi tibi cor sápiens et intélligens: sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi, divítias scílicet et glóriam. ℣. Potens est Deus ómnia fácere superabundanter quàm pétimus: * Ecce dedi tibi cor sápiens. 3. *Reg.* 3. *Ephes.* 3.

LECTIO III.

Et respondit Banáias fílius Joíadæ regi, dicens: Amen; sic loquátur Dóminus Deus dómini mei regis. Quómodò fuit Dóminus cum dómino meo rege, sic sit cum Salomóne, et sublímius fáciat sólium ejus à solio dómini mei regis David. Descendit ergo Sadoc sacerdos, et Na-

than prophéta, et Banáias filius Joíadæ, et Cérethi, et Phélethi; et imposuérunt Salomónem super mulam regis David, et adduxérunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu ólei de tabernáculo, et unxit Salomónem: et cecinérunt búccinâ, et dixit omnis pópulus: Vivat rex Sálomon.

℟. Sálomon ædificávit Dómino domum; * Sed non Excelsus in manufactis hábitat, sicut Prophéta dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meórum. ℣. Ait Sálomon: Ad hoc tantùm facta est domus ista, ut respícias oratiónem servi tui et obsecratiónem ejus, Dómine Deus meus: * Sed. Glória Patri. * Sed. *Act.* 7. 2. *Paral.* 6. 6.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi, super Psalmos.

(Ennar. in Ps. 126.)

Salomon erat témpore suo fílius David; magnus ille per quem multa sancta præcepta, et salúbria mónita, et divína sacramenta Spíritus sanctus in divínis lítteris operátus est. Nam ipse Sálomon mulíerum amátor fuit, et reprobátus est à Deo: et usque ádeò láqueus illi fuit illa cupíditas, ut à muliéribus étiam idólis sacrificáre cogerétur, sicut de illo Scriptúra testis est. Sed, si illo cadente, quæ per illum dicta sunt, delerentur, judicarétur quia ipse díxerat, non quia per illum dicta erant. Optimè ígitur étiam hoc egit misericórdia Dei et Spíritus ejus, ut quidquid boni per Salomónem dictum est, Deo tribuerétur; peccátum autem hóminis, hómini.

℟. Stetit Sálomon coram altári Dómini; et palmis in cœlum levátis, ait: Dómine Deus Israel, tu exáudies de cœlo preces et obsecratiónem, si peccáverint tibi; * Neque enim est homo qui non peccet. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, et véritas in nobis non est; * Neque. 2. *Par.* 6. 1. *Joan.* 1.

LECTIO V.

Quid mirum quia in pópulo Dei cécidit Sálomon? In paradíso non cécidit Adam? Non cécidit de cœlo ángelus, et diábolus factus est? Ideò docémur in nullo hóminum spem esse ponendam; quia et iste Sálomon ædificáverat templum Dómino, in typo quidem et in figúra futúræ Ecclésiæ et córporis Dómini. Unde dicit in Evangélio: Sólvite templum hoc, et in tríduo excitábo illud. Quia ergo ipse ædificáverat illud templum, ædificávit sibi templum, verus Sálomon

Dóminus noster Jesus Christus, verus pacíficus.

℟. Regína Saba, audítâ famâ Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus; et dócuit eam ómnia verba quæ proposúerat. * Vídens autem omnem sapiéntiam ejus, non habébat ultrà spíritum. ℣. Regína Austri venítà fínibus terræ audíre sapiéntiam Salomónis: * Vídens autem. 3. *Reg.* 10. *Luc.* 11.

LECTIO VI.

Est autem ille vere pacíficus, de quo díxit Apóstolus: Ipse est enim pax nostra, qui fecit útraque unum. Ipse est verus pacíficus, qui duos paríetes e diverso venientes in se copulávit, quibus factus est lapis angulàris venienti pópulo ex circumcisióne credéntium, et venienti pópulo ex præpútio Géntium, et ipsórum credéntium; fecit unam Ecclésiam ex duóbus pópulis, factus est íllis lapis angulàris, et ídeò verè pacíficus. Quia ergo ille verus Sálomon; Sálomon autem ille fílius David de mulíere Bethsabée, rex Israel, figúram gestábat hujus pacífici, quando templum ædificávit.

℟. Dedísti máculam in glória tua; Deus autem non derelinquet misericórdiam suam, * Et † Non corrumpet, nec delébit ópera sua. ℣. Ille fidélis pérmanet, negáre seipsum non potest; * Et. Glória Patri. † Non corrumpet. *Eccli.* 47. 2. *Tim.* 2.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

(Cap. 8.)

In diébus illis; Cùm turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis: Miséreor super turbam, quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent. Et réliqua.

Homília sancti Basílii Epíscopi.

(Orat. in fame et siccitate.)

Vides et ipsum nostrum Deum, prætéritis áliis incómmodis, esurientes condolenti ánimo miserári. Miséreor enim, inquit, turbæ. Quare et in extrémo judício, ubi ádvocat justos Dóminus, locum primum óccupat qui largus fuit ac liberàlis: nutrítor primas tenet inter eos, quibus præmia dantur: panem qui ministrávit, vocátur ante omnes: qui benignus fuit et liberàlis, ante réliquos justos ad vitam transmíttitur. Qui illiberàlis éxtitit et sórdidus, ante omnes peccatóres igni tráditur. Jam te témporis ipsa ópportúnitas ad legem vocat, quæ mater est ceterárum. Quare magnóperè cura ne te præ-

téreat nundinárum occásio, atque commerciórum. Fluit enim tempus, nec expectat morantem: féstinant dies, segnem prætergrediuntur. Ob id tu quoque mandátum velut fúgiens détine ac cónfice, et undélibet arreptum ulnis ampléctere. Dato pauca, et multa comparáto.

℟. Cùm turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, ait discípulis: Miséreor super turbam; * Quia ecce jam tríduò sústinent me, nec habent quod mandúcent. ℣. Cónfluent ad bona Dómini, et ultrà non esúrient; et pópulus meus bonis meis adimplébitur, ait Dóminus; * Quia. *Marc.* 8. *Jerem.* 31.

LECTIO VIII.

Populi, audíte: Christiáni, áuribus accípite: Quæ de gentílibus narrátur humánitas, incútiat nobis pudórem. Lex humanitátis plena apud quosdam illórum, unam mensam, commúnes cibos, et unam ferè famíliam, pópulum frequentem éfficit. Relinquámus externos, et veniámus ad trium míllium exemplum: æmulémur primum cœtum Christianórum, cùm eis commúnia essent ómnia, vita, ánima, consensus unus, commúnis mensa, fratérnitas indivísa: diléctio non ficta, córpora multa unum effíciens, ánimas diversas ad consensum unum compónens. Habes non pauca tum ex véteri, tum ex novo testamento, fraterni amóris exempla.

℟. Interrogávit Jesus discípulos: Quot panes habétis? Dixérunt: Septem. Et accípiens septem panes, grátias agens, fregit: * Et dabat discípulis suis ut appónerent. ℣. Dicit Dóminus: Cómedent, et supérerit. * Et dabat discípulis. *Marc.* 8. 4. *Reg.* 4.

LECTIO IX.

Senem fame laborantem si víderis, accerse ipsum, et ale velut Joseph Jacob. Inimícum si repéreris in angústiis pósitum, ne adjunge ad iram, quâ occupáris, ultiónem; sed ale velut ille fratres à quibus fúerat véndítus. Si incíderis in juniórem afflictátum, ita eum defléto, uti ille Bénjamin senectútis fílium. Tentat te étiam fortasse avarítia, velut Joséphum hera: trahit te tuis vestimentis, ut mandátum spernas, ipsamque auri mundique amantem præ mandáto Dómini díligas. Ubi cogitátio subíerit huic mandáto repugnans, alliciensque ánimum benè morátum ad avarítiam; et caritátem fraternam neglígere cogens, teque secum détinens, ábjice et tu vestimenta; irátus secéde: fidem Dómino, velut ille, serváto: per unum annum, uti ille

LECTIÓ II.

Dedit quoque Dóminus sapiéntiam Salomóni, sicut locútus est ei: et erat pax inter Hiram et Salomónem, et percussérunt ambo fœdus. Elegitque rex Sálomon operários de omni Israel, et erat indíctio triginta míllia virórum: mittebatque eos in Líbanum, decem míllia per menses síngulos vicissim, ita ut duóbus ménsibus essent in dómibus suis; et Adoníram erat super hujuscémodi indictióne. Fuerintque Salomóni septuaginta míllia eórum qui ónera portábant, et octoginta míllia latomórum in monte, absque præpósitis qui præerant síngulis opéribus, numéro trium míllium, et trecentórum præcipiéntium pópulo et his qui faciébant opus.

℟. Regína Saba, 270.

LECTIO III.

(Cap. 7 et 8.)

Et perfécit omne opus quod faciébat Sálomon in domo Dómini; et íntulit quæ sanctificáverat David pater suus, argentum et aurum, et vasa; reposuitque in thesauris domûs Dómini. Tunc congregáti sunt omnes majóres natu Israel cum princípibus tríbuum, et duces familiárum filiórum Israel ad regem Salomónem in Jerúsalem; ut déferrent arcam fœderis Dómini, de civitáte David, id est, de Sion. Convenitque ad regem Salomónem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die; ipse est mensis séptimus. Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulérunt arcam sacerdótes, et portavérunt arcam Dómini, et tabernáculum fœderis, et ómnia vasa Sanctuárii quæ erant in tabernáculo; et ferébant ea sacerdótes et Levítæ. Rex autem Sálomon, et omnis multitúdo Israel quæ convénerat ad eum, gradiébátur cum illo ante arcam; et immolábant oves et boves absque æstimatióne et número. Et íntulérunt sacerdótes arcam fœderis Dómini in locum suum, in oráculum templi, in Sanctum sanctórum subter alas Chérubim.

℟. Dedisti, 270.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro tértio Regum.

(Cap. 9.)

Factum est cùm perfecisset Sálomon ædifícium domûs Dómini et ædifícium regis, et omne quod optáverat et volúerat fácere, appáruit ei Dóminus secundò, sicut apparúerat ei in Gábaon; dixitque Dóminus ad eum: Exaudívi oratiónem tuam et deprecatiónem tuam quam deprecátus es coram me: sanctificávi domum hanc quam ædificasti, ut pónerem no-

men meum ibi in sempiternum; et erunt óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus. Tu quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit pater tuus, in simplicitáte cordis, et in æquitáte, et féceris ómnia quæ præcépi tibi, et legítima mea et judícia mea serváveris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locútus sum David patri tuo, dicens: Non auferétur vir de génere tuo, de sólio Israel.

℟. Dilexit, 268.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

Regina Saba, audítâ famâ Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. Et ingressa Jerúsalem multo cum comitátu, et divítiis, camélis portántibus arómata, et aurum infinítum nimis, et gemmas pretiósas, venit ad regem Salomónem, et locúta est ei universa quæ babébat in corde suo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quæ proposúerat. Non fuit sermo qui regem posset latére, et non respondéret ei. Videns autem regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis, et domum quam ædificáverat, et cibos mensæ ejus, et habitácula servórum, et órdines ministrántium, vestesque eórum, et pincernas, et holocausta quæ offerébat in domo Dómini; non habébat ultrà spíritum.

℟. Dixit, 268.

LECTIO III.

Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audívi in terra mea super sermónibus tuis, et super sapiéntia tua; et non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni, et vidi óculis meis, et probávi quòd média pars mihi nuntiáta non fúerit: major est sapiéntia et ópera tua, quàm rumor quem audívi. Beáti viri tui, et beáti servi tui qui stant coram te semper, et áudiunt sapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et pósuit te super thronum Israel, eò quòd diléxerit Dóminus Israel in sempiternum, et constítuit te regem, ut fáceres judícium et justítiam. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et arómata multa nimis, et gemmas pretiósas.

℟. Sálomon ædificávit Dómino, 269.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro tértio Regum.

(Cap. 11.

Rex Sálomon adamávit muliéres alienígenas multas, fíliam quoque Pharaónis, et Moabítidas, et Ammonítidas, Idumæas, et Sidónias,

et Hethæas; de géntibus super quibus dixit Dóminùs fíliis Israel: Non ingrediémini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certíssimè enim avertent corda vestra, ut sequámini deos eárum. Cùmque jam esset senex, depravátum est cor ejus per mulíeres, ut sequerétur deos aliénos: nec erat cor ejus perfectum cum Dómino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Sed colébat Sálomon Astarthen deam Sidoniórum, et Moloch idólum Ammonitárum. Fecitque Sálomon quod non placúerat coram Dómino, et non adimplévit ut sequerétur Dóminum, sicut David pater ejus.

℟. Stetit Sálomon coram altári Dómini, 269.

LECTIO II.

Igitur irátus est Dóminus Salomóni, quòd aversa esset mens ejus à Dómino Deo Israel, qui apparúerat ei secundò, et præcéperat de verbo hoc ne sequerétur deos aliénos; et non custodívit quæ mandávit ei Dóminus. Dixit ítaque Dóminus Salomóni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandávi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Verúmtamen in diébus tuis non fáciam propter David patrem tuum: de manu fílii tui scindam illud; nec totum regnum áuferam, sed tribum unam dabo fílio tuo, propter David servum meum, et Jerúsalem quam elégi. Suscitávit autem Dóminus adversárium Salomóni, Adad Idumæum de sémine régio, qui erat in Edom.

℟. Regina Saba, audítâ famâ, 270.

LECTIO III.

Jeroboam quoque fílius Nabath Ephrathæus, de Saréda, servus Salomónis, cujus mater erat nómine Sarva, múlier vídua, levávit manum contra regem. Et hæc est causa rebelliónis adversùs eum, quia Sálomon ædificávit Mello, et coæquávit voráginem civitátis David patris sui. Erat autem Jeróboam vir fortis et potens; videnque Sálomon adolescentem bonæ índolis et indústrium, constitúerat eum præfectum super tribúta universæ domûs Joseph. Factum est ígitur in témpore illo, ut Jeróboam egrederétur de Jerúsalem, et inveníret eum Ahías Silonítes prophéta in via, opertus pállio novo: erant autem duo tantùm in agro. Apprehendensque Ahías pállium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam: Tolle tibi decem scissúras; hæc enim dicit Dóminus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de

manu Salomónis, et dabo tibi decem tribus.

℟. Dedisti máculam, 270.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro tértio Regum.

(Cap. 11 et 12.)

Dormivit Sálomon cum pátribus suis, et sepultus est in civitáte David patris sui; regnavitque Róboam fílius ejus pro eo. Venit autem Róboam in Sichem; illuc enim congregátus erat omnis Israel ad constituendum eum regem. At verò Jeróboam fílius Nabath, cùm adhuc esset in Ægypto prófugus à fácie regis Salomónis, audítâ morte ejus, reversus est de Ægypto. Miseruntque et vocavérunt eum: venit ergo Jeróboam et omnis multitúdo Israel, et locúti sunt ad Róboam, dicentes: Pater tuus duríssimam jugum impósuit nobis; tu ítaque nunc immínue páululùm de império patris tui duríssimo, et de jugo gravíssimo quod impósuit nobis, et serviémus tibi.

℟. Dilexit, 268.

LECTIO II.

Respondítque rex pópulo dura, derelicto consílio seniórum, quod ei déderant; et locútus est eis secundùm consílium júvenum, dicens: Pater meus aggravávit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cæcídit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpiónibus. Et non acquiévit rex pópulo; quóniam aversátus fúerat eum Dóminus, ut suscitáret verbum suum quod locútus fúerat in manu Áhiæ Silonítæ ad Jeróboam fílium Nabath. Videns ítaque populus quòd noluisset eos audíre rex, respondit ei, dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hæréditas in fílio Isaï? Vade in tabernácula tua, Israel: nunc vide domum tuam, David. Et ábiit Israel in tabernácula sua. Super fílios autem Israel, quícumque habitábant in civitátibus Juda, regnávit Róboam.

℟. Dixit Dóminus, 268.

LECTIO III.

Dixitque Jeróboam in corde suo: Nunc revertétur regnum ad domum David, si ascénderit pópulus iste ut fáciat sacrifícia in domo Dómini in Jerúsalem: et convertétur cor pópuli hujus ad dóminum suum Róboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum. Et excogitáto consílio, fecit duos vítulos áureos, et dixit eis: Nolíte ultrà ascéndere in Jerúsalem: ecce dii tui, Israel, qui te eduxérunt de terra Ægypti. Posuitque unum in Bethel, et álterum in Dan: et factum est verbum

hoc in peccátum : ibat enim pópulus ad adorandum vítulum usque in Dan. Et fecit fana in excelsis, et sacerdótes de extrémis pópuli, qui non erant de fíliis Levi. Constituitque diem solemnem in mense octávo, quintâ-décimâ die mensis, in similitúdinem solemnitátis quæ celebrabátur in Juda.

℣. Sálomon ædificávit Dómino domum, 269.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro tértio Regum.

(Cap. 18.)

Misit Achab ad omnes fílios Israel, et congregávit prophétas in monte Carméli. Accédens autem Elías ad omnem pópulum, ait : Usquequò claudicátis in duas partes ; si Dóminus est Deus, sequímini eum ; si autem Baal, sequímini illum. Et non respondit ei pópulus verbum. Et ait rursus Elías ad pópulum : Ego remansi prophéta Dómini solus; prophétæ autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, et illi éligant sibi bovem unum ; et in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non suppónant : et ego fáciam bovem álterum, et impónam super ligna, ignem autem non suppónam. Invocáte nómina deórum vestrórum, et ego invocábo nomen Dómini mei ; et Deus qui exaudíerit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis pópulus, ait : Optima propositio.

LECTIO II.

Dixit ergo Elías prophétis Baal : Elígite vobis bovem unum, et fácite primi, quia vos plúres estis ; et invocáte nómina deórum vestrórum, ignemque non supponátis. Qui cùm tulissent bovem quem déderat eis, fecérunt; et invocábant nomen Baal de mane usque ad merídiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui respondéret : transiliebantque altáre quod fécerant. Cùmque esset jam merídies, illudébat illis Elías, dicens : Clamáte voce majóre; deus enim est, et fórsitan lóquitur, aut in diversório est, aut in itínere, aut certè dormit, ut excitétur. Clamábant ergo voce magna, et incidébant se juxta ritum suum cultris et lancéolis, donec perfunderentur sánguine.

LECTIO III.

Cumque jam tempus esset ut offerrétur holocaustum, accédens Elías Prophéta, ait : Dómine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hódiè quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci ómnia verba hæc. Exaudi me, Dómine, exaudi me ; ut discat

pópulus iste quia tu es Dóminus Deus, et tu convertisti cor eórum íterùm. Cécidit autem ignis Dómini, et vorávit holocaustum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam quæ erat in aquæ-ductu lambens. Quod cùm vidisset omnis pópulus, cécidit in fáciem suam, et ait: Dóminus ipse est Deus, Dóminus ipse est Deus. Dixitque Elías ad eos : Apprehéndite prophétas Baal, et ne unus quidem effúgiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elías ad torrentem Cison, et interfécit eos ibi.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Ascendit Elías per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, et clamábat : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus. 4. *Reg.* 2.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA VII
POST PENTECOSTEN.
IN I.° NOCTURNO.
LECTIO I.

Incipit liber quartus Regum.

(Cap. 1.)

PRÆVARICATUS est Moab in Israel, postquàm mórtuus est Achab. Ceciditque Ochózias per cancellos cœnáculi sui quod habébat in Samaría, et ægrotávit : misitque núntios, dicens ad eos : Ite, consúlite Beélzebub deum Accaron, utrùm vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus est ad Elíam Thesbíten, dicens : Surge, et ascende in occursum nuntiórum regis Samaríæ, et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eátis ad consulendum Beélzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dóminus: De léctulo super quem ascendisti, non descendes; sed morte moriéris.

℟. Surrexit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat : * Verbo Dómini contínuit cœlum. ℣. Elías homo erat símilis nobis, passíbilis : et orávit ut non plúeret, et non pluit; et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam : * Verbo. *Eccli.* 48. *Jac.* 5.

LECTIO II.

ET ábiit Elías; reversique sunt núntii ad Ochozíam. Qui dixit eis : Quare reversi estis? At illi respondérunt ei : Vir occurrit nobis, et dixit ad nos : Ite, et revertímini ad regem qui misit vos, et dicétis ei : Hæc dicit Dóminus : Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulátur Beélzebub deus Accaron? Idcirco de léctulo super quem ascendisti, non descendes; sed morte moriéris. Qui dixit eis : Cujus figuræ et hábitûs est vir ille qui occurrit vobis, et locútus est verba hæc? At illi dixérunt : Vir pilósus, et zonâ

pellíceâ accinctus rénibus. Qui ait : Elías Thesbítes est. Misitque ad eum quinquagenárium príncipem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum; sedentique in vértice montis, ait: Homo Dei, rex præcépit ut descendas. Respondensque Elías, dixit quinquagenário : Si homo Dei sum, descendat ígnis de cœlo, et dévoret te et quinquaginta tuos. Descendit ítaque ignis de cœlo, et devorávit eum et quinquaginta qui erant cum eo.

℟. Accédens Elías ad omnem pópulum, ait : Usquequò claudicátis in duas partes? * Si Dóminus est Deus, sequímini eum. ℣. Nemo potest duóbus dóminis servíre : * Si Dóminus. 3. *Reg.* 18. *Matth.* 6.

LECTIO III.

Rursumque misit ad eum príncipem quinquagenárium álterum, et quinquaginta cum eo. Qui locútus est illi : Homo Dei, hæc dicit rex : Festína, descende. Respondens Elías, ait : Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, et dévoret te et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, et devorávit illum et quinquaginta ejus. Iterùm misit príncipem quinquagenárium tértium, et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm venisset, curvávit génua contra Elíam, et precátus est eum, et ait : Homo Dei, noli despícere ánimam meam, et ánimas servórum tuórum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, et devorávit duos príncipes quinquagenários primos, et quinquagénos qui cum eis erant; sed nunc óbsecro ut misereáris ánimæ meæ. Locútus est autem Angelus Dómini ad Elíam, dicens : Descende cum eo, ne tímeas. Surrexit ígitur, et descendit cum eo ad regem.

℟. Elías in túrbine tectus est, et in Eliséo complétus est spíritus ejus : * Poténtiâ nemo vicit illum, et mórtuum prophetávit corpus ejus. ℣. Erat potens in verbis, et in opéribus suis. * Poténtiâ. Glória. * Poténtiâ. *Eccl.* 48. *Act.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 19 Moral. in Job, cap. 6, n. 9 et 10.)

Sancti ipsi, qui, sancto sublevante Spíritu, ad summa rapiuntur, quàmdiu in hac vita sunt, ne áliquâ elatióne supérbiant, quibusdam tentatiónibus reprimuntur; ut nequáquam tantùm profícere váleant, quantùm volunt : sed ne extollantur supérbiâ, fit in eis ipsárum quædam mensúra virtútum.

Hinc est enim quòd Elías, dùm tot virtútibus in alta profecisset, quâdam mensúrâ suspensus est, dùm Jézabel póstmodùm, quamvìs regínam, tamen muliérculam, fugit.

℟. Dejécit castra Assyriórum Angélus Dómini; nam * Fecit Ezechías quod plácuit Deo, et fórtiter ivit in via quam mandávit illi Isaías: in diébus ejus retrò rédiit sol, et áddidit regi vitam. ℣. Píetas ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ quæ nunc est, et futúræ. * Fecit Ezechías. *Eccli.* 48. 1. *Tim.* 4.

LECTIO V.

(N. 10.)

Perpendo quippe hunc miræ virtútis virum ignem de cœlo tráhere, et secundò quinquagenários cum suis ómnibus petitióne súbitâ concremáre, verbo cœlos à plúviis cláudere, verbo cœlos ad plúvias aperíre, suscitantem mórtuos, ventúra quæque prævidentem: et ecce rursùs ánimo occurrit quo pavóre ante unam muliérculam fúgerit. Considéro virum timóre perculsum, de manu Dei mórtem pétere, nec accípere; de manu muliéris mórtem fugiendo vitáre.

℟. Postquàm coangustátus est Manasses, * Orávit Dóminum, et egit pœniténtiam valdè coram Deo; et exaudívit oratiónem ejus, reduxitque eum in regnum suum. ℣. Quæ secundùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur. * Orávit Dóminum. 2. *Par.* 33. 2. *Cor.* 7.

LECTIO VI.

(N. 10.)

Quærebat enim mortem dum fúgeret, dicens: Súfficit mihi, tolle ánimam meam: neque enim mélior sum quàm patres mei. Unde ergo sic potens, ut tot illas virtútes fáciat? Unde sic infirmus, ut ita féminam pertimescat, nisi quia aquæ appenduntur mensúrà; ut ipsi sancti Dei hómines et multùm váleant per poténtiam Dei, et rursum quâdam mensúrâ moderáti sint per infirmitátem suam? In illis virtútibus Elías quid de Deo accéperat, in istis infirmitátibus quid de se esse pótérat, agnoscébat. Illa poténtia virtus fuit; ista infírmitas custos virtútis. In illis virtútibus ostendébat quid accéperat; in istis infirmitátibus hoc quod accéperat, custodiébat. In miráculis monstrabátur Elías, in infirmitátibus servabátur.

℟. Memória Josíæ in omni ore quasi mel; ipse est directus divínitûs in pœniténtiam gentis. * Tulit abominatiónes impietátis, et ✠ In diébus peccatórum corro-

borávit pietátem. ℣. Qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus à morte. * Tulit abominatiónes. Glória. ✝ In. *Eccli.* 49. *Jac.* 5.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 7.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite à falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestimentis óvium, intrínsecùs autem sunt lupi rapáces : à fructibus eórum cognoscétis eos. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Psalm. 118, Serm. 12, n. 40.)

Non quicumque dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum. Non quicumque dicit mihi : Tuus sum, meus est. Meus planè es, si vocem non redárguat consciéntia, si sermónem tuum ánimus aut ópera non refútent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se non neget, aut certè si pro me seipsum sibi ábneget. Nolo habére sérvulum plúribus dóminis servientem. Nam quómodò meus est, si mihi dicat verbo : Tuus sum, et opéribus neget, et factis se diábolo adjúdicet et obstringat?

℟. Atténdite à falsis prophétis, qui * Véniunt ad vos in vestimentis óvium, intrínsecùs autem sunt lupi rapáces. ℣. Non misi eos; et ipsi prophétant in nómine meo mendáciter, ut pereátis. * Véniunt. *Matth.* 7. *Jerem.* 27.

LECTIO VIII.

(N. 41.)

Non est meus quem libído succendit; quia mea est cástitas. Non est meus quem cura spoliandi minóres exágitat; quia mea intégritas est. Non est meus quem ira móbilis inquiétat; quia mea tranquíllitas est. Non est meus vini crápulâ temulentus in lucem, ambitióne glóriæ seculáris ébrius, qui in perículum non possit sóbriæ moderatiónis serváre vestígium. Pax sum ego, litigáre non novi. Quid mihi ad eum de quo véniat diábolus, et dicat : Meus est; nam mihi sua colla curvávit, mea in illo plura repério : nomen sibi tuum vindicat, et meum munus? Non est ergo Christi, nisi qui est aliénus à crímine : non est Christi, nisi qui potest semper se Christi sérvulum demonstráre.

℟. Confídunt in níhilo, et lóquuntur vanitátes : * Opera eórum ópera inutília, et opus iniquitátis in mánibus eórum. ℣. A fructibus eórum cognoscétis eos. * Opera. *Is.* 59. *Matth.* 7.

LECTIO IX.

RECTE ergo prophéta David dixit, Tuus sum, qui semper in Dómino mansit. Et quâ ratióne díxerit, Tuus sum, áddidit: Justificatiónes tuas exquísivi; hoc est, nihil aliórum quæsívi, sed id solùm quod tuum est desideráví. Alii quærunt monília pretiósa; ego solas justificatiónes tuas quasi quædam serta justítiæ: álii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitáre possint in terra hac, et elementum volunt occupáre commúne: álii possessiónem áeris ipsíus vindicáre; mihi in tuis justificatiónibus omne patrimónium est. Néscio possidére nisi quod tui juris est. In tuis elóquiis spiritális mihi cura refulsit argenti. Mihi pórtio Deus est. Tuus sum ego; quia pars mihi hæreditátis non in auro, non in argento est, sed in Christo Jesu.

℟. Non omnis qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum; sed * Qui facit voluntátem Patris mei, ipse intrábit in regnum cœlórum. ℣. Qui custódit mandátum, custódit ánimam suam. * Qui facit voluntátem Patris mei. Glória. * Qui facit voluntátem Patris mei. *Matth.* 7. *Prov.* 19.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Non potest arbor bona malos fructus fácere, neque arbor mala bonos fructus fácere. *Matth.* 7.

COLLECTA. Orémus.

DEUS virtútum, cujus est totum quod est óptimum, ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, et præsta in nobis religiónis augmentum; ut quæ sunt bona, nútrias, ac pietátis stúdio, quæ sunt nutríta, custódias; Per.

Ad Magníf. *Ant.* 1. g. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur. *Matth.* 7.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 2.)

ACCESSERUNT fílii Prophetárum qui erant in Jéricho, ad Eliséum, et dixérunt ei: Numquid nosti quia Dóminus hódiè tollet dóminum tuum à te? Et ait: Et ego novi; siléte. Dixit autem ei Elías: Sede hic, quia Dóminus misit me usque ad Jordánem. Qui ait: Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, quia non derelinquam te. Iérunt ígitur ambo páriter, et quinquaginta viri de filiis Prophetárum secúti sunt eos, qui et stetérunt è contrà, longè; illi autem ambo stabant super Jordánem. Tulitque Elías pállium

suum, et involvit illud, et percussit aquas, quæ divísæ sunt in utramque partem; et transiérunt ambo per siccum. Cùmque transissent, Elías dixit ad Eliséum: Póstula quod vis ut fáciam tibi, ántequàm tollar à te. Dixitque Eliséus: Obsecro ut fiat in me duplex spíritus tuus. Qui respondit: Rem difficilem postulasti; áttamen si víderis me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non víderis, non erit.

℟. Surrexit Elías, 279.

LECTIO II.

Cumque pérgerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrumque: et ascendit Elías per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, et clamábat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus. Et non vidit eum ámpliùs: apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. Et levàvit pállium Eliæ, quod cecíderat ei: reversusque stetit super ripam Jordánis; et pállio Eliæ, quod cecíderat ei, percussit aquas, et non sunt divísæ. Et dixit: Ubi est Deus Eliæ étiam nunc? Percussitque aquas, et divísæ sunt huc atque illuc; et tránsiit Eliséus. Videntes autem fílii Prophetárum, qui erant in Jéricho e contra, dixérunt: Requiévit spíritus Eliæ super Eliséum. Et venientes in occursum ejus, adoravérunt eum proni in terram.

℟. Accédens Elías, 280.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Mulier autem quædam de uxóribus Prophetárum clamábat ad Eliséum, dicens: Servus tuus vir meus mórtuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dóminum; et ecce créditor venit ut tollat duos fílios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Eliséus: Quid vis ut fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non hábeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum ólei, quo ungar. Cui ait: Vade, pete mútuo ab ómnibus vicínis tuis vasa vácua non pauca; et ingrédere, et claude óstium tuum, cùm intrínsecùs fúeris tu, et fílii tui: et mitte inde in ómnia vasa hæc: et cùm plena fúerint, tolles. Ivit ítaque múlier, et clausit óstium super se et super fílios suos: illi offerébant vasa, et illa infundébat. Cùmque plena fuissent vasa, dixit ad fílium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non hábeo. Stetitque óleum. Venit autem illa, et indicávit hómini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende óleum, et redde creditóri tuo; tu autem et fílii tui vívite de réliquo.

℟. Elías in túrbine, 280

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 4.)

FACTA est quædam dies, et transíbat Eliséus per Sunam; erat autem ibi múlier magna, quæ ténuit eum ut coméderet panem: cùmque frequenter inde transíret, divertébat ad eam ut coméderet panem. Quæ dixit ad vírum suum: Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciámus ergo ei cœnáculum parvum, et ponámus ei in eo léctulum, et mensam, et sellam, et candelábrum; ut cùm vénerit ad nos, máneat ibi. Facta est ergo dies quædam, et véniens divertit in cœnáculum, et requiévit ibi. Dixitque ad Giézi púerum suum: Voca Sunamítidem istam. Qui cùm vocasset eam, et illa stetisset coram eo, dixit ad púerum suum: Lóquere ad eam: Ecce sédule in ómnibus ministrasti nobis, quid vis ut fáciam tibi? Numquid habes negótium, et vis ut loquar regi, sive príncipi milítiæ? Quæ respondit: In médio pópuli mei hábito. Et ait: Quid ergo vult ut fáciam ei? Dixitque Giézi: Ne quæras; fílium enim non habet, et vir ejus senex est. Præcépit ítaque ut vocáret eam: quæ cùm vocáta fuisset, et stetisset ante óstium, dixit ad eam: In témpore isto, et in hac eádem hora, si vita comes fúerit, habébis in útero fílium. At illa respondit: Noli, quæso, dómine mi, vir Dei, noli mentíri ancillæ tuæ. Et concépit múlier, et péperit fílium in témpore et in hora eádem quâ díxerat Eliséus.

℟. Dejécit, 281.

LECTIO II.

CREVIT autem puer. Et cùm esset quædam dies, et egressus esset ad patrem suum, ad messóres, ait patri suo: Caput meum dóleo, caput meum dóleo. At ille dixit púero: Tolle, et duc eum ad matrem suam. Qui cùm tulisset, et duxisset eum ad matrem suam, pósuit eum illa super génua sua usque ad merídiem, et mórtuus est. Ascendit autem, et collocávit eum super léctulum hóminis Dei, et clausit óstium; et egressa, vocávit virum suum, et ait: Mitte mecum, óbsecro, unum de púeris, et ásinam, ut excurram usque ad hóminem Dei, et revertar.

℟. Postquàm, 281.

LECTIO III.

INGRESSUS est ergo Eliséus domum, et ecce puer mórtuus jacébat in léctulo ejus: ingressusque clausit óstium super se et super púerum, et orávit ad Dóminum. Et ascendit, et incúbuit super

púerum; posuitque os suum super os ejus, et óculos suos super óculos ejus, et manus suas super manus ejus; et incurvávit se super eum, et calefacta est caro púeri. At ille reversus, deambulávit in domo, semel huc atque illuc; et ascendit, et incúbuit super eum, et oscitávit puer sépties, aperuitque óculos. At ille vocávit Giézi, et dixit ei: Voca Sunamítidem hanc. Quæ vocáta, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle fílium tuum. Venit illa, et córruit ad pedes ejus, et adorávit super terram: tulitque fílium suum, et egressa est.

℟. Memória, 281.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 5.)

Venit Náaman (leprósus) cum equis et cúrribus, et stetit ad óstium domûs Eliséi. Misitque ad eum Eliséus núntium, dicens: Vade, et laváre sépties in Jordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat, dicens: Putábam quòd egrederétur ad me, et stans invocáret nomen Dómini Dei sui, et tángeret manu suâ locum lepræ, et curáret me. Numquid non melióres sunt Abana et Pharphar flúvii Damasci ómnibus aquis Israel, ut laver in eis, et munder? Cùm ergo vertisset se, et abíret indignans, accessérunt ad eum servi sui, et locúti sunt ei: Pater, et si rem grandem dixisset tibi Prophéta, certè fácere debúeras; quantò magis quia nunc dixit tibi: Laváre, et mundáberis? Descendit, et lavit in Jordáne sépties juxta sermónem viri Dei; et restitúta est caro ejus sicut caro púeri párvuli, et mundátus est. Reversusque ad virum Dei cum universo comitátu suo, vénit et stetit coram eo, et ait: Verè scio quòd non sit álius Deus in universa terra, nisi tantùm in Israel.

℟. Surrexit Elías, 279.

LECTIO II.

Dixitque Giézi puer viri Dei: Pepercit dóminus meus Náaman Syro isti, ut non accíperet ab eo quæ áttulit: vivit Dóminus, quia curram post eum, et accípiam ab eo áliquid. Et secútus est Giézi post tergum Náaman: quem cùm vidisset ille currentem ad se, desíliit de curru in occursum ejus, et ait: Rectène sunt ómnia? Et ille ait: Rectè. Dóminus meus misit me ad te, dicens: Modò venérunt ad me duo adolescentes de monte Ephraïm, ex fíliis Prophetárum; da eis talentum argenti, et vestes mutatórias dúplices. Dixitque Náaman: Mélius est ut accí-

pias duo talenta. Et coégit eum, ligavitque duo talenta argenti in duóbus saccis, et duplícia vestimenta, et impósuit duóbus púeris suis, qui et portavérunt coram eo.

℟. Accédens Elías, 280.

LECTIO III.

Cumque venisset jam vésperi, tulit de manu eórum, et repósuit in domo, dimisitque viros; et abiérunt: ipse autem ingressus stetit coram dómino suo. Et dixit Eliséus: Unde venis, Giézi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quòquam. At ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tuî? Nunc ígitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas olivéta, et víneas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. Sed et lepra Náaman adhærébit tibi, et sémini tuo, usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprósus quasi nix.

℟. Elías in túrbine, 280.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 6.)

Factum est post hæc, congregávit Bénadad rex Syriæ universum exércitum suum, et ascendit, et obsidébat Samaríam. Factaque est fames magna in Samaría: et támdiu obsessa est, donec venumdarétur caput ásini octoginta argénteis, et quarta pars cabi stércoris columbárum quinque argénteis. Cùmque rex Israel transíret per murum, múlier quædam exclamávit ad eum, dicens: Salva me, dómine mi rex. Qui ait: Non te salvat Dóminus, unde te possum salváre? de área, vel de torculári? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: Múlier ista dixit mihi: Da fílium tuum, ut comedámus eum hódiè, et fílium meum comedémus cras. Cóximus ergo fílium meum, et comédimus. Dixique ei die álterâ: Da fílium tuum, ut comedámus eum. Quæ abscondit fílium suum. Quod cùm audisset rex, scidit vestimenta sua, et transíbat per murum. Viditque omnis pópulus cilícium quo vestítus erat ad carnem intrínsecus. Et ait rex: Hæc mihi fáciat Deus, et hæc addat, si stéterit caput Eliséi fílii Saphat super ipsum hódiè.

℟. Dejécit, 281.

LECTIO II.

(Cap. 7.)

Dixit autem Eliséus: Audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus: In témpore hoc cras módius símilæ uno statére erit, et duo módii hórdei statére uno, in porta Samaríæ. Respondens unus de

dúcibus, super cujus manum rex incumbébat, hómini Dei, ait: Si Dóminus fécerit étiam cataractas in cœlo, numquid póterit esse quod lóqueris? Qui ait: Vidébis óculis tuis, et inde non cómedes. Quátuor ergo viri erant leprósi juxta intróitum portæ, qui dixérunt ad ínvicem: Quid hìc esse vólumus donec moriámur? Sive íngredi voluérimus civitátem, fame moriémur; sive mansérimus hìc, moriendum nobis est: veníte ergo, et transfugiámus ad castra Syriæ; si pepércerint nobis, vivémus; si autem occídere volúerint, nihilóminus moriémur. Surrexérunt ergo vésperi, ut venírent ad castra Syriæ: cùmque venissent ad princípium castrórum Syriæ, nullum ibídem reperérunt.

℟. Postquàm, 281.

LECTIO III.

Et egressus pópulus dirípuit castra Syriæ: factusque est módius símilæ statére uno, et duo módii hórdei statére uno, juxta verbum Dómini. Porrò rex ducem illum, in cujus manu incumbébat, constítuit ad portam; quem conculcávit turba in intróitu portæ, et mórtuus est, juxta quod locútus fúerat vir Dei, quando descénderat rex ad eum. Factumque est secundùm sermónem viri Dei, quem díxerat regi, quando ait: Duo módii hórdei statére uno erunt, et módius símilæ statére uno, hoc eódem témpore cras in porta Samaríæ; quando respónderat dux ille viro Dei, et díxerat: Etiamsi Dóminus fécerit cataractas in cœlo, numquid póterit fíeri quod lóqueris? Et dixit ei: Vidébis óculis tuis, et inde non cómedes. Evénit ergo ei sicut prædictum fúerat, et conculcávit eum pópulus in porta; et mórtuus est.

℟. Memória, 281.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 8.)

Venit Eliséus Damascum, et Bénadad rex Syriæ ægrotábat; nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Házael: Tolle tecum múnera, et vade in occursum viri Dei, et cónsule Dóminum per eum, dicens: Si evádere pótero de infirmitáte mea hac? Ivit ígitur Házael in occursum ejus, habens secum múnera, et ómnia bona Damasci, ónera quadraginta camelórum. Cùmque stetisset coram eo, ait: Fílius tuus Bénadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanári pótero de infirmitáte mea hac? Dixitque ei Eliséus: Vade, dic ei: Sanáberis; porrò ostendit mihi Dóminus quia morte morié-

tur. Stetitque cum eo, et conturbátus est usque ad suffusiónem vultûs: flevitque vir Dei. Cui Házael ait: Quare dóminus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ factúrus sis fíliis Israel mala. Civitátes eórum munitas igne succendes, et júvenes eórum interfícies gládio, et párvulos eórum elídes, et prægnantes dívides.

℟. Surrexit Elías, 279.

LECTIO II.

(Cap. 9.)

Elíseus autem Prophétes vocávit unum de fíliis Prophetárum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lentículam ólei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Gálaad. Cùmque véneris illuc, vidébis Jehu fílium Jósaphat fílii Namsi: et ingressus suscitábis eum de médio fratrum suórum, et introdúces in intérius cubículum; tenensque lentículam ólei, fundes super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dóminus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque óstium, et fúgies, et non ibi subsistes. Abiit ergo adolescens puer Prophétæ in Ramoth Gálaad, et ingressus est illuc: ecce autem príncipes exércitûs sedébant, et ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex ómnibus nobis? At ille dixit: At te, ô princeps.

℟. Accédens Elías, 280.

LECTIO III.

Et surrexit, et ingressus est cubículum: at ille fudit óleum super caput ejus, et ait: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Unxi te regem super pópulum Dómini Israel; et percúties domum Achab dómini tui, et ulciscar sánguinem servórum meórum Prophetárum, et sánguinem ómnium servórum Dómini, de manu Jézabel: perdamque omnem domum Achab; et interfíciam de Achab mingentem ad paríetem, et clausum, et novíssimum in Israel; et dabo domum Achab, sicut domum Jeróboam fílii Nabat, et sicut domum Báasa fílii Ahía: Jézabel quoque cómedent canes in agro Jézrahel, nec erit qui sepéliat eam. Aperuitque óstium, et fugit. Jehu autem egressus est ad servos dómini sui, qui dixérunt ei: Rectène sunt ómnia? Quid venit insánus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hóminem, et quid locútus sit. At illi respondérunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc et hæc locútus est mihi, et ait: Hæc dicit Dóminus: Unxi te regem super Israel. Festinavérunt ítaque, et unusquisque tollens pállium suum, posuérunt sub pédibus ejus in similitúdinem tribunális, et cecinérunt tubâ, atque dixérunt: Regnávit Jehu.

℟. Elías in túrbine, 280.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 9.)

Egressus est Joram rex Israel, et Ochózias rex Juda, sínguli in cúrribus suis, egressíque sunt in occursum Jehu, et invenérunt eum in agro Naboth Jezrahelítæ. Cùmque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est, Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicatiónes Jézabel matris tuæ, et venefícia ejus multa vigent. Convertit autem Joram manum suam, et fúgiens ait ad Ochóziam: Insídiæ, Ochózia. Porrò Jehu tetendit arcum manu, et percussit Joram inter scápulas: et egressa est sagitta per cor ejus, statimque córruit in curru suo. Dixitque Jehu ad Bádacer ducem: Tolle, prójice eum in agro Naboth Jezrahelítæ: mémini enim quando ego et tu sedentes in curru sequebámur Achab patrem hujus, quòd Dóminus onus hoc leváverit super eum, dicens: Si non pro sánguine Naboth et pro sánguine filiórum ejus, quem vidi herì, ait Dóminus, reddam tibi in agro isto, dicit Dóminus. Nunc ergo tolle, et prójice eum in agrum, juxta verbum Dómini. Ochózias autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domûs horti; persecutusque est eum Jehu, et ait: Etiam hunc percútite in curru suo; et percussérunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jéblaam: qui fugit in Mageddo, et mórtuus est ibi.

LECTIO II.

Anno undécimo Joram fílii Achab, regnávit Ochózias super Judam; venitque Jehu in Jézrahel. Porrò Jézabel intróitu ejus audíto, depinxit óculos suos stíbio, et ornávit caput suum, et respexit per fenestram ingredientem Jehu per portam, et ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfécit dóminum suum? Levavitque Jehu fáciem suam ad fenestram, et ait: Quæ est ista? Et inclinavérunt se ad eum duo vel tres eunúchi. At ille dixit eis: Præcipitáte eam deorsùm? Et præcipitavérunt eam, aspersusque est sánguine páries, et equórum úngulæ conculcavérunt eam. Cùmque introgressus esset, ut comederet biberetque, ait: Ite, et vidéte maledictam illam, et sepelíte eam, quia fília regis est. Cùmque issent ut sepelírent eam, non invenérunt nisi calvária, et pedes, et summas manus. Reversique nuntiavérunt ei. Et ait Jehu: Sermo Dómini est, quem locútus est per servum suum Elíam Thesbíten, dicens: In agro Jézrahel cómedent canes carnes Jézabel.

LECTIO III.

(Cap. 10.)

ERANT autem Achab septuaginta fílii in Samaría. Scripsit ergo Jehu lítteras, et misit in Samaríam, ad optimátes civitátis, et ad majóres natu, et ad nutrítios Achab, dicens: Statim ut accepéritis lítteras has, qui habétis fílios dómini vestri, et currus, et equos, et civitátes firmas, et arma; elígite meliórem, et eum qui vobis placúerit de fíliis dómini vestri, et eum pónite super sólium patris sui, et pugnáte pro domo dómini vestri. Timuérunt illi vehementer, et dixérunt: Ecce duo reges non potuérunt stare coram eo, et quómodò nos valébimus resístere? Misérunt ergo præpósiti domûs, et præfecti civitátis, et majóres natu, et nutrítii ad Jehu, dicentes; Servi tui sumus, quæcumque jússeris faciémus, nec constituémus nobis regem; quæcumque tibi placent, fac. Rescripsit autem eis lítteras secundò, dicens: Si mei estis, et obedítis mihi, tóllite cápita filiórum dómini vestri, et veníte ad me hâc eâdem horâ cras in Jézrahel. Porrò fílii regis septuaginta viri apud optimátes civitátis nutriebantur. Cùmque venissent líttere ad eos, tulérunt fílios regis, et occidérunt septuaginta viros, et posuérunt cápita eórum in cóphinis, et misérunt ad eum in Jézrahel.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Nóluit Dóminus dispérdere domum David, propter pactum quod iníerat cum eo; et quia promíserat ut daret ei lucernam et fíliis ejus omni témpore. 2. *Paral.* 21.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA VIII
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 11.)

ATHALIA mater Ochóziæ, videns mórtuum fílium suum, surrexit et interfécit omne semen régium. Tollens autem Jósaba fília regis Joram, soror Ochóziæ, Joas fílium Ochóziæ, furáta est eum de médio filiórum regis qui interficiebantur, et nutrícem ejus, de triclínio; et abscondit eum à fácie Athháliæ, ut non interficerétur. Eratque cum ea sex annis clàm in domo Dómini: porrò Athália regnávit super terram. Anno autem séptimo misit Joíada, et assúmens centuriónes et mílites introduxit ad se in templum Dómini, pepigitque cum eis fœdus; et ádjurans eos in domo Dómini ostendit eis fílium regis.

℣. Surrexit Elías prophéta quasi ignis, 279.

LECTIO II.

Pasceúnque filium regis, et pósuit super eum diadéma, et testimónium; fecerúntque eum regem, et unxérunt; et plaudéntes manu, dixérunt: Vívat rex. Audívit autem Athália vocem pópuli currentis; et ingressa ad turbas in templum Dómini, vidit regem stantem super tribúnal juxta morem, et cantóres, et tubas prope eum, omnemque pópulum terræ lætantem, et canentem tubis; et scidit vestimenta sua, clamavitque: Conjurátio, conjurátio. Præcépit autem Joíada centuriónibus qui erant super exércitum, et ait eis: Educite eam extra septa templi; et quicumque eam secútus fúerit, feriátur gládio. Díxerat enim sacerdos: Non occidátur in templo Dómini. Imposuerúntque ei manus, et impegérunt eam per víam introitûs equórum, juxta palátium, et interfecta est ibi. Pépigit ergo Joíada fœdus inter Dóminum, et inter regem, et inter pópulum, ut esset pópulus Dómini, et inter regem et pópulum. Ingressusque est omnis pópulus terræ templum Baal, et destruxérunt aras ejus, et imágines contrivérunt válidè: Mathan quoque sacerdótem Baal occidérunt coram altári.

℣. Accédens Elías ad eum, 280.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

Ægrotáret autem infirmitáte, quâ et mórtuus est; descendítque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebátque: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et ait illi Eliséus: Affer arcum et sagittas. Cùmque attulisset ad eum arcum et sagittas, dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superpósuit Eliséus manus suas mánibus regis, et ait: Aperi fenestram orientálem. Cùmque aperuisset, dixit Eliséus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliséus: Sagitta salútis Dómini, et sagitta salútis contra Syriam; percutiesque Syriam in Aphec, donec consúmas eam. Et ait: Tolle sagittas. Qui cùm tulisset, rursum dixit ei: Percute jáculo terram. Et cùm percussisset tribus vícibus, et stetisset, irátus est vir Dei contra eum, et ait: Si percussisses quínquies, aut séxies, sive sépties, percussisses Syriam usque ad consumptiónem; nunc autem tribus vícibus percúties eam. Mórtuus est ergo Eliséus, et sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno. Quidam autem

sepelientes hóminem, vidérunt latrúnculos, et projecérunt cadáver in sepulchro Eliséi. Quod cùm tetigisset ossa Eliséi, revixit homo, et stetit super pedes suos.

℟. Elías in túrbine, 280.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Cyrilli Jerosolymitáni.

(Catech. 2, n. 13.)

Achab rex Samaríæ sceleratíssimus, idolórum cultor, cùm venisset Elías Prophéta, et minas dúntaxat intentasset, sacco se índuit, et scidit vestimenta. Et quid dicit clemens Deus ad Elíam? Vidisti quómodò compunctus est Achab à facie mea: tanquam férvidum Prophétæ ingénium léniens ut ad misericórdiam inclináret. Vultis cognóscere quàm forte sit pœniténtia armórum genus; quantùm conféssio étiam adversùs hostes præváleat? Centum octoginta quinque hóstium míllia Ezechías per confessiónem ruit. Et hoc adhuc mínimum. Senténtiam Dei adversùm se pronuntiátam, per pœniténtiam dissolvit. Ægrotanti enim ipsi dixit Isaías: Moriéris tu, nec vives. Quæ jam spes, quæ ultrà salus vel expectátio, pronuntiante Prophétâ?. At ille non revocátus est à pœniténtia, memor ejus quod scriptum est: Cùm aversus ingemúeris, tunc salváberis.

℟. Dejécit, 281.

LECTIO V.

(N. 15.)

Conversus est ad pariétem, et mentem per oratiónem ad cœlum tendens: Dómine, ait, memento meî; súfficit enim ad sanatiónem te meî meminisse. Tempóribus non súbjaces; sed ipse es vitæ árbiter et legislátor. Non enim secundùm genitúram aut astrórum complexiónem, ut nonnulli delírant, vitæ nostræ rátio decurrit, sed secundùm tuam voluntátem. Et illi, cujus desperáta vita fúerat, annórum quíndecim vitæ accéssio dátur: atque in signum decem grádibus sol retrogressus est. Jam verò sol propter Ezechíam remeávit: at idem propter Christum defécit, non retrocédens; sed deliquium passus; eâ re quid inter utrumque, Ezechíam dico et Jesum, interesset, demonstrans. Et ille quidem pótuit Dei senténtiam dissólvere; Jésus verò peccatórum véniam tribúere non póterit?

℟. Postquàm, 281.

LECTIO VI.

(N. 15 et 16.)

Convertere tu quoque, et ingemisce; et óstium claude: ora ut tibi dimittátur, ut urentes te flammas disjíciat

Déus. Potest enim pœniténtia et ignem extínguere; potest leónes cicurâre. Quòd si diffidas, cógita quid olim contígerit Ananiæ et sóciis. Quales in camínum ignis fontes effudérunt? Quanta vis aquæ flammam ad cúbitos quadraginta novem ascendentem restínguere sufficiébat? Sed ubi flamma vehementer superferebátur, ibi plúrimus pœniténtiæ fons effúsus est, cùm illi dícerent: Quóniam justus es ín ómnibus quæ fecisti nobis; et peccávimus, et transgressi sumus, et iníquè égimus. Cùm fornácis flammas compressérit pœniténtia, tu dúbitas utrúm gehennæ ignem restínguere váleat?

℣. Memória, 281.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 16.)

In illo témpore; Dicébat Jesus ad discípulos suos: Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum; et hic díffamátus est apud illum quasi dissipasset bona ipsíus. Et réliqua.

Homília sancti Paulíni Epíscopi.

(Epist. 32, ad Sever. aliàs 12.)

Nulla nobis occásio est beneficéntiæ unquàm procrastinandæ, cùm si voluntas nostra non abeit, pauper in promptu sit. Commodémus ergo secúri nunc egéno, et in paupéribus suis Christo; ut ex ejus abundatárà in iisdem glóriâ participáre possímus. Proptéreà enim Dóminus ipse præmonet, dicens: Fácite vobis amícos de iníquo mammónâ. Vides quómodò Omnípotens fáciat de nocte lucem, et de iniquitáte justítiam? Ut cùm defecéritis, inquit, recípiant vos in tabernácula æterna. Seminémus ergo illis carnália, ut metámus ab illis spiritália. Labóret nunc de terrénis manus, ut tunc de cœléstibus ánima reficiátur. Spes præsens ædíficet rem futúram. Faciámus istic tecta, quæ nos illic tegant. Pascátur istìc pauper, ubi me dívite eget; ut me illíc pascat, ubi, me egente, saturábitur.

℣. Víllicus diffamátus est apud dívitem quasi dissipasset bona ipsíus; et ait illi: Quid hoc áudio de te?* Redde ratiónem villicatiónis tuæ; jam enim non póteris villicáre. ℣. Judícium durissimum his qui præsunt, fiet. *Redde. *Luc.* 16. *Sap.* 6.

LECTIO VIII.

(Serm. de Gazophylac. post Epist. 33, n. 6 et 7.)

O abundantia bonitátis Dei! vult fœnerári ex iis quæ ipse largítus est, cupit débitor

fíeri donórum suórum, ut cum multâ tibi ratióne tuam reddat usúram. Própera ígitur, frater, tam úberem tibi obstríngere debitórem, ut et amícum te ex servo vocet; et in tuis terréstribus nummis te expertus fidélem, de suis cœléstibus thesauris dívitem fáciat. Ne trépides, ne cunctéris, ne parcas. Esto violentus Deo, rape regna cœlórum. Nam potúerat, dilectíssimi, Dóminus omnípotens æquè universos dívites fácere, ut nemo indigéret áltero: sed infinítæ bonitátis consílio fecit míserum, ut agnósceret misericordem. Matéria divitiárum tibi est fraterna paupertas, si intélligas super egénum et páuperem; nec tibi tantùm hábeas quod accepisti, quia ídeò et illíus partem tibi in hoc século cóntulit Deus, ut tibi debéret quidquid de suis donis tuo voluntário affectu indigéntibus obtulisses, ac te vicissim in æterna die de illíus parte ditáret.

℟. Ego vobis dico: * Fácite vobis amícos de mammóna iniquitátis; ut cùm defecéritis, recípiant vos in æterna tabernácula. ℣. Eleemósyna facit invenírem isericórdiam et vitam æternam: * Fácite vobis. *Luc.* 16. *Tob.* 12.

LECTIO IX.

(N. 9.)

PAREM ergo curam tuî et páuperis gere, ut imitéris imitatórem Christi, non tibi, sed áliis utília curando, ut tuî impénsiùs Deo cura sit. Vide enim quanto crímine te supérbia aut avarítia discernat ab eo cui te Deus ópere suo junxit. Réfice esurientem ánimam, et non timébis in die malo ab ira superventúra. Beátus enim, inquit, qui intélligit super egénum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. Operáre ígitur et éxcole hanc regiónem terræ tuæ, ut gérminet tibi frugem fértilem, plenam ádipe frumenti, magno cum fœnore centésimum tibi fructum multiplicáti séminis afferentem. In hujus vel possessiónis vel negotiatiónis appetítum et stúdium sancta et salutáris est avarítia: nam talis cupíditas, quæ regnum cœleste merétur, et bonum perenne desíderat, radix bonórum est.

℟. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemósyna resistit peccátis: * Et qui reddit grátiam, ✠ In témpore casûs sui invéniet firmamentum. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet: * Et qui reddit grátiam. Glória Patri. ✠ In témpore. *Eccli.* 3. 2. *Cor.* 9.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. A't villicus intra se: Scio quid fáciam; ut cùm amótus fúero à villicatióne, recípiant me in domos suas. *Luc.* 16.

COLLECTA. Orémus.

LARGIRE nobis, quæsumus, Dómine, semper spíritum cogitandi quæ recta sunt, propítius et agendi; ut qui sine te esse non póssumus, secundùm te vívere valeámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Ad Magnificat, *Ant.* 5. G. Laudávit Dóminus víllicum iniquitátis, quia prudenter fecisset; quia fílii hujus séculi prudentióres fíliis lucis in generatióne sua sunt. *Luc.* 16.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 18.)

ANNO tértio Osée fílii Ela regis Israel, regnávit Ezechías fílius Achaz regis Juda. Viginti quinque annórum erat, cùm regnáre cœpisset; et viginti novem annis regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Abi, fília Zacharíæ. Fecitque quod erat bonum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excelsa, et contrívit státuas, et succídit lucos, confregitque serpentem æneum quem fécerat Móyses; síquidem usque ad illud tempus fílii Israel adolébant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan. In Dómino Deo Israel sperávit: ítaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuérunt: et adhæsit Dómino, et non recessit à vestígiis ejus, fecitque mandáta ejus, quæ præcéperat Dóminus Móysi.

℟. Surrexit Elías, 279.

LECTIO II.

ANNO quarto regis Ezechíæ, qui erat annus séptimus Osée fílii Ela regis Israel, ascendit Salmánasar rex Assyriórum in Samaríam, et oppugnávit eam, et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechíæ, id est, nono anno Osée regis Israel, capta est Samaría; et tránstulit rex Assyriórum Israel in Assyrios, collocávitque eos in Hala et in Habor flúviis Gozan in civitátibus Medórum; quia non audiérunt vocem Dómini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: ómnia quæ præcéperat Móyses servus Dómini, non audiérunt, neque fecérunt. Anno quarto décimo regis Ezechíæ, ascendit Sennácherib rex Assyriórum ad universas civitátes Juda munítas, et cepit eas.

℟. Accédens Elías, 280.

LECTIO III.

(Cap. 19.)

CUM accepisset Ezechías litteras de manu nuntiórum,

et legisset eas, ascendit in domum Dómini, et expandit eas coram Dómino, et orávit in conspectu ejus, dicens: Dómine Deus Israel, qui sedes super Chérubim, tu es Deus solus regum ómnium terræ: tu fecisti cœlum et terram. Inclína aurem tuam, et audi; áperi, Dómine, óculos tuos, et vide; audi ómnia verba Sennácherib, qui misit ut exprobráret nobis Deum viventem. Verè, Dómine, dissipavérunt reges Assyriórum gentes, et terras ómnium. Et misérunt deos eórum in ignem: non enim erant dii, sed ópera mánuum hóminum ex ligno et lápide; et perdidérunt eos. Nunc ígitur, Dómine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus; ut sciant ómnia regna terræ quia tu es Dóminus Deus solus.

℣. Elías in túrbine, 280.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 19.)

Factum est in nocte illa, venit Angelus Dómini, et percussit in castris Assyriórum centum octoginta quinque míllia. Cùmque dilúculo surrexisset, vidit ómnia córpora mortuórum; et recédens ábiit, et reversus est Sennácherib rex Assyriórum, et mansit in Níniive. Cùmque adoráret in templo Nesroch deum suum, Adrámelech et Sárasar fílii ejus percussérunt eum gládio, fugeruntque in terram Armeniórum; et regnávit Asarhaddon fílius ejus pro eo.

℣. Dejécit, 281.

LECTIO II.

(Cap. 20.)

In diébus íllis ægrotávit Ezechías usque ad mortem: et venit ad eum Isaías fílius Amos, Prophéta, dixitque ei: Hæc dicit Dóminus Deus: Præcipe dómui tuæ; moriéris enim tu, et non vives. Qui convertit fáciem suam ad paríetem, et orávit Dóminum, dicens: Obsecro, Dómine, memento, quæso, quómodò ambuláverim coram te in veritáte et in corde perfecto; et quod plácitum est coram te, fécerim. Flevit ítaque Ezechías fletu magno. Et ántequàm egrederétur Isaías médiam partem átrii, factus est sermo Dómini ad eum, dicens: Revértere, et dic Ezechíæ duci pópuli mei: Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, et vidi lácrymas tuas; et ecce sanávi te: die tértio ascendes templum Dómini. Et addam diébus tuis quíndecim annos: sed et de manu regis Assyriórum liberábo te, et civitátem hanc; et prótegam urbem istam propter me, et

propter David servum meum.

℟. Postquàm coangustátus, 281.

LECTIO III.

Dixitque Isaías : Afferte massam ficórum. Quam cùm attulissent, et posuissent super ulcus ejus, curátus est. Díxerat autem Ezechías ad Isaíam : Quod erit signum, quia Dóminus me sanábit, et quia ascensúrus sum die tértiâ templum Dómini ? Cui ait Isaías : Hoc erit signum à Dómino, quòd factúrus sit Dóminus sermónem quem locútus est : Vis ut ascendat umbra decem líneis, an ut revertátur tótidem grádibus ? Et ait Ezechías : Fácile est umbram créscere decem líneis : nec hoc volo ut fiat, sed ut revertátur retrorsùm decem grádibus. Invocávit ítaque Isaías prophéta Dóminum, et reduxit umbram per líneas, quibus jam descénderat in horológio Achaz, retrorsùm decem grádibus.

℟. Memória, 281.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 20.)

In témpore illo misit Bérodach Báladan, filius Báladan, rex Babyloniórum, lítteras et múnera ad Ezechíam : audíerat enim quòd ægrotasset Ezechías. Lætátus est autem in adventu eórum Ezechías, et ostendit eis domum arómatum, et aurum, et argentum, et pigmenta vária, unguenta quoque, et domum vasórum suórum, et ómnia quæ habére póterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstráret eis Ezechías in domo sua, et in omni potestáte sua.

℟. Surrexit Elías prophéta, 279.

LECTIO II.

Venit autem Isaías prophéta ad regem Ezechíam, dixitque ei : Quid dixérunt viri ísti ? aut unde venérunt ad te ? Cui ait Ezéchias : De terra longinqua venérunt ad me, de Babylóne. At ille respondit : Quid vidérunt in domo tua ? Ait Ezechías : Omnia quæcumque sunt in domo mea, vidérunt : nihil est quod non monstráverim eis in thesauris meis. Dixit ítaque Isaías Ezechiæ : Audi sermónem Dómini : Ecce dies vénient, et auferentur ómnia quæ sunt in domo tua, et quæ condidérunt patres tui usque in diem hanc, in Babylónem : non remanébit quidquam, ait Dóminus. Sed et de fíliis tuis qui egredientur ex te, quos generábis, tollentur, et erunt eunúchi in palátio regis Babylónis. Dixit Ezechías ad Isaíam : Bonus sermo Dómi-

ni, quem locutus es: sit pax et véritas in diébus meis.

℟. Accédens Elías, 280.

LECTIO III.

(Cap. 22.)

Octo annórum erat Josías cùm regnáre cœpisset; triginta et uno anno regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Idida, fília Hadaía de Bésecath. Fecitque quod plácitum erat coram Dómino, et ambulávit per omnes vias David patris sui: non declinávit ad déxteram, sive ad sinistram. Anno autem octávo décimo regis Josíæ, misit rex Saphan fílium Aslia, fílii Méssulam, scribam templi Dómini, dicens ei: Vade ad Helcíam, sacerdótem magnum, ut conflétur pecúnia quæ illáta est in templum Dómini, quam collegérunt janitóres templi à pópulo; deturque fabris per præpósitos domûs Dómini; qui et distríbuant eam his qui operantur in templo Dómini, ad instauranda sartatecta templi.

℟. Elías in túrbine, 280.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De líbro quarto Regum.

(Cap. 22.)

Narravit Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcías sacerdos. Quem cùm legisset Saphan coram rege, et audisset rex verba libri legis Dómini, scidit vestimenta sua. Et præcépit Helcíæ sacerdóti, et Ahicam fílio Saphan, et Achobor fílio Micha, et Saphan scribæ, et Azaíæ servo regis, dicens: Ite, et consúlite Dóminum super me, et super pópulo, et super omni Juda, de verbis volúminis istíus quod inventum est: magna enim ira Dómini succensa est contra nos; quia non audiérunt patres nostri verba libri hujus, ut fácerent omne quod scriptum est nobis.

℟. Dejécit, 281.

LECTIO II.

(Cap. 23.)

Ascenditque rex templum Dómini, et omnes viri Juda, universíque qui habitábant in Jerúsalem cum eo sacerdótes et prophétæ, et omnis pópulus à parvo usque ad magnum; legitque cunctis audiéntibus ómnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Dómini. Stetitque rex super gradum; et fœdus percussit coram Dómino, ut ambulárent post Dóminum, et custodírent præcepta ejus, et testimónia, et cæremónias in omni corde et in tota ánima, et suscitárent verba fœderis hujus quæ scripta erant in libro illo; acquievitque pópulus pacto. Et præcépit rex Helcíæ Pontífici, et sacerdótibus secundi órdinis,

et janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vasa quæ facta fúerant Baal, et in luco, et universæ milítiæ cœli: et combussit ea foris Jerúsalem in convalle Cedron, et tulit púlverem eórum in Bethel. Et delévit arúspices, quos posúerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitátes Juda, et in circúitu Jerúsalem; et eos qui adolébant incensum Baal, et Soli, et Lunæ, et duódecim signis, et omni milítiæ cœli.

℟. Postquàm, 281.

LECTIO III.

Et contrívit státuas, et succídit lucos; replevitque loca eórum óssibus mortuórum: ínsuper et altáre quod erat in Bethel, et excelsum quod fécerat Jeróboam fílius Nabat, qui peccáre fecit Israel; et altáre illud, et excelsum destruxit atque combussit et commínuit in púlverem, succenditque étiam lucum. Et conversus Josías vidit ibi sepulcra quæ erant in monte: misitque, et tulit ossa de sepulcris, et combussit ea super altáre, et pólluit illud juxta verbum Dómini, quod locútus est vir Dei, qui prædíxerat verba hæc. Et ait: Quis est títulus ille quem vídeo? Responderuntque ei cives urbis illíus: Sepulcrum est hóminis Dei, qui venit de *Juda, et prædixit* verba hæc *quæ fecisti super* altáre Bethel. Et ait: Dimíttite eum, nemo commóveat ossa ejus. Et intacta mansérunt ossa illíus, cum óssibus Prophétæ qui vénerat de Samaría.

℟. Memória Josíæ, 281.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 24.)

In diébus Jóakim ascendit Nabuchodonósor Rex Babylónis, et factus est ei Jóakim servus tribus annis: et rursum rebellávit contra eum. Immisitque ei Dóminus latrúnculos Chaldæórum, et latrúnculos Syriæ, et latrúnculos Moab, et latrúnculos filiórum Ammon; et immísit eos in Judam, ut dispérderent eum, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat per servos suos Prophétas. Factum est autem hoc per verbum Dómini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccáta Manasse universa quæ fecit, et propter sánguinem innóxium quem effúdit, et implévit Jerúsalem cruóre innocéntium; et ob hanc rem nóluit Dóminus propitiári. Réliqua autem sermónum Jóakim, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermónum diérum regum Juda? Et dormívit Jóakim cum pátribus suis: et regnávit Jóachin fílius ejus pro eo.

℣. Surrexit Elías prophéta, 279.

LECTIO II.

DECEM et octo annórum erat Jóachin cùm regnáre cœpisset, et tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus Nohesta, fília Elnathan de Jerúsalem. Et fecit malum coram Dómino juxta ómnia quæ fécerat pater ejus. In témpore illo ascendérunt servi Nabuchodónosor regis Babylónis in Jerúsalem, et circúmdata est urbs munitiónibus. Venitque Nabuchodónosor rex Babylónis ad civitátem cum servis suis, ut oppugnárent eam. Egressusque est Jóachin rex Juda ad regem Babylónis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et príncipes ejus, et eunúchi ejus; et suscépit eum rex Babylónis anno octávo regni sui. Et prótulit inde omnes thesauros domûs Dómini, et thesauros domûs régiæ; et concídit universa vasa áurea quæ fécerat Salómon rex Israel in templo Dómini juxta verbum Dómini. Et tránstulit omnem Jerúsalem, et universos príncipes, et omnes fortes exércitûs, decem míllia, in captivitátem; et omnem artíficem et clusórem : nihilque relictum est, exceptis paupéribus pópuli terræ.

℣. Accédens Elías ad omnem pópulum, 280.

LECTIO III.

TRANSTULIT quoque Jóachin in Babylónem, et matrem regis, et uxóres regis, et eunúchos ejus; et júdices terræ duxit in captivitátem de Jerúsalem in Babylónem. Et omnes viros robustos, septem míllia, et artífices et clusóres mille, omnes viros fortes et bellatóres; duxitque eos rex Babylónis captívos in Babylónem. Et constítuit Matthániam pátruum ejus pro eo; imposuitque nomen ejus Sedéciam. Vigésimum et primum annum ætátis habébat Sedécias cùm regnáre cœpisset, et úndecim annis regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus erat Amital, fília Jeremíæ de Lobna. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat Jóakim. Irascebátur enim Dóminus contra Jerúsalem et contra Judam, donec projíceret eos à fácie sua; recessitque Sedécias à rege Babylónis.

℣. Elías in túrbine, 280.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro quarto Regum.

(Cap. 25.)

FACTUM est anno nono regni (Sedéciæ), mense décimo, décimâ die mensis, venit Nabuchodónosor rex Babylónis, ipse et omnis exércitus ejus in Jerúsalem, et

circumdedérunt eam; et extruxérunt in circúitu ejus munitiónes. Et clausa est civitas atque vallata usque ad undécimum annum regis Sedécíæ, nonâ die mensis; prævaluitque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ. Et interrupta est civitas; et omnes viri bellatóres nocte fugérunt per viam portæ quæ est inter dúplicem murum ad hortum regis: (porrò Chaldæi obsidébant in circúitu civitátem.) Fugit itaque Sedécias per viam quæ ducit ad campéstria solitúdinis. Et persecútus est exércitus Chaldæórum regem, comprehenditque eum in planítie Jéricho; et omnes bellatóres qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquérunt eum. Apprehensum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis in Réblatha; qui locútus est cum eo judícium. Fílios autem Sedéciæ occídit coram eo, et óculos ejus effódit, vinxitque eum caténis, et adduxit in Babylónem.

LECTIO II.

Mense quinto, séptimâ die mensis, ipse est annus nonus décimus regis Babylónis, venit Nabuzardan princeps exércitûs, servus regis Babylónis, in Jerúsalem: et succendit domum Dómini, et domum regis, et domos Jerúsalem; omnemque domum combussit igni. Et muros Jerúsalem in circúitu destruxit omnis exércitus Chaldæórum qui erat cum príncipe mílitum. Réliquam autem pópuli partem quæ remánserat in civitáte, et pérfugas qui transfúgerant ad regem Babylónis, et réliquum vulgus tránstulit Nabuzardan princeps militiæ, et de paupéribus terræ reliquit vinitóres et agrícolas. Columnas autem æreas quæ erant in templo Dómini, et bases, et mare æreum quod erat in domo Dómini, confregérunt Chaldæi, et transtulérunt æs omne in Babylónem.

LECTIO III.

Factum est verò in anno trigésimo séptimo transmigratiónis Jóachin regis Juda, mense duodécimo, vigésimâ séptimâ die mensis, sublevávit Evilmérodach rex Babylónis, anno quo regnáre cœperat, caput Jóachin regis Juda de cárcere. Et locútus est ei benignè; et pósuit thronum ejus super thronum regum qui erant cum eo in Babylóne. Et mutávit vestes ejus quas habúerat in cárcere, et comedébat panem semper in conspectu ejus cunctis diébus vitæ suæ. Annónam quoque constituit ei sine intermissióne, quæ et dabátur ei à rege per síngulos dies ómnibus diébus vitæ suæ.

Ad Magnificat, *Ant* 3. a.

Sapiéntia insipiéntibus locúta est : Relínquite infántiam, et vívite, et ambuláte per vias prudéntiæ. *Prov.* 9.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA IX
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Proverbiórum.

(Cap. 1.)

PARABOLÆ Salomónis, fílii David, regis Israel. Ad sciendam sapiéntiam et disciplínam; ad intelligenda verba prudéntiæ, et suscipiendam eruditiónem doctrínæ, justítiam, et judícium, et æquitátem : ut detur párvulis astútia, adolescenti sciéntia et intellectus. Audiens sápiens sapiéntior erit; et intélligens gubernácula possidébit. Animadvertet parábolam et interpretatiónem, verba sapientûm et enígmata eórum. Timor Dómini, princípium sapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ; ut addátur grátia cápiti tuo, et torques collo tuo.

℟. Beátus homo qui invénit sapiéntiam : pretiósior est cunctis ópibus; * Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes sémitæ illíus pacíficæ. ℣. Quæ desursùm est sapiéntia, pudíca est, pacífica, modesta, plena misericórdia et frúctibus bonis. * Viæ. *Prov.* 3. *Jac.* 3.

LECTIO II.

FILI mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiescas eis. Si díxerint : Veni nobiscum; insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insontem frustrà, deglutiámus eum sicut infernus viventem, et íntegrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis : sortem mitte nobiscum, marsúpium unum sit ómnium nostrûm. Fili mi, ne ámbules cum eis; próhibe pedem tuum à sémitis eórum : pedes enim illórum ad malum currunt, et festínant ut effundant sánguinem.

℟. Vani sunt omnes hómines * In quibus non subest sciéntia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est. ℣. Invisibília Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ita ut sint inexcusábiles; * In quibus. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

LECTIO III.

SAPIENTIA foris prædicat, in platéis dat vocem suam; in cápite turbárum clámitat, in fóribus portárum urbis profert verba sua, dicens : Usquequò, párvuli, dilígi-

tis infántiam? et stulti ea quæ sibi sunt nóxia cúpient, et imprudentes odíbunt sciéntiam? Convertímini ad correptiónem meam: en próferam vobis spíritum meum, et ostendam vobis verba mea. Quia vocávi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspíceret: despexistis omne consílium meum, et increpatiónes meas neglexistis: ego quoque in intéritu vestro ridébo; et subsannábo, cùm vobis id quod timebátis, advénerit. Cùm irrúerit repentínà calámitas, et intéritus quasi tempestas ingrúerit: quando vénerit super vos tribulátio et angústia; tunc invocábunt me, et non exáudiam: mane consurgent, et non invénient me.

℟. Finem loquendi páriter omnes audiámus: * Deum time, et † Mandáta ejus observa; hoc est enim omnis homo. ℣. Finis præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ. * Deum. Glória. † Mandáta. *Eccles.* 12. 1. *Tim.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

(Lib. 17, cap. 20.)

Prophetasse Sálomon reperítur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritátem canónicam, Provérbia, Ecclesiastes, et Cánticum Canticórum. Alii verò duo, quorum unus Sapiéntia, alter Ecclesiásticus dícitur, propter elóquii nonnullam similitúdinem, ut Salomónis dicantur, obtínuit consuetúdo: non autem esse ipsíus non dúbitant doctióres; eos tamen in auctoritátem máximè occidentális antíquitùs recépit Ecclésia. Quorum in uno, qui appellátur Sapiéntia Salomónis, pássio Christi apertíssimè prophetátur. Impii quippe interfectóres ejus commemorantur, dicentes: Circumveniámus justum, quóniam insuávis est nobis, et contrárius est opéribus nostris. In Ecclesiástico autem fides géntium futúra prædícitur isto modo: Miserére nostrî, dominátor Deus ómnium, et immitte timórem tuum super omnes gentes.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. * Mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit, et mecum labóret, ut sciam quid acceptum sit apud te. ℣. Si quis índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter; et dábitur ei. * Mitte. *Sap.* 9. *Jac.* 1.

LECTIO V.

In tribus verò illis quos Salomónis esse constat, et Judæi canónicos habent, ut

ostendátur ad Christum et Ecclésiam pertinére quod in eis ejúsmodi reperítur, operósa disputátio necessária est, quæ nos ultrà quàm oportet, si nunc adhibétur, extendit. Tamen quod in Provérbiis légitur viros ímpios dícere : Abscondámus in terra virum justum injustè, absorbeámus verò eum tanquam infernus viventem, et auferámus ejus memóriam de terra, possessiónem ejus pretiósam apprehendámus, non ita obscúrum est, ut de Christo et possessióne ejus Ecclésià, sine laboriósa expositióne non possit intélligi. Tale quippe áliquid étiam Dóminus ipse Jesus per Evangélicam parábolam ostendit dixisse malos colónos : Hic est hæres; veníte, occidámus eum, et nostra erit hæréditas.

℟. Vanitátem et verba mendácia longè fac à me, Dómine; * Mendicitátem et divítias ne déderis mihi; tríbue tantùm víctui meo necessária. ℣. Qui volunt dívites fieri, íncidunt in desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. * Mendicitátem et divítias ne déderis mihi. *Prov.* 30. 1. *Tim.* 6.

LECTIO VI.

In álio libro qui vocátur Ecclesiastes, ubi ait : Non est bonum hómini, nisi quod manducábit et bibet; quid credibílius dícere intellígitur, quàm quod ad participatiónem mensæ hujus pértinet, quam Sacerdos ipse mediátor testamenti novi éxhibet secundùm órdinem Melchísedech de córpore et sánguine suo? Id enim sacrifícium successit ómnibus illis sacrifíciis véteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futúri : propter quod étiam vocem illam in Psalmo tricésimo et nono ejusdem Mediatóris per prophetíam loquentis agnóscimus : Sacrifícium et oblatiónem noluisti, corpus autem perfecisti mihi; quia pro illis ómnibus sacrifíciis et oblatiónibus corpus ejus offertur, et participántibus ministrátur. Nam istum Ecclesiasten, in hac senténtia manducandi et bibendi, quam sæpè répetit plurimùmque commendat, non sápere carnáles épulas voluptátis, satis illud ostendit, ubi ait : Mélius est ire in domum luctûs, quàm ire in domum potûs. Jam verò Cánticum Canticórum spiritális quædam sanctárum est voluptas méntium in conjúgio illíus regis et regínæ civitátis, quod est Christus et Ecclésia. Sed hæc voluptas allegóricis tegmínibus involúta est, ut desiderétur ardéntiùs.

℟. Nonne Dóminus abyssum et cor hóminum inves-

tigávit? Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam: * Non præterit illum omnis cogitátus, et † Non abscondit se ab eo ullus sermo. ℣. Non est ulla creatúra invisibilis in conspectu ejus: ómnia autem nuda et aperta sunt óculis ejus: * Non præterit illum omnis. Glória. † Non abscondit. *Eccli.* 42. *Hebr.* 4.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Ut appropinquávit Jesus Jerúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(39. in Evang. hab. in Basilica Constantiniana.)

Quia eversam jam Jerúsalem nóvimus, debémus ex rebus exterióribus introrsùs áliquam similitúdinem tráhere; atque ex eversis ædifíciis parietum, morum rúinam timére. Videns enim civitátem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu. Hoc semel egit, cùm peritúram civitátem esse nuntiávit. Hoc quótidie Redemptor noster per electos suos ágere nullátenus cessat, cùm quosdam ex bona vita ad mores réprobos pervenisse considerat. Plangit enim eos qui nésciunt. cur plangantur; quia, juxta Salomónis verba, lætantur cùm malè fécerint, et exultant in rebus péssimis. Qui si damnatiónem suam quæ eis imminet, agnovissent, semetipsos cum lacrymis electórum plángerent.

℣. Ut appropinquávit Jésus Jerúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens: * Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. ℣. Si in via Dei ambulasses, habitasses útique in pace sempiterna. * Si cognovisses. *Luc.* 19. *Baruch* 3.

LECTIO VIII.

Bene autem peritúræ ánimæ senténtia quæ súbditur, cónvenit: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Suam hìc diem habet ánima perversa, quæ transitório gaudet in témpore. Cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt; quia dùm ex rebus temporálibus lætátur, dùm honóribus extóllitur, dùm in carnis voluptáte resólvitur, dum nullà ventúræ

pœnæ formídine terrétur, pacem habet in die sua, quæ grave damnatiónis suæ scándalum in die habébit aliéna. Ibi enim affligenda est, ubi justi lætábuntur: et cuncta quæ módò ei ad pacem sunt, tunc in amaritúdinem rixæ vertentur; quia rixári secum incípiet, cur damnatiónem quam pátitur, non expávit; cur à prospiciendis malis sequéntibus óculos mentis clausit.

℣. Vénient dies in te; et circúmdabunt te inimíci tui vallo, * Et circúmdabunt te, et coangustábunt te úndique. ℣. Jáciam contra te ággerem, et munimenta ponam in obsidiónem tuam; humiliáberis: eritque repentè confestim. * Et circúmdabunt te, et coangustábunt. *Luc.* 19. *Is.* 29.

LECTIO IX.

Unde ei dícitur: Nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Perversa quippe ánima rebus præséntibus dédita, in terrénis voluptátibus resolúta, abscondit sibi mala sequéntia; quia prævidére futúra réfugit, quæ præsentem lætítiam perturbant: dúmque in præsentis vitæ oblectatiónibus se déserit, quid áliud quàm clausis óculis ad ignem vadit? Unde benè scriptum est: In die bonórum ne immemor sis malórum. Et inde per Paulum dícitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint. Quía, et si qua est præsentis témporis, ita est agenda lætítia, ut nunquam amaritúdo sequentis judícii recédat à memória: quátenus dùm mens pávida extrémæ ultiónis timóre transfígitur, quantùm nunc præsens lætítia, tantùm post ira subséquens temperétur.

℣. Ad terram prosternent te, et fílios tuos qui in te sunt; * Et non relinquent in te lápidem super lápidem, eò quòd non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. ℣. Congregábo omnes gentes ad Jerúsalem in prælium; et capiétur cívitas, et vastabuntur domus. * Et non relinquent. Glória. * Et. *Luc.* 19. *Zach.* 14.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Cœpit Jesus ejícere vendentes in templo, et ementes, dicens illis: Scriptum est quia domus mea domus oratiónis est; vos autem fecistis illam speluncam latrónum. *Luc.* 19.

COLLECTA. Orémus.

Pateant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium: et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre; Per Dóminum nostrum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Erat Jesus docens quotídiè in templo, et non inveniébant quid fácerent illi; omnis enim pópulus suspensus erat, áudiens illum. *Luc.* 19.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Proverbiórum.

(Cap. 3.)

Fili mi, ne obliviscáris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custódiat; longitúdinem enim diérum, et annos vitæ, et pacem appónent tibi. Misericórdia et véritas te non déserant: circumda eas gútturi tuo, et descríbe in tábulis cordis tui; et invénies grátiam et disciplínam bonam coram Deo et homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, et ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum, et ipse díriget gressus tuos. Ne sis sápiens apud temetipsum. Time Deum, et recéde à malo.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Honora Dóminum de tua substántia, et de primítiis ómnium frugum tuárum da ei; et implebuntur hórrea tua saturitáte, et vino torculária tua redundábunt. Disciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias; nec defícias, cùm ab eo corríperis: quem enim díligit Dóminus, córripit; et quasi pater in fílio cómplacet sibi. Beátus homo qui invénit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntiâ: mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus. Pretiósior est cunctis ópibus; et ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Fili mi, attende ad sapiéntiam meam, et prudéntiæ meæ inclína aurem tuam, ut custódias cogitatiónes, et disciplínam lábia tua conservent. Ne attendas falléciæ mulíeris: favus enim distillans lábia meretrícis, et nitídius óleo guttur ejus; novíssima autem illíus amára quasi absynthium, et acúta quasi gládius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad ínferos gressus íllius pénetrant. Per sémitam vitæ non ámbulant; vagi sunt gressus ejus, et investigábiles. Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recédas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, et ne appropinques fóribus domûs ejus. Ne des aliénis honórem tuum, et annos tuos crudéli; ne fortè impleantur extránei víribus tuis, et labóres tui sint in domo aliéna; et gemas in novíssimis, quando consúmpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas: Cur detestátus sum discíplinam, et increpatiónibus non acquiévit cor meum, nec audívi vocem docéntium me et ma-

gistris non inclinávi aurem meam?

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Proverbiórum.

(Cap. 6.)

VADE ad formícam, ô piger, et considera vias ejus, et disce sapiéntiam: quæ cùm non hábeat ducem, nec præceptórem, nec príncipem, parat in æstáte cibum sibi, et cóngregat in messe quod cómedat. Usquequò, piger, dórmies? quando consurges è somno tuo? Páululùm dórmies, páululùm dormitábis. Páululùm cónseres manus ut dórmias; et véniet tibi quasi viátor egestas, et paupéries quasi vir armátus. Si verò ímpiger fúeris, véniet ut fons messis tua, et egestas longè fúgiet à te.

℟. Da mihi, 304.

LECTIO II.

HOMO apóstata; vir inútilis, gráditur ore perverso, ánnuit óculis, terit pede, dígito lóquitur, pravo corde machinátur malum, et omni témpore júrgia séminat. Huic extemplò véniet perdítio sua, et súbitò conterétur, nec habébit ultrà medicínam. Sex sunt quæ odit Dóminus, et séptimum detestátur ánima ejus: Oculos sublímes, linguam mendácem, manus effundentes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péssimas, pedes velóces ad currendum in malum, proferentem mendácia testem fallácem, et eum qui séminat inter fratres discórdias.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

(Cap. 8.)

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intersum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et æquitas; mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decernunt: per me príncipes ímperant, et potentes decernunt justítiam. Ego diligentes me dílig o; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Nonne Dóminus, 305.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Parábolis Salomónis.

(Cap. 10.)

FILIUS sápiens lætíficat patrem; fílius verò stultus mœstítia est matris suæ. Nihil próderunt thesauri impietátis: justítia verò liberábit à morte. Non afflíget Dóminus fame ánimam justi, et insídias impiórum sub-

vertet. Egestátem operáta est manus remissa; manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis; hic pascit ventos; idem autem ipse séquitur aves volantes. Qui cóngregat in messe, fílius sápiens est; qui autem stertit æstáte, fílius confusiónis.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Benedictio Dómini super caput justi: os autem impiórum óperit iníquitas. Memória justi cum láudibus; et nomen impiórum putrescet. Sápiens corde præcepta súscipit, stultus cæditur lábiis. Qui ámbulat simplíciter, ámbulat confidenter: qui autem deprávat vias suas, manífestus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolórem; et stultus lábiis verberábitur. Vena vitæ, os justi; et os impiórum óperit iniquitátem. Odium súscitat rixas; et universa delicta óperit cáritas.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

In lábiis sapientis invenítur sapiéntia, et virga in dorso ejus qui índiget corde. Sapientes abscondunt sciéntiam: os autem stulti confusióni próximum est. Substántia dívitis, urbs fortitúdinis ejus: pavor páuperum, egestas eórum. Opus justi ad vitam; fructus autem ímpii ad peccátum. Via vitæ custodienti disciplínam: qui autem increpatiónes relinquit, errat. Abscondunt ódium lábia mendácia: qui profert contuméliam, insípiens est. In multilóquio non déerit peccátum: qui autem moderátur lábia sua, prudentíssimus est. Argentum electum lingua justi; cor autem impiórum pro níhilo. Lábia justi erúdiunt plúrimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestáte morientur.

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Parábolis Salomónis.

(Cap. 11.)

Statera dolósa abominátio est apud Dóminum; et pondus æquum voluntas ejus. Ubi fúerit supérbia, ibi erit et contumélia: ubi autem est humílitas, ibi et sapiéntia. Simplícitas justórum díriget eos; et supplantátio perversórum vastábit illos. Non próderunt divítiæ in die ultiónis; justítia autem liberábit à morte. Justítia símplicis díriget viam ejus; et in impietáte sua córruet ímpius. Justítia rectórum liberábit eos; et in insídiis suis capientur iníqui. Mórtuo hómine ímpio, nulla erit ultrà spes; et expectátio sollicitórum peribit. Justus de angústia liberátus est; et tradétur ímpius pro eo.

℟. Da mihi, Dómine, sédium, 304.

LECTIO II.

(Cap. 14.)

Est via quæ vidétur hómini justa; novíssima autem ejus dedúcunt ad mortem. Risus dolóre miscébitur, et extréma gáudii luctus óccupat. Viis suis replébitur stultus, et super eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo: astútus considerat gressus suos. Fílio dolóso nihil erit boni; servo autem sapienti prósperi erunt actus, et dirigétur via ejus. Sápiens timet, et declínat à malo: stultus tránsilit, et confídit. Impátiens operábitur stultítiam; et vir versútus odiósus est.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

(Cap. 14 et 15.)

Qui calumniátur egentem, expróbrat factóri ejus: honórat autem eum, qui miserétur páuperis. In malítia sua expellétur ímpius; sperat autem justus in morte sua. In corde prudentis requiescit sapiéntia, et indoctos quosque erúdiet. Justítia élevat gentem; míseros autem facit pópulos peccátum. Acceptus est regi minister intélligens: iracúndiam ejus inútilis sustinébit. Respónsio mollis frangit iram: sermo durus súscitat furórem. Lingua sapiéntium ornat sciéntiam: os fatuórum ebullit stultítiam. In omni loco óculi Dómini contemplantur bonos et malos. Lingua placábilis, lignum vitæ; quæ autem immoderáta est, cónteret spíritum.

℟. Nonne Dóminus abyssum, 305.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Paráboliis Salomónis.

(Cap. 16.)

Spirituum ponderátor est Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, et dirigentur cogitatiónes tuæ. Universa propter semetipsum operátus est Dóminus; ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini est omnis árrogans; étiam si manus ad manum fúerit, non est innocens. Inítium viæ bonæ, fácere justítiam; accepta est autem apud Deum magis quàm immoláre hóstias. Misericórdiâ et veritáte redímitur iníquitas; et in timóre Dómini declinátur à malo. Cùm placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convertet ad pacem. Mélius est parum cum justítia, quàm multi fructus cum iniquitáte.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

(Cap. 16 et 17.)

Homo perversus súscitat lis-

tes; et verbósus séparat príncipes. Vir iníquus lactat amícum suum, et ducit eum per viam non bonam. Qui attónitis óculis cógitat prava, mordens lábia sua pérficit malum. Coróna dignitátis senectus, quæ in viis justítiæ reperiétur. Mélior est pátiens viro forti; et qui dominátur ánimo suo, expugnatóre úrbium. Sortes mittuntur in sinum, sed à Dómino temperantur. Mélior est buccella sicca, cum gáudio, quàm domus plena víctimis cum júrgio. Servus sápiens dominábitur fíliis stultis, et inter fratres hæreditátem dívidet. Sicut igne probátur argentum, et aurum camíno; ita corda probat Dóminus.

℣. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

(Cap. 18.)

Occasiones quærit qui vult recédere ab amíco: omni témpore erit exprobrábilis. Non récipit stultus verba prudéntiæ, nisi ea díxeris quæ versantur in corde ejus. Impius, cùm in profundum vénerit peccatórum, contemnit; sed séquitur eum ignomínia et oppróbrium. Aqua profunda verba ex ore viri: et torrens redundans fons sapiéntiæ. Accípere persónam ímpii non est bonum, ut declínes à veritáte judícii. Lábia stulti miscent se rixis, et os ejus júrgia próvocat. Os stulti contrítio ejus, et lábia ipsíus ruína ánimæ ejus. Verba bilinguis quasi simplícia, et ipsa pervéniunt usque ad interióra ventris.

℣. Finem loquendi, 304.

SABBATO.

LECTIO I.

De Parábolis Salomónis.

(Cap. 22.)

Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, étiam cùm senúerit, non recédet ab ea. Dives paupéribus ímperat; et qui áccipit mútuum, servus est fœnerantis. Qui séminat iniquitátem, metet mala; et virga iræ suæ consummábitur. Qui pronus est ad misericórdiam, benedicétur; de pánibus enim suis dedit páuperi. Victóriam et honórem acquíret qui dat múnera; ánimam autem aufert accipiéntium. Ejice derisórem, et exíbit cum eo júrgium, cessabuntque causæ et contuméliæ. Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum suórum habébit amícum regem. Oculi Dómini custódiunt sciéntiam; et supplantantur verba iníqui. Dicit piger: Leo est foris, in médio plateárum occidendus sum. Fóvea profunda os aliénæ: cui irátus est Dóminus, íncidet in eam. Stultítia colligáta est

ırde púeri; et virga dis-
ınæ fugábit eam.

LECTIO II.

(Cap. 26 et 27.)

ı fodit fóveam, íncidet in
ı; et qui volvit lápidem,
ertétur ad eum. Lingua
ıx non amat veritátem;
s lúbricum operátur ruí-
. Ne gloriéris in crásti-
n, ignórans quid super-
ıtúra páriat dies. Laudet
ıliénus, et non os tuum;
ráneus, et non lábia tua.
ıve est saxum, et onerósa
na; sed ira stulti utróque
ıvior. Ira non habet mise-
órdiam, nec erumpens
or: et ímpetum concitáti
re quis póterit? Mélior est
ınifesta corréptio, quàm
ıor abscónditus. Melióra
nt vúlnera diligentis,
àm fraudulenta óscula
ıientis. Anima saturáta
lcábit favum; et ánima
áriens étiam amárum pro
ılci sumet.

LECTIO III.

(Cap. 29.)

ıRUDI fílium tuum, et re-
ıigerábit te, et dabit delí-
as ánimæ tuæ. Cùm pro-
hetía defécerit, dissipábi-
ır pópulus: qui verò cus-
ıdit legem, beátus est. Ser-
ıus verbis non potest erudí-
ı; quia quod dicis intélligit,
ı respondére contemnit.
ıidisti hóminem velócem ad
ıquendum? stultítia magis
speranda est quàm illíus corréptio. Qui delicátè à puerítia nutrit servum suum, pósteà séntiet eum contumácem. Vir iracundus próvocat rixas; et qui ad indignandum fácilis est, erit ad peccandum proclívior. Superbum séquitur humílitas; et húmilem spíritu suscípiet glória. Qui cum fure partícipat, odit ánimam suam; adjurantem odit, et non índicat. Qui timet hóminem, citò córruet: qui sperat in Dómino, sublevábitur. Multi requírunt fáciem príncipis; et judícium à Dómino egréditur singulórum. Abominantur justi virum ímpium; et abominantur ímpii eos qui in recta sunt via. Verbum custódiens fílius, extra perditiónem erit.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Cùm esset sapientíssimus Ecclesiastes, dócuit pópulum, et conscripsit sermónes rectíssimos, ac veritáte plenos. *Eccles.* 12.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA X
POST PENTECOSTEN.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Ecclesiastæ.

(Cap. 1.)

VERBA Ecclesiastæ, fílii David, regis Jerúsalem. Vánitas vanitátum dixit Eccle-

siastes : vánitas vanitátum, et ómnia vánitas. Quid habet ámplius homo de universo labóre suo, quo labórat sub sole? Generátio præterit, et generátio ádvenit; terra autem in æternum stat. Oritur sol, et óccidit, et ad locum suum revértitur; ibíque renascens gyrat per merídiem, et fléctitur ad aquilónem. Lustrans universa in circúitu pergit spíritus, et in círculos suos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum unde éxeunt flúmina revertuntur, ut íterùm fluant.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu; nec auris audítu implétur. Quid est quod fuit? ipsum quod fúturum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere: Ecce hoc recens est; jam enim præcessit in séculis quæ fuérunt ante nos. Non est priórum memória; sed nec eórum quidem quæ pósteà futúra sunt, erit recordátio apud eos qui futúri sunt in novíssimo.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerúsalem: et propósui in ánimo meo quærere et investigáre sapienter de ómnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vánitas et afflíctio spíritûs. Perversi difficilè corriguntur, et stultórum infinítus est númerus. Locútus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum; et præcessi omnes sapiéntiâ, qui fuérunt ante me in Jerúsalem; et mens mea contempláta est multa sapienter, et dídici. Dedíque cor meum ut scirem prudéntiam atque doctrínam, erroresque et stultítiam; et agnóvi quòd in his quoque esset labor et afflíctio spíritûs; eò quòd in multa sapiéntia multa sit indignátio; et qui addit sciéntiam, addit et labórem.

℟. Finem loquendi, 304.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysostómi.

(Serm. 2, contra Concubin. T. 4, edit. Paris. 1621.)

Salomon, cùm seculárium rerum concupiscéntiâ tenerétur, magnas eas et admirandas putábat, multùmque in eis labóris et sollicitúdinis insumébat, magníficas

ædificando domos, copiósum coacervando aurum, congregando cantórum choros, vária génera ministrórum mensæ et popínæ, quærendo ánimæ suæ voluptátem ab hortórum et córporum formosórum grátiâ, et omnem, ut ita dicam, oblectatiónis et refrigérii viam sectando. At ubi inde ad se reversus, et quasi ex umbrósa quadam abysso ad lumen veræ sapiéntiæ respícere váluit; tunc sublímem illam, et cœlis dignam emísit vocem: Vánitas vanitátum, et ómnia vánitas. Hanc et vos, et hâc sublimiórem, si voluéritis, efferétis senténtiam de intempestíva hac voluptáte, si aliquantisper à mala consuetúdine vos sequestravéritis.

℟. Da mihi Domine, 304.

LECTIO V.

Quamvis autem à Salomóne seculis superióribus non tam multa sapiéntiæ exigebátur diligéntia; neque enim delícias lex vétus prohibébat, neque áliis frui supervácuis dicébat vanum: áttamen, et sic se habéntibus rebus, in ipsis contuéri licébit quàm viles et vanitáti obnóxiæ res sint. Nos verò ad majórem vocáti vitam, et ad excelléntius fastígium ascéndimus, et in majóribus, exercémur palæstris: et quid áliud, quàm quòd, sicut supernæ Virtútes intellectuáles et incorpóreæ illæ, vitam institúere jubémur?

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO VI.

Itaque licèt parva voluptas sit, opponátur ei vermis perpétuus, ténebræ exterióres, ignis inextinguíbilis, tribulátio, angústia, stridor déntium, víncula insolubília. Hæc sicut in tábula proponámus ante óculos, resiliamusque à pernicióso gravissimóque morbo; ut cum fulgéntibus corónis hinc migrémus, et possímus líbero ore ad Christum dícere: Propter te et glóriam tuam; et familiaritátes contémpsimus, et voluptáti imperávimus, et ánimam nostram afflíximus, et electis amícis te, amoremque tuî rebus ómnibus præposúimus. Sic enim lucrábimur nosmetipsos, lucrábimur eos qui scandalizantur, et cum ipsis Martyribus collocábimur, primóque in órdine eórum qui hoc máximo certámine vicérunt, et fórtiter cruciátus tulérunt.

℟. Nonne Dóminus, 305.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 18.)

In illo témpore; Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur céteros, pará-

bólam istam: Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent, unus Pharisæus, et alter Publicánus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Enarr. 2, in Ps. 31, n. 10.)

Qui vult fortis esse, velut præsumens de se, et jactans mérita sua, qualiacumque illa sint, erit símilis Pharisæo illi, qui quod à Deo se dicébat accepisse, superbè tamen jactábat: Grátias, inquit, tibi. Atténdite, fratres mei, quale genus supérbiæ commendet Deus: verè quale potest subintráre justo hómini, quale potest subrépere étiam bonæ spei viro. Grátias tibi, dicébat. Ergo cùm dicébat, Grátias tibi, fatebátur ab illo se accepisse quod habébat. Quid enim habes quod non accepisti? Ergo, Grátias tibi ago, dixit: Grátias tibi ago, quia non sum sicut céteri hómines, raptóres, injusti, adúlteri, sicut et Publicánus iste. Unde ergo superbus? Non quia de bonis suis Deo grátias agébat, sed quia super álterum se de ipsis bonis extollébat.

℟. Dóminus judex est, et * Non est apud illum glória persónæ: Qui adórat Deum, in oblectatióne suscipiétur, et deprecátio illíus usque ad nubes propinquábit. ℣. Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent, unus Pharisæus, et alter Publicánus. * Non. *Eccli.* 35. *Luc.* 18.

LECTIO VIII.

Pharisæus ergo ille dicébat: Grátias tibi ago. Sed unde superbus? Quia spernébat céteros. Unde probas? In ipsis verbis. Quómodò? Pharisæus, inquit, ille contempsit de longè stantem, cui Deus confitenti propinquábat. Publicánus, inquit, de longinquo stabat; sed Deus ad illum de longinquo non stabat. Quare Deus ab illo de longinquo non stabat? Quia álio loco dícitur: Propè est Dóminus his qui obtrivérunt cor.

℟. Non habébit successus pravus corde; et peccátor adjiciet ad peccandum. * Synagógæ superbórum non erit sánitas; frutex enim peccáti radicábitur in illis, et non intelligétur. ℣. Pharisæus stans, hæc apud se orábat: Deus, grátias ago tibi, quia non sum sicut céteri hóminum. * Synagógæ. *Eccli.* 3. *Luc.* 18.

LECTIO IX.

Videte si Publicánus iste obtríverat cor; et ibi vidébitis quia propè est Dóminus his qui obtrivérunt cor. Publicánus autem de longinquo stabat, et neque volébat ad cœlum óculos suos leváre, sed percutiébat pectus suum. Túnsio péctoris, obtrítio cordis. Quid di-

cébat tundens pectus? Deus, propítius esto mihi peccatóri. Et quid senténtiæ Dóminus? Amen dico vobis, descendit justificátus de templo Publicánus ille magis quàm ille Pharisæus.

℣. Publicánus à longè stans, nolébat nec óculos ad cœlum leváre: * Dico vobis, † Descendit hic justificátus in domum suam. ℣. Orátio humiliantis se non discédet, donec Altíssimus aspíciat; et Dóminus non elongábit. * Dico vobis. Glória Patri. † Descendit. *Luc.* 18. *Eccli.* 35.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Publicánus percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui omnipoténtiam tuam, parcendo máximè et miserando, manifestas: multíplica super nos misericórdiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cœléstium bonórum fácias esse consortes; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Omnis qui se exaltat, humiliábitur; et qui se humíliat, exaltábitur. *Luc.* 18.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastæ.

(Cap. 2.)

Supergressus sum ópibus omnes qui ante me fuérunt in Jerúsalem. Sapiéntia quoque perseverávit mecum: et ómnia quæ desideravérunt óculi mei, non negávi eis; nec prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur, et oblectáret se in his quæ præparáveram: et hanc ratus sum partem meam, si úterer labóre meo. Cùmque me convertissem ad universa ópera quæ fécerant manus meæ, et ad labóres in quibus frustrà sudáveram, vidi in ómnibus vanitátem et afflictiónem ánimi, et nihil permanére sub sole. Transívi ad contemplandam sapiéntiam, erroresque et stultítiam. Quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem factórem suum? Et vidi quòd tantùm præcéderet sapiéntia stultítiam, quantùm differt lux à tenebris.

℣. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Quid habet ámpliùs homo de labóre suo? Vidi afflictiónem quam dedit Deus fíliis hóminum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in témpore suo, et mundum trádidit disputatióni eórum, ut non invéniat homo opus quod operátus est Deus ab ínitio usque ad finem. Et cognóvi quòd non esset mélius, nisi lætári et fácere benè in

vita sua. Omnis enim homo qui cómedit et bibit, et videt bonum de labóre suo, hoc donum Dei est. Dídici quòd ómnia ópera quæ fecit Deus, persevérent in perpétuum. Non póssumus eis quidquam áddere nec auferre, quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum est, ipsum pérmanet: quæ futúra sunt, jam fuérunt; et Deus instaurat quod ábiit. Vidi sub sole in loco judícii impietátem, et in loco justítiæ iniquitátem. Et dixi in corde meo: Justum et ímpium judicábit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Verti me ad ália, et vidi calúmnias quæ sub sole geruntur, et lácrymas innocéntium, et néminem consolatórem; nec posse resístere eórum violéntiæ, cunctórum auxílio destitútos. Et laudávi magis mórtuos, quàm viventes; et feliciórem utróque judicávi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Rursum contemplátus sum omnes labóres hóminum, et indústrias animadverti patére invídiæ próximi; et in hoc ergo vánitas, et cura supérflua est.

℟. Finem loquendi páriter, 304.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastæ.

(Cap. 4 et 5.)

Custodi pedem tuum ingrédiens domum Dei, et appropinqua ut áudias. Multò enim mélior est obediéntia, quàm stultórum víctimæ; qui nésciunt quid fáciunt mali. Ne témerè quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermónem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermónes tui. Multas curas sequuntur sómnia, et in multis sermónibus inveniétur stultítia. Si quid vovisti Deo, ne moréris réddere; dísplicet enim ei infidélis et stulta promíssio; sed quodcumque vóveris redde; multòque mélius est non vovére, quàm post votum promissa non réddere.

℟. Da mihi, Dómine, 304.

LECTIO II.

Ubi multa sunt sómnia, plúrimæ sunt vanitátes, et sermónes innuméri: tu verò Deum time. Si víderis calúmnias egenórum, et violenta judícia, et subverti justítiam in província, non miréris super hoc negótio; quia excelso excélsior est álius, et super hos quoque eminentióres sunt álii, et ínsuper universæ terræ rex

ímperat servienti. Avárus non implébitur pecúniâ; et qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis: et hoc ergo vánitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui cómedunt eas. Et quid prodest possessóri, nisi quòd cernit divítias óculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parùm, sive multùm cómedat: satúritas autem dívitis non sinit eum dormíre.

℟. Vanitátem, et verba mendácia, 305.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

Est et áliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud hómines: Vir cui dedit Deus divítias, et substántiam, et honórem, et nihil deest ánimæ suæ ex ómnibus quæ desíderat: nec tríbuit ei potestátem Deus, ut cómedat ex eo; sed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas et miséria magna est. Si genúerit quíspiam centum líberos, et víxerit multos annós, et plures dies ætátis habúerit, et ánima illíus non utátur bonis substántiæ suæ, sepulturâque cáreat; de hoc ego pronúntio quòd mélior illo sit abortívus. Frustrà enim venit, et pergit ad ténebras, et oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit solem, neque cognóvit distántiam boni et mali; etiamsi duóbus míllibus annis víxerit, et non fúerit perfrúitus bonis. Nonne ad unum locum próperant ómnia? Omnis labor hóminis in ore ejus; sed ánima ejus non implébitur.

℟. Nonne Dóminus, 305.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastæ.

(Cap. 7.)

Quid necesse est hómini majóra se quærere, cùm ignoret quid condúcat sibi in vita sua, número diérum peregrinatiónis suæ, et témpore quod velut umbra præterit? Aut quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit? Mélius est nomen bonum quàm unguenta pretiósa, et dies mortis die nativitátis. Mélius est ire ad domum luctûs quàm ad domum convívii: in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, et vivens cógitat quid futúrum sit. Mélior est ira risu; quia per tristítiam vultûs corrígitur ánimus delinquentis. Cor sapiéntium ubi tristítia est, et cor stultórum ubi lætítia. Mélius est à sapiente córripi, quàm stultórum adulatióne décipi, quia sicut sónitus spinárum ardéntium sub olla, sic risus stulti: sed et hoc vánitas. Calúmnia conturbat sapiéntem, et perdet robur cordis illíus.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Melior est pátiens arrogante. Ne sis velox ad irascendum; quia ira in sinu stulti requiescit. Ne dicas: Quid putas causæ est quod prióra témpora melióra fuére quàm nunc sunt? Stulta enim est hujuscémodi interrogátio. Utílior est sapiéntia cum divítiis, et magis prodest vidéntibus solem. Sicut enim prótegit sapiéntia, sic prótegit pecúnia. Hoc autem plus habet erudítio et sapiéntia, quòd vìtam tribuunt possessóri suo. Considéra ópera Dei, quòd nemo possit corrígere quem ille despéxerit. In die bona frúere bonis, et malam diem præcave. Sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non invéniat homo contra eum justas querimónias.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

Noli esse justus multùm; neque plus sápias, quàm necesse est, ne obstupescas. Ne ímpiè agas multùm; et noli esse stultus, ne moriáris in témpore non tuo. Bonum est te sustentáre justum: sed et ab illo ne súbtrahas manum tuam; quia qui timet Deum, nihil négligit. Sapiéntia confortávit sapientem super decem príncipes civitátis. Non est enim homo justus in terra, qui fáciat bonum, et non peccet. Sed et cunctis sermónibus qui dicuntur, ne accómmodes cor tuum; ne fortè áudias servum tuum maledicentem tibi: scit enim consciéntia tua quía et tu crebrò maledixisti áliis.

℟. Finem, 304.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastæ.

(Cap. 8.)

Dedi cor meum in cunctis opéribus quæ fiunt sub sole. Interdùm dominátur homo hómini in malum suum. Vidi ímpios sepultos; qui étiam cùm adhuc víverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitáte quasi justórum óperum: sed et hoc vánitas est. Etenim quia non profertur citò contra malos senténtia, absque timóre ullo fílii hóminum pérpetrant mala. Attamen peccátor ex eo quòd cénties facit malum, et per patiéntiam sustentátur, ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum, qui verentur fáciem ejus. Non sit bonum ímpio, nec prolongentur dies ejus; sed quasi umbra tránseant qui non timent fáciem Dómini. Est etália vánitas, quæ fit super terram. Sunt justi, quibus mala provéniunt, quasi ópera égerint impiórum; et sunt ímpii qui ita secúri sunt, quasi justórum facta hábeant. Sed et hoc vaníssimum júdico.

℟. Da mihi, Dómine, sédium, 304.

LECTIO II.

(Cap. 9.)

Omnia hæc tractávi in corde meo, ut curiósè intellígerem. Sunt justi atque sapientes, et ópera eórum in manu Dei: et tamen nescit homo utrùm amóre, an ódio dignus sit; sed ómnia in futúrum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo et ímpio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti víctimas, et sacrifícia contemnenti. Sicut bonus, sic et peccátor: ut perjúrus, ita et ille qui verum déjerat. Hoc est péssimum inter ómnia quæ sub sole fiunt, quia éadem cunctis evéniunt. Unde et corda filiórum hóminum implentur malítiâ et contemptu in vita sua, et post hæc ad ínferos deducentur. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei hábeat fidúciam.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

Hanc quoque sub sole vidi sapiéntiam, et probávi máximam: cívitas parva, et pauci in ea viri. Venit contra eam rex magnus, et vallávit eam, extruxitque munitiónes per gyrum, et perfecta est obsídio. Inventusque est in ea vir pauper et sápiens, et liberávit urbem per sapiéntiam suam, et nullus deinceps recordátus est hóminis illíus páuperis. Et dicébam ego meliórem esse sapiéntiam fortitúdine. Quómodò ergo sapiéntia páuperis contempta est, et verba ejus non sunt audíta? Verba sapiéntium audiuntur in siléntio, plusquàm clamor príncipis inter stultos. Mélior est sapiéntia quàm arma béllica; et qui in uno peccáverit, multa bona perdet.

℟. Nonne Dóminus, 305.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastæ.

(Cap. 10.)

Cor sapientis in déxtera ejus, et cor stulti in sinistra illíus. Sed et in via stultus ámbulans, cùm ipse insípiens sit, omnes stultos æstimat. Si spíritus potestátem habentis ascénderit super te, locum tuum ne dimíseris; quia curátio fáciet cessáre peccáta máxima. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errórem egrédiens à fácie príncipis: pósitum stultum in dignitáte sublími, et dívites sedére deorsum. Vidi servos in equis, et príncipes ambulantes super terram quasi servos.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Qui fodit fóveam, íncidet in eam; et qui díssipat sepem, mordébit eum cólu-

ber. Qui transfert lápides, affligétur in eis; et qui scindit ligna, vulnerábitur ab eis. Si retúsum fúerit ferrum, et hoc non ut priùs, sed hebetátum fúerit, multo labóre exacuétur; et post indústriam sequétur sapiéntia. Si mórdeat serpens in siléntio, nihil eò minùs habet qui occultè détrahit. Verba oris sapientis, grátia: et lábia insipientis præcipitábunt eum. Inítium verbórum ejus stultítia, et novíssimum oris illíus error péssimus. Stultus verba multíplicat. Ignórat homo quid ante se fúerit: et quid post se futúrum sit; quis ei póterit indicáre?

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus príncipes mane cómedunt. Beáta terra, cujus rex nóbilis est, et cujus príncipes vescuntur in témpore suo ad reficiendum, et non ad luxúriam. In pigrítiis humiliábitur contignátio, et in infirmitáte mánuum perstillábit domus. In risum fáciunt panem et vinum, ut epulentur viventes; et pecúniæ obédiunt ómnia. In cogitatióne tua Regi ne détrahas, et in secréto cubículi tui ne maledíxeris díviti; quia et aves cœli portábunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiábit senténtiam.

℟. Finem loquendi, 304.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastæ.

(Cap. 11.)

Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post témpora multa invénies illum. Da partem septem, nec non et octo; quia ignóras quid futúrum sit mali super terram. Si replétæ fúerint nubes, imbrem super terram effundent. Si cecíderit lignum ad austrum, aut ad aquilónem, in quocumque loco cecíderit, ibi erit. Qui observat ventum, non sémínat: et qui considerat nubes, nunquam metet. Quómodò ignóras quæ sit via spíritûs, et quâ ratióne compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis ópera Dei qui fabricátor est ómnium. Mane sémina semen tuum, et véspere ne cesset manus tua; quia nescis quid magis oriátur, hoc aut illud: et si utrumque simul, mélius erit.

LECTIO II.

(Cap. 12.)

Memento Creatóris tui in diebus juventútis tuæ, ántequàm véniat tempus afflictiónis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent: ántequàm tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post plúviam; quando

commovebuntur custódes domûs, et nutábunt viri fortíssimi, et otiósæ erunt molentes in minúto número, et tenebrescent videntes per forámina; et claudent óstia in platéa, in humilitáte vocis molentis, et consurgent ad vocem vólucris, et obsurdescent omnes fíliæ cárminis. Excelsa quoque timébunt, et formidábunt in via: florébit amygdalus, impinguábitur locusta, et dissipábitur cápparis; quóniam ibit homo in domum æternitátis suæ, et circuíbunt in platéa plangentes. Antequàm rumpátur funículus argénteus, et recurrat vitta áurea, et conterátur hydria super fontem, et confringátur rota super cisternam, et revertátur pulvis in terram suam unde erat, et spíritus rédeat ad Deum qui dedit illum.

LECTIO III.

Vanitas vanitátum, dixit Ecclesiastes, et ómnia vánitas. Cùmque esset sapientíssimus Ecclesiastes, dócuit pópulum, et enarrávit quæ fécerat; et investígans, compósuit paráboles multas. Quæsívit verba utília, et conscripsit sermónes rectíssimos, ac veritáte plenos. Verba sapiéntium sicut stímuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrórum consílium data sunt à pastóre uno. His ámplius, fili mi, ne requíras. Faciendi plures libros nullus est finis; frequensque meditátio, carnis afflíctio est. Finem loquendi páriter omnes audiámus. Deum time, et mandáta ejus observa; hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, addúcet Deus in judícium pro omni erráto, sive bonum, sive malum illud sit.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. *D.* Per sapiéntiam sanáti sunt quicumque placuérunt tibi, Domine, à princípio. *Sap.* 9.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA XI
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Sapiéntiæ.

(Cap. 1.)

Diligite justítiam, qui judicátis terram. Sentite de Dómino in bonitáte, et in simplicitáte cordis quærite illum; quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: appáret autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitatiónes séparant à Deo: probáta autem virtus córripit insipientes; quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Spiritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum, et

áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu, et corripiétur à superveniente iniquitáte. Benignus est enim spíritus sapiéntiæ, et non liberábit malédicum à lábiis suis; quóniam renum illíus testis est Deus, et cordis illíus scrutátor est verus, et linguæ ejus audítor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua, non potest latére, nec prætériet illum corrípiens judícium.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

In cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit: sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, et tumultus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos à murmuratióne quæ nihil prodest, et à detractióne párcite linguæ; quóniam sermo obscúrus in vácuum non ibit: os autem quod mentítur, occídit ánimam. Nolíte zeláre mortem in erróre vitæ vestræ, neque acquirátis perditiónem in opéribus mánuum vestrárum: quóniam Deus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum.

℟. Finem loquendi páriter, 304.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Ep. 120, cap. 4.)

Justitia quæ vivit in seipsa, procul dúbio Deus est, atque incommutabíliter vivit. Sicut autem hæc cùm sit in seipsa vita, étiam nobis fit vita, cùm ejus effícimur utcumque partícipes; ita cùm in seipsa sit justítia, étiam nobis fit justítia, cùm ei cohærendo justè vívimus: et tantò magis minùsve justi sumus, quantò magis illi minùsve cohærémus. Unde scriptum est de unigénito Fílio Dei, cùm sit útique Patris Sapiéntia atque Justítia, et semper in seipsa sit, quòd factus sit nobis à Deo Sapiéntia et Justítia. Est planè ille summus Deus vera justítia, vel ille verus Deus summa justítia, quam profectò esuríre et sitíre ea nostra est in hac peregrinatióne justítia, et quâ póstea saturári ea nostra est in æternitáte plena justítia. Quid est autem áliud justítia, cùm in nobis est, vel quælibet virtus quâ rectè sapienterque vívitur, quàm interióris hóminis pulchritúdo? Et certè secundùm hanc pulchritúdinem, magis quàm secundùm corpus, facti sumus ad imáginem Dei.

℟. Da mihi, Dómine, 304.

LECTIO V.

(Serm. 159, aliàs 17, de verb. Apost. c. 2, 5, 6, 7 et 8.)

AMANDA est justítia, et in hac justítia amanda gradus sunt proficiéntium. Prius est ut amóri justítiæ non præponantur ómnia quæ delectant. Ipse est primus gradus. Quid est quod dixi? Ut inter ómnia quæ delectant, plùs te delectet ipsa justítia: non ut ália non delectent, sed plus ipsa delectet. Delectant enim quædam naturáliter infirmitátem nostram, ut cibus et potus delectant esurientes atque sitientes; ut nos delectat hæc lux quæ de cœlo fúnditur sole exorto. Hæc lícita; sed delectant étiam illícita. Justítia sic delectet, ut vincat étiam lícitas delectatiónes; et ei delectatióni quâ lícitè delectáris, præpóne justítiam. Mentem vestram delectet invisíbilis, pulchra, casta, sancta, canóra, dulcis justítia, ut non ad eam timóre cogámini. Si enim ad eam timóre cogímini, nondùm delectat. Peccáre non debes, non timóre pœnæ, sed amóre justítiæ. Quando peccabátis, delectabámini in peccátis vestris. Timor vos adducébat ad peccandum, an suávitas peccáti? Respondébitis, Suávitas. Ad peccátum suávitas addúcit, et ad justítiam timor impingit? Probáte vos, inspícite vos. Amáte justítiam quómodò amastis iniquitátem. Digna est justítia quæ à vobis ímpetret ut exhibeátis illi quod exhibuistis iniquitáti.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO VI.

APPENDE justítiam et iniquitátem. Tantùmne digna est justítia, quantùm digna fuit iníquitas? Sic amanda est ista quómodò amáta est illa? Absit ut sic, sed et útinam vel sic. Ergo plus? Plus omníno. In iniquitáte secútus es voluptátem: pro justítia tólera dolórem. Jam tibi dícitur: Frui me vis? contemne quidquid te állud delectat, contemne pro me. Ecce contempsisti, parum est ut contemnas quidquid te delectábat: contemne quidquid te terrébat, contemne cárceres, contemne víncula, contemne equúleum, contemne tormenta, contemne mortem. Hæc vicisti, me invenisti. Invénimus fórsitan áliquos qui præpónant justítiæ delectatiónem voluptátibus et delectatióni córporis sui. Qui autem pro illa pœnas, dolóres mortemque contemnat, putas est áliquis in vobis? Saltem cogitémus quod profitéri non audémus. Quid cogitámus? Ubi cogitámus? Míllia Mártyrum ádjacent óculis nostris, ipsi veri amatóres perfectique justítiæ. O amáre, ô ire, ô sibi perire,

ô ad Deum perveníre! Sic armandus est amátor justítiæ, sic armandus est amátor invisíbilis pulchritúdinis. Hoc quod loquor magnum est, summum est, perfectum est, óptimum est. Non habétis? Pétite, et accipiétis.

℟. Nonne Dóminus, 305.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

(Cap. 7.)

In illo témpore; Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum ut impónat illi manum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Inter Homilias æstivales de Tempore.)

Suspiciens Jesus in cœlum, ingémuit, et ait illi: Ephpheta, quod est, Adaperíre; et statim apertæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus. Rectè sanatúrus ægrótum Dóminus, súspicit in cœlum, et ingémuit; ut ubi nobis speranda salus, et quâ compunctiónis vel lacrymárum sit devotióne quærenda ac petenda significet. Suspíciens in cœlum ingémuit; quia nos quos ad cœléstia possidenda creávit, longè in terréstria dejectos esse dóluit. Suspíciens in cœlum ingémuit; ut nobis qui à cœléstibus gáudiis per terréna oblectamenta discéssimus, ad hæc per gémitus et suspíria insinuáret esse redeundum. Quod autem ait, Ephpheta, id est, Adaperíre, propter aures dicit sanandas, quas súrditas diútina cláuserat, sed ad audiendum jam tactus patefécit ipsíus. Unde, credo, mos increbúerit Ecclésiæ, ut sacerdótes illíus his quos percipiendis baptismi sacramentis præparant, priùs inter cétera consecratiónis exórdia de salíva oris sui nares tangant et aures, dicentes, Ephpheta; ut abjectis delectatiónibus nóxiis, solum Christi semper amplectantur odórem, et relicto audítu linguæ nequam, áudiant verba Christi.

℟. Exiens de fínibus Tyri, * Venit Jesus inter médios fines Decapóleos, et addúcunt ei surdum et mutum. ℣. Deus ipse véniet, et aures surdórum patébunt, et aperta erit lingua mutórum. * Venit. *Marc.* 7. *Is.* 35.

LECTIO VIII.

Et unusquisque nostrûm, fratres caríssimi, qui baptisma Christi rite suscépit, hoc órdine consecrátus est. Unde multùm necesse est, ut quod Dóminus in nobis pro-

pítius ablúere et sanctificáre dignátus est, ipsi passim contamináre, et pro níhilo profanáre timeámus. Sed et si qui in cœnum nequítiæ sordidántis incídimus, festinémus rursum lacrymárum et pœniténtiæ fonte mundári. Renovémus áurium puritátem, quam nobis audítu fídei divínitùs constat fuisse collátam, caventes illud Apósteli quod quibusdam expróbrans ait: Et à veritáte quidem audítum avertent, ad fábulas autem convertentur. Cohibeámus linguam à malo, quæ confessióne fídei sanctificáta est: timeámus in ipsa quâ benedícimus Deum et Patrem, maledícere hómines qui ad imáginem Dei facti sunt. Qui enim putat se religiósum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est relígio.

℟. Deprecabantur Jesum, ut impónat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, * Misit dígitos suos in aurículas ejus, et éxpuens, tétigit linguam ejus. ℣. A Deo est omnis medéla. * Misit dígitos suos in aurículas. *Marc.* 7. *Eccli.* 38.

LECTIO IX.

Ecce enim dícitur quia apertæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus, et loquebátur rectè. Qui ergo rectè loqui baptísmatis nostri témpore didícimus, corde credendo ad justítiam, ore autem confessiónem faciendo ad salútem, curandum summópere est, ne post baptisma ad injusta et nóxia verba declinémus. Si enim, ipso júdice attestante, omne verbum otiósum quod locúti fúerint hómines, reddent ratiónem de eo in die judícii; quid putámus fíeri de illis qui non solùm otiósa, sed et criminósa loquuntur; qui impudicítiæ, jactántiæ, blasphémiæ, et quod máximè minùs licet, detractiónis sermónibus servíre non timent; qui próferunt mendácia, testes falláces, qui sémina nant inter fratres discórdias? Non solùm autem à malis aures linguamque satis est castigáre loquélis, si non étiam juxta Psalmistam inclinémus aurem nostram in verba oris Dei; si non os nostrum loquátur sapiéntiam, et meditátio cordis nostri prudéntiam: sed et cunctos simul interióris exteriorisque hóminis nostri sensus, qui cuncti in baptismo ablúti sunt, oportet mundos ac bonis opéribus servémus ínsuper semper ornátos.

℟. Suspíciens Jesus in cœlum, ingémuit, et ait illi: Ephpheta, quod est; Adaperíre. Et statim apertæ sunt aures ejus, et * Solútum est vínculum linguæ ejus, et loquebátur rectè. ℣. Aures audiéntium diligenter auscultábunt, et lingua balbórum velóciter loquétur et planè.

Solútum est. Glória Patri. Solútum est. *Marc.* 7. *Is.* 32.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Præcépit illis ne cui dícerent. Quantò autem eis præcipiébat, tantò magis plùs prædicábant, et eò ámpliùs admirabantur. *Marc.* 7.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui abundántiâ pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota: effunde super nos misericórdiam tuam, ut dimittas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit: Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Benè ómnia fecit; et surdos fecit audíre, et mutos loqui. *Marc.* 7.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 4.)

JUSTUS si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est, non diuturna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respectus in electos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juventus celériùs consummáta longam vitam injusti.

℟. Beátus homo qui invénit, 303.

LECTIO II.

(Cap. 5.)

TUNC stabunt justi in magna constántia adversùs eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Videntes turbabuntur timóre horríbili, et mirabuntur in subitatióne insperátæ salútis; dicentes intrà se, pœniténtiam agentes, et præ angústia spíritûs gementes: Hi sunt quos habúimus aliquando in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est. Ergo errávimus à via veritátis, et jus-

títiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligéntiæ non est ortus nobis. Lassátì sumus in via iniquitátis et perditiónis, et ambulávimus vias difficiles; viam autem Dómini ignorávimus.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideò accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini; quóniam déxterâ suâ teget eos, et bráchio sancto suo defendet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum ínexpugnábile, æquitátem: ácuet autem duram iram in lánceam, et pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

℟. Finem loquendi páriter, 304.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 6.)

Melior est sapiéntia quàm vires, et vir prudens quàm fortis. Audíte ergo, reges et intellígite; díscite, júdices fínium terræ. Præbéte aures, vos qui continétis multitúdines, et placétis vobis in turbis natiónum; quóniam data est à Dómino potestas vobis, et virtus ab Altíssimo qui interrogábit ópera vestra, et cogitatiónes scrutábitur: quóniam cùm essétis ministri regni illíus, non rectè judicastis, nec custodistis legem justítiæ, neque secundùm voluntátem Dei ambulastis. Horrendè et citò apparébit vobis; quóniam judícium duríssimum his qui præsunt, fiet.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum, 304.

LECTIO II.

Exiguo enim concéditur misericórdia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim súbtrahet persónam cujusquam Deus, nec verébitur magnitúdinem cujusquam; quóniam pusillum et magnum ipse fecit, et æquáliter cura est illi de ómnibus: fortióribus autem fórtior instat cruciátio. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermónes mei; ut discátis sapiéntiam, et non excidátis. Qui enim custodíerint justa justè, justificabuntur; et qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, et habébitis disciplínam.

℟. Vanitátem et verba mendácia, 305.

LECTIO III.

CLARA est, et quæ nunquam marcescit sapiéntia; et fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, et invenítur ab his qui quærunt illam. Præóccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit; assidentem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa, sensus est consummátus: et qui vigiláverit propter illam, citò secúrus erit; quóniam dignos seipsâ círcuit quærens, et in viis ostendit se illis hiláriter, et in omni providéntia occurrit illis. Inítium enim illíus, veríssima est disciplínæ concupiscéntia: cura ergo disciplínæ, diléctio est; et diléctio, custódia legum illíus est: custodítio autem legum, consummátio incorruptiónis est; incorrúptio autem facit esse próximum Deo. Concupiscéntia ítaque sapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuum.

℟. Nonne Dóminus abyssum, 305.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 7.)

EGO natus accépi commúnem áerem, et in simíliter factam décidi terram, et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involumentis nutrítus sum, et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, et símilis éxitus. Propter hoc optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus, nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum, ín comparatióne illíus, aréna est exígua; et tanquam lutum æstimábitur argentum in conspectu illíus. Super salútem et spéciem dilexi illam, et propósui pro luce habére illam; quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

VENERUNT autem mihi ómnia bona páriter cum illa; et innumerábilis honestas per manus illíus: et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia; et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscondo. Infinítus enim thesaurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendá-

ti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor. In manu enim illíus et nos, et sermónes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia, et disciplína.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

QUÆCUMQUE sunt absconsa et improvísa, dídici; ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disertus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benignus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, et qui cápiat omnes spíritus: intelligíbilis, mundus, subtílis. Ómnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia; attingit autem ubíque propter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, et emanátio quædam est claritátis omnipotentis Dei sincéra; et ídeo nihil inquinátum in eam incurrit: candor est enim lucis æternæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus.

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 8.)

SAPIENTIA attingit à fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi, et exquisívi à juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glorífica t, contubérnium habens Dei; sed et ómnium Dóminus dilexit illam: doctrix enim est disciplínæ Dei, et electrix óperum illíus. Et si divítiæ appetuntur in vita, quid sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum quæ sunt, magis quàm illa, est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Da mihi, Dómine, 304.

LECTIO II.

PROPOSUI ergo hanc addúcere mihi ad convivendum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres

júvenis: et acútus invéniar in judício, et in conspectu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabuntur me: tacentem me sustinébunt, et loquentem me respícient; et, sermocinante me plura, manus ori suo impónent. Prætéreà habébo per hanc immortalitátem; et memóriam æternam his qui post me futúri sunt, relinquam. Dispónam pópulos; et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audientes reges horrendi: in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convictus illíus, sed lætítiam et gáudium. Hæc cógitans apud me, et commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, et in amicítia illíus delectátio bona, et in opéribus mánuum illíus honestas sine defectióne, et in certámine loquélæ illíus sapiéntia, et præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus; circuíbam quærens, ut mihi illam assúmerem.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

(Cap. 8 et 9.)

Et ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum; ádii Dóminum, et deprecátus sum illum, et dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, et Dómine misericórdiæ, qui fecisti ómnia verbo tuo, et sapiéntiâ tuâ constituisti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ à te facta est; ut dispónat orbem terrárum in æquitáte et justítia, et in directióne cordis judícium júdicet: da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre à púeris tuis; quóniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exígui témporis, et minor ad intellectum judícii et legum. Nam et si quis erit consummátus inter filios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℟. Nonne Dóminus abyssum, 305.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 13.)

Vani sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est, neque opéribus attendentes agnovérunt quis esset ártifex: sed aut ignem, aut spíritum, aut citátum áerem, aut gyrum stellárum, aut nímiam

aquam, aut solem et lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt, sciant quantò his dominátor eórum speciósior est; speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit. Aut si virtútem, et ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi et creatúræ, cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri.

℟. Beátus homo qui invénit, 303.

LECTIO II.

Sed tamen adhuc in his minor est queréla. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus conversentur, inquírunt, et persuásum habent quóniam bona sunt quæ videntur. Iterùm autem nec his debet ignosci. Si enim tantùm potuérunt scire, ut possent æstimáre séculum; quómodò hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem sunt, et inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum et argentum, artis inventiónem, et similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

(Cap. 14.)

Et hæc fuit vitæ humánæ decéptio; quóniam aut afféctui, aut régibus deservientes hómines, incommunicábile nomen lapídibus et lignis imposuérunt. Et non suffécerat errasse eos circa Dei sciéntiam; sed et in magno viventes insciéntiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant. Aut enim fílios suos sacrificantes, aut obscúra sacrifícia facientes, aut insániæ plenas vigílias habentes, neque vitam, neque núptias mundas jam custódiunt; sed álius álium per invídiam occídit, aut adúlterans contristat: et ómnia commista sunt; sanguis, homicídium, furtum et fíctio, corrúptio et infidélitas, turbátio et perjúrium, tumultus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconstántia, inordinátio mœchiæ et impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra, omnis mali causa est, et inítium et finis.

℟. Finem loquendi páriter, 304.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 15.)

Tu, Deus noster, suávis et

verus es, pátiens, et in misericórdia dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, scientes magnitúdinem tuam; et si non peccavérimus, scimus quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est; et scire justítiam et virtútem tuam, radix est immortalitátis. Non enim in errórem induxit nos hóminum malæ artis excogitátio, nec umbra pictúræ, labor sine fructu, effígies sculpta per vários colóres, cujus aspectus insensáto dat concupiscéntiam, et díligit mórtuæ imáginis effígiem sine ánima. Malórum amatóres digni sunt qui spem hábeant in tálibus, et qui fáciunt illos, et qui díligunt, et qui colunt.

LECTIO II.

Sed et fígulus mollem terram premens laboriósè fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eódem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et simíliter quæ his sunt contrária: horum autem vasórum quis sit usus, judex est fígulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto: ille qui paulò antè de terra factus fúerat, et post pusillum redúcit se unde acceptus est, repetítus ánimæ débitum quam habébat. Sed cura est illi, non quia laboratúrus est, nec quóniam brevis illi vita est, sed concertátur aurifícibus et argentáriis; sed et æráriosimitátur, et glóriam præfert, quóniam res supervácuas fingit. Cinis est enim cor ejus, et terra supervácua spes illíus, et luto vílior vita ejus; quóniam ignorávit qui se finxit, et qui inspirávit illi ánimam quæ operátur, et qui insufflávit ei spíritum vitálem. Sed et æstimavérunt lusum esse vitam nostram, et conversatiónem vitæ compósitam ad lucrum, et oportére undecumque étiam ex malo acquírere. Hic enim scit se super omnes delínquere, qui ex terræ matéria fragília vasa et sculptília fingit.

LECTIO III.

Omnes enim insipientes, et infelíces supra modum ánimæ superbi, sunt inimíci pópuli tui, et imperantes illi; quóniam ómnia idóla natiónum deos æstimavérunt, quibus neque oculórum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spíritum, neque aures ad audiendum, neque dígiti mánuum ad tractandum, sed et pedes eórum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos; et qui spíritum mutuátus est, is finxit illos. Nemo enim sibi símilem homo póterit deum fíngere. Cùm enim sit mortális, mórtuum fingit mánibus iníquis. Mélior enim est ipse his quos colit;

quia ipse quidem vixit, cùm esset mortális; illi autem nunquam.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Doctrínam sapiéntiæ et disciplínæ scripsit Jesus fílius Sirach: Beátus qui in istis versátur bonis. Si enim hæc fécerit, ad ómnia valébit. *Eccli.* 50.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA XII
POST PENTECOSTEN.
IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Ecclesiástici.

(Cap. 1.)

OMNIS sapiéntia à Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arénam maris, et plúviæ guttas, et dies séculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, et latitúdinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? Sapiéntiam Dei præcedentem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia, et intellectus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illíus mandáta æterna. Radix sapiéntiæ cui reveláta est? et astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui reveláta est et manifestáta; et multiplicatiónem ingressûs illíus quis intellexit? Unus est altíssimus Creátor omnípotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illíus, et dóminans Deus.

℟. Beátus homo qui invénit, 303.

LECTIO II.

TIMOR Dómini delectábit cor, et dabit lætítiam, et gáudium, et longitúdinem diérum. Timenti Dóminum benè erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit in visu, díligunt eam in visióne et in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiæ, timor Dómini; et cum fidélibus in vulva concreátus est: cum electis féminis gráditur, et cum justis et fidélibus agnóscitur. Timor Dómini, sciéntiæ religiósitas. Religiósitas custódiet et justificábit cor, jucunditátem atque gáudium dabit. Timenti Dóminum benè erit, et in diébus consummatiónis illíus benedicétur.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

FILI, concupiscens sapiéntiam, conserva justítiam; et Deus præbébit illam tibi. Sapiéntia enim et disciplína, timor Dómini: et quod beneplácitum est illi, fides et mansuetúdo, et adimplébit thesauros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini, et

neaccésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspectu hóminum, et non scandalizéris in lábiis tuis. Attende in illis, ne fortè cadas, et addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, et revélet Deus absconsa tua, et in médio synagógæ elídat te; quóniam accessisti malignè ad Dóminum, et cor tuum plenum est dolo et fallácià.

℟. Finem loquendi, 304.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 1, cap. 25.)

Sunt nonnulli qui vitam suam négligunt, et dùm transitória áppetunt, dùm æterna vel non intélligunt, vel intellecta contemnunt; nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt. Cùmque superna quæ amisérunt, non considerant, esse se (heu míseri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt: nequáquam ad contemplatiónem æternæ pátriæ, desidérii áciem tendunt; sed semetipsos in iis ad quæ projecti sunt, deserentes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiuntur; et in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exultant.

℟. Da mihi, 304.

LECTIO V.

At contrà, electórum mentes, dùm cuncta transitória nulla esse conspíciunt, ad quæ sint cónditæ exquírunt: cùmque eórum satisfactióni nihil extra Deum súfficit, ipsà inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in Conditóris sui spe et contemplatióne requiescit, supernis intérseri cívibus áppetit; et unusquisque eórum adhuc in mundo, córpore pósitus, mente jam extra mundum surgit; ærumnam exílii, quam tólerat, deplórat; et ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cùm ergo dolens videt quàm sit æternum quod pérdidit, ínvenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percurrit; et quò magis crescit consílii sciéntia, ut peritúra déserat, eò augétur dolor quòd necdum ad mansúra pertingat.

℟. Vanitátem et verba mendácia, 305.

LECTIO VI.

Intuendum quoque est quàm nullus dolor mentis sit in actióne præcipitatiónis. Qui enim sine consíliis vivunt, qui seipsos rerum evéntibus præcípites déserunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigantur. Nam qui solerter in vitæ consílio figit mentem, cautè sese in omni actióne

circumspiciendo considérat: et ne ex re quæ ágitur, repentínus finis adversusque subrípiat, hunc priùs mólliter pósito pede cogitatiónis palpat: pensat ne ab his quæ agenda sunt, formído præpédiat; ne in his quæ differenda sunt, præcipitátio impellat; ne prava per concupiscéntiam aperto bello súperent; ne recta per inánem glóriam insidiando supplantent.

℟. Nonne Dóminus abyssum, 305.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

In illo témpore; Conversus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis quòd multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1, de Doct. Chr. c. 26.)

Finis præcepti est diléctio; et ea gémina, id est, Dei et próximi. Quòd si te totum intélligas, id est, ánimum et córpus tuum, et próximum totum, id est, ánimum et corpus ejus, (homo enim ex ánimo constat et córpore) nullum rerum diligendárum genus in his duóbus præceptis prætermissum est. Cùm enim præcurrat diléctio Dei, ejusque dilectiónis modus præscriptus appáreat, ita ut cétera in illum cónfluant, de dilectióne tua nihil dictum vidétur: sed cùm dictum est, Díliges próximum tuum tanquam teipsum, simul et tuî abs te diléctio non prætermissa est.

℟. Latrónes despoliavérunt hóminem; et, plagis impósitis, abiérunt semivívo relicto. * Sacerdos, viso illo, præterívit; simíliter et Levíta: Samaritánus autem videns eum, misericórdiâ motus est. ℣. Fácere misericordiam et judícium magis placet Dómino, quàm víctimæ. * Sacerdos. *Luc.* 10. *Prov.* 21.

LECTIO VIII.

(Cap. 7.)

Ille autem justè et sanctè vivit, qui rerum ínteger æstimátor est: ipse est autem qui ordinátam dilectiónem habet, ne aut díligat quod non est diligendum, aut non díligat quod est diligendum, aut ámpliùs díligat quod minùs est diligendum, aut æquè díligat quod vel minùs vel ámpliùs diligendum est, aut minùs vel ámpliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccátor, in quantum pec-

cátor est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum; Deus verò propter seipsum. Et si Deus omni hómine ámpliùs diligendus est, ámpliùs quisque debet Deum dilígere quàm seipsum. Item ámpliùs álius homo diligendus est quàm corpus nostrum, quia propter Deum ómnia ista diligenda sunt: et potest nobiscum álius homo Deo pérfrui, quod non potest corpus; quia corpus per ánimam vivit quâ frúimur Deo.

℟. Alligávit Samaritánus vúlnera ejus, infundens óleum et vinum; et * Impónens illum in jumentum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. ℣. Qui credit in Dómino, misericórdiam díligit: misericòrdia et véritas præparant bona. * Impónens illum. *Luc.* 10. *Prov.* 14.

LECTIO IX.

(Cap. 28 et 30.)

Omnes autem æquè diligendi sunt. Nam quòd nullum hóminum excéperit, qui præcépit ut próximum dilígamus, et ipse in Evangélio Dóminus ostendit, et Paulus Apóstolus. Namque ille cui duo ipsa præcepta protúlerat, atque in eis pendére totam legem prophetasque *díxerat*, cùm interrogáret *eum, dicens*: Et quis est meus próximus? hóminem quemdam propósuit descendentem ab Jerúsalem in Jéricho, incidisse in latrónes, et ab eis gráviter vulnerátum, sáucium, et semivívum esse derelictum: cui próximum esse non dócuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum miséricors éxtitit, ita ut hoc qui interrogáverat, interrogátus ipse faterétur. Cui Dóminus ait: Vade, et tu fac similiter; ut vidélicet eum esse próximum intelligámus, cui vel exhibendum est officium misericórdiæ, si índiget, vel exhibendum esset, si indigéret. Nullum autem exceptum esse cui misericórdiæ denegétur officium, quis non vídeat? quando usque ad inimícos étiam porrectum est, eódem Dómino dicente: Dilígite inimícos vestros, benefácite iis qui odérunt vos.

℟. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuisse illi qui íncidit in latrónes? Legisperítus dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Ait Jesus: * Vade, et tu fac similiter. ℣. Indicábo tibi, ô homo, quid Dóminus requírat à te: útique fácere judícium, et dilígere misericórdiam. * Vade. Glória. * Vade. *Luc.* 10. *Mich.* 6.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Legisperítus tentans Jesum, dixit: Magister, quid faciendo vitam æternam possidébo? At ille dixit ad eum: In le-

ge quid scriptum est? Quómodò legis? Ille respondens dixit : Díliges Dóminum Deum tuum. *Luc.* 10.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, de cujus múnere venit ut tibi à fidélibus tuis dignè et laudabíliter serviátur : tríbue, quæsumus, nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex ómni mente tua; et próximum tuum sicut teipsum: hoc fac, et vives. *Luc.* 10.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 2.)

FILI, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia et timóre, et præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, et sústine: inclína aurem tuam, et súscipe verba intellectûs; et ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei : conjúngere Deo, et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. Omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe : et in dolóre sústine, et in humilitáte tua patiéntiam *habe; quóniam in igne probátur aurum et argentum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, et recuperábit te; et dírige viam tuam, et spera in íllum : serva timórem illíus, et in illo veterasce.*

℟. Beátus homo qui invénit, 303.

LECTIO II.

RESPICITE, fílii, natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. Quis enim permansit in mandátis ejus, et derelictus est? aut quis invocávit eum, et despexit illum? Quóniam pius et miséricors est Deus, et remittet in die tribulatiónis peccáta; et protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. Væ dúplici corde, et lábiis scelestis, et mánibus malefaciéntibus, et peccatóri terram ingredienti duábus viis. Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo; et ídeò non protegentur ab eo. Væ his qui perdidérunt sustinéntiam, et qui dereliquérunt vias rectas, et divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inspícere cœperit Dóminus?

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

QUI timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; et qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita

sunt ei; et qui díligunt eum, replebuntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, et in conspectu illíus sanctificábunt ánimas suas. Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus; et patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus, dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, et non in manus hóminum. Secundùm enim magnitúdinem ipsíus, sic et misericórdia illíus cum ipso est.

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 3.)

Qui honórat patrem suum, vitâ vivet longióre; et qui óbedit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat parentes; et quasi dóminis sérviet his qui se genuérunt. In ópere et sermóne, et omni patiéntia honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, et benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum; maledíctio autem matris eradícat fundamenta. Ne gloriéris in contumélia patris tui; non enim est tibi glória, ejus confúsio: glória enim hóminis ex honóre patris sui, et dédecus fílii pater sine honóre. Fili, súscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illíus; et si defécerit sensu, véniam da, et ne spernas eum in virtúte tua.

℟. Da mihi, Dómine, sédium, 304.

LECTIO II.

Fili, in mansuetúdine ópera tua pérfice, et super hóminum glóriam diligéris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, et coram Deo invénies grátiam; quóniam magna poténtia Dei solíus, et ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, et fortióra te ne scrutátus fúeris; sed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper, et in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium ea quæ abscóndita sunt vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multipliciter, et in plúribus opéribus ejus non eris curiósus; plúrima enim super sensum hóminum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum, et in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

Cor durum habébit malè in novíssimo; et qui amat perículum, in illo perìbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit successus; et pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur

in dolóribus, et peccátor adjíciet ad peccandum. Synagógæ superbórum non erit sánitas; frutex enim peccáti radicábitur in illis, et non intelligétur. Cor sapientis intellígitur in sapiéntia; et auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor et intelligíbile abstinébit se à peccátis; et in opéribus justítiæ successus habébit. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemósyna resistit peccátis; et Deus protector est ejus qui reddit grátiam: méminit ejus in pósterum, et in témpore casûs sui invéniet firmamentum.

℟. Nonne Dóminus, 305.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 4.)

Fili, eleemósynam páuperis ne defraudes, et óculos tuos ne transvertas à páupere. Animam esurientem ne despéxeris, et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris, et non prótrahas datum angustianti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias, et non avertas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avertas óculos tuos propter iram; et nón relinquas quæréntibus tibi retrò maledícere: maledicentis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecátio illíus; exáudiet autem eum qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito; et presbytero humília ánimam tuam, et magnáto humília caput tuum. Declína páuperi sine tristítia aurem tuam, et redde débitum tuum, et responde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum qui injúriam pátitur de manu superbi, et non ácidè feras in ánima tua. In judicando esto pupillis miséricors ut pater, et pro viro matri illórum; et eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, et miserébitur tuî magis quàm mater.

℟. Beátus homo qui invénit, 303.

LECTIO II.

Fili, conserva tempus, et devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens peccátum, et est confúsio addúcens glóriam et grátiam. Ne accípias fáciem adversùs fáciem tuam, nec adversùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo, nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscondas sapiéntiam tuam in decóre suo: in lingua enim sapiéntia dignóscitur; et sensus, et sciéntia, et doctrína in verbo sensáti, et firmamentum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis

ullo modo; et de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

Non confundáris confitéri peccáta tua, et ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem potentis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro justítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua; et inútilis, et remissus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domésticos tuos, et ópprimens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 5.)

Noli atténdere ad possessiónes iníquas, et ne díxeris; Est mihi suffíciens vita; nihil enim próderit in témpore vindictæ et obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui; et ne díxeris: Quómodò pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris: Peccávi, et quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens réddítor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim et ira ab illo citò próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus.

℟. Da mihi, Dómine, 304.

LECTIO II.

Non tardes converti ad Dóminum, et ne dífferas de die in diem; súbitò enim véniet ira illíus, et in témpore vindictæ disperdet te. Noli ánxius esse in divítiis injustis; non enim próderunt tibi in die obductiónis et vindictæ. Non véntiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam; sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua. Esto firmus in via Dómini, et in veritáte sensûs tui, et sciéntia; et prosequátur te verbum pacis et justítiæ.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

Esto mansuétus ad audiendum verbum, ut intélligas, et cum sapiéntia próferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde próximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiáris in verbo indisciplináto, et confundáris. Honor

et glória in sermóne sensáti; lingua verò imprudentis subvérsio est ipsíus. Non appelléris susurro, et linguâ tuâ ne capiáris et confundáris. Super furem enim est confúsio et pœniténtia, et denotátio péssima super bilinguem: susurratóri autem ódium, et inimicítia, et contumélia. Justífica pusillum et magnum similiter.

℟. Nonne Dóminus abyssum, 305.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 6.)

Verbum dulce multíplicat amícos, et mítigat inimícos: et lingua éucharis in bono hómine abundat. Multi pacífici sint tibi, et consiliárius sit tibi unus de mille. Si póssides amícum, in tentatióne pósside eum; et ne fácilè credas ei. Est enim amícus secundùm tempus suum, et non permanébit in die tribulatiónis. Et est amícus qui convértitur ad inimicítiam: et est amícus qui ódium et rixam et convícia denudábit. Est autem amícus sócius mensæ, et non permanébit in die necessitátis. Amícus si permánserit fixus, erit tibi quasi coæquális, et in domésticis tuis fiduciáliter aget.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

Ab inimícis tuis separáre, et ab amícis tuis attende. Amícus fidélis, protéctio fortis: qui autem invénit illum, invénit thesaurum. Amíco fidéli nulla est comparátio; et non est digna ponderátio auri et argenti contra bonitátem fídei illíus. Amícus fidélis, medicamentum vitæ et immortalitátis; et qui métuunt Dóminum, invénient illum. Qui timet Deum, æquè habébit amicítiam bonam; quóniam secundùm illum erit amícus illíus.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303.

LECTIO III.

(Cap. 7.)

Noli quærere à Dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordís ipse est: et penès regem noli velle vidéri sápiens. Noli quærere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes; ne fortè extimescas fáciem potentis, et ponas scándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immittas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta; nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo. Exoráre, et fácere eleemósynam ne despícias. Ne dicas: In multitúdi-

ne múnerum meórum respíciet Deus; et offerente me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet.

℟. Finem loquendi páriter, 304.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 7.)

Non irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ; est enim qui humíliat et exaltat circumspector Deus. Noli arare mendácium adversùs fratrem tuum; neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium; assíduitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine presbyterórum; et non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laboriósa ópera, et rusticatiónem creátam ab Altíssimo. Non te réputes in multitúdine indisciplinatórum. Memento iræ, quóniam non tardábit.

LECTIO II.

Non lædas servum in veritáte operantem, neque mercenárium dantem ánimam suam. Servus sensátus sit tibi dilectus quasi ánima tua: non defraudes illum libertáte, neque inópem derelinquas illum. Pécora tibi sunt? attende illis; et si sunt utília, persevérent apud te. Fílii tibi sunt? érudi illos, et curva illos à puerítia illórum. Fíliæ tibi sunt? serva corpus illárum, et non ostendas hilarem fáciem tuam ad illas. Trade fíliam, et grande opus féceris; et hómini sensáto da illam. Múlier si est tibi secundùm ánimam tuam, non projícias illam; et odíbili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, et gémitûs matris tuæ ne obliviscáris: memento quóniam nisi per illos natus non fuisses; et retríbue illis, quómodò et illi tibi.

LECTIO III.

In tota ánima tua time Dóminum; et sacerdótes illíus sanctífica. In omni virtúte tua dílige eum qui te fecit; et ministros ejus ne derelinquas. Honóra Deum ex tota ánima tua; et honorífica sacerdótes, et propurga te cum bráchiis. Da illis partem, sicut mandátum est tibi, primitiárum et purgatiónis; et de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum, et sacrifícium sanctificatiónis ófferes Dómino, et inítia sanctórum. Et páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio et benedíctio tua. Grátia dati in conspectu omnis viventis; et mórtuo non prohíbeas grátiam. Non desis plorántibus in consolatióne, et cum lugéntibus ámbula. Non te píget visitáre infir-

mum; ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, et in æternum non peccábis.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Sapiéntia, et disciplína, et sciéntia legis apud Deum: diléctio et viæ bonórum apud ipsum. *Eccli.* 11.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA XIII

POST PENTECOSTEN.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 8.)

Non júdices contra júdicem; quóniam secundùm quod justum est, júdicat. Cum audáce non eas in via, ne fortè gravet mala sua in te: ipse enim secundùm voluntátem suam vadit, et simul cum stultítia illíus péries. Cum iracundo non fácies rixam, et cum audáce non eas in desertum; quóniam quasi nihil est ante illum sanguis: et ubi non est adjutórium, elídet te. Cum fátuis consílium non hábeas; non enim póterunt dilígere nisi quæ eis placent. Coram extráneo ne fácias consílium; nescis enim quid páriet. Non omni hómini cor tuum manifestes; ne fortè ínferat tibi grátiam falsam, et conviciétur tibi.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

Judex sápiens judicábit pópulum suum, et principátus sensáti stábilis erit. Secundùm júdicem pópuli, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitátis, tales et inhabitantes in ea. Rex insípiens perdet pópulum suum; et civitátes inhabitabuntur per sensum poténtium. In manu Dei potestas terræ; et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis, et super fáciem scribæ impónet honórem suum. Omnis injúriæ próximi ne memíneris, et nihil agas in opéribus injúriæ.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

Odibilis coram Deo est et homínibus supérbia; et execrábilis omnis iniquitas géntium. Regnum à gente in gentem transfertur propter injustítias, et injúrias, et contumélias, et diversos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid superbit terra et cinis? Nihil est iníquius quàm amáre pecúniam. Hic enim et ánimam suam venálem habet; quóniam in vita sua projécit íntima sua. Omnis potentátûs brevis vita. Languor prolíxior gravat médicum. Brevem languórem præcídit médicus: sic et rex hódiè

℣. Leprósos ut vidit Jesus, dixit: * Ite, osténdite vos sacerdótibus. ℣. Sacerdótes pópulum docébunt quid sit inter sanctum et pollútum, et inter mundum et immundum ostendent eis. * Ite, osténdite vos sacerdótibus. *Luc.* 17. *Ezech.* 44

LECTIO IX

Obsecro ítaque, fratres mei, humiliémur magis ac magis sub potenti manu Dei, et ab hoc tam máximo, tam nequíssimo vítio ingratitúdinis longè fíeri studeámus; ut totâ devotióne in gratiárum actióne versantes, conciliémus nobis grátiam Dei nostri; quæ sola potest salváre ánimas nostras. Nec verbo tantùm vel lingua, sed ópere et veritáte exhibeámus nos gratos; quia gratiárum actiónem magis quàm dictiónem à nobis éxigit dator gratiárum Dóminus Deus noster, qui est benedictus in sécula.

℣. Dùm irent leprósi, mundáti sunt. * Unus autem regressus est cum magna voce magníficans Deum, et † Cécidit in fáciem ante pedes Jesu, grátias agens; et hic erat Samaritánus. ℣. Oblíti sunt benefactórum Dei, et mirabílium ejus. * Unus. Glória. † Cécidit. *Lus.* 17. *Ps.* 77.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Dixit Jesus: Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non est inventus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. *Luc.* 17.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempíterne Deus, da nobis fidei, spei et caritátis augmentum: et ut mereámur ássequi quod promittis, fac nos amáre quod præcípis; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Ait Samaritáno Jesus: Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit. *Luc.* 17.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 11.)

In vestítu ne gloriéris unquam, nec in die honóris tui extolláris; quóniam mirabília ópera Altíssimi solíus, et gloriósa, et absconsa, et invísa ópera illíus. Multi tyranni sedérunt in throno, et insuspicábilis portávit diadéma. Multi potentes oppressi sunt válidè, et glóriosi tráditi sunt in manus alterórum. Priusquàm intérroges, ne vitúperes quemquam; et cùm interrogáveris, córrípe justè. Priusquàm áudias, ne respóndeas verbum; et in médio sermónum ne adjícias loqui. De ea re quæ te non molestat, ne certéris; et in judício peccántium ne consistas. Fili,

ı multis sint actus tui; dives fúeris, non eris únis à delicto.

Beátus homo, 303.

LECTIO II.

(Cap. 13.)

tetígerit picem, inquí-:ur ab ea; et qui com-icáverit superbo, ín-supérbiam. Pondus su-e tollet, qui honestiori mmúnicat. Et ditiori te cius fúeris. Quid com-icábit cácabus ad ollam? do enim se collíserint, ringétur. Dives injustè et fremet; pauper au-æsus tacébit. Si largítus s, assúmet te; et si non eris, derelinquet te. Si s, convívet tecum, et ıábit te; et ipse non do-super te. Si necessárius ieris, supplantábit te; brídens spem dabit, ıns tibi bona, et dicet: opus est tibi?

Vani sunt omnes hó-s, 303.

LECTIO III.

ocatus à potentióre, de; ex hoc enim magis vocábit. Ne ímprobus ne impingáris; et ne sis ab eo, ne eas in obli-m. Ne retíneas ex æquo cum illo, nec credas s verbis illíus; ex mul-m loquéla tentábit te, brídens interrogábit te scónditis tuis. Immítis ánimus illíus conservábit verba tua; et non parcet de malítia, et de vínculis. Cave tibi, et attende diligenter au-dítui tuo; quóniam cum sub-versióne tua ámbulas. Au-diens verò illa quasi in som-nis vide, et vigilábis. Omni vitâ tuâ dílige Deum, et ín-voca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi; sic et omnis homo próximum sibi.

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 13.)

Venatio leónis, ónager in erémo; sic et páscua dívitum sunt páuperes. Et sicut abo-minátio est superbo humíli-tas, sic et execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis suis; húmilis autem, cùm cecíde-rit, expellétur et à notis. Dí-viti decepto multi recupera-tóres: locútus est superba, et justificavérunt illum. Hú-milis deceptus est, ínsuper et argúitur: locútus est sen-sátè, et non est datus ei lo-cus. Dives locútus est, et omnes tacuérunt, et verbum illíus usque ad nubes perdú-cent. Pauper locútus est, et dicunt: Quis est hic? et si offénderit, subvertent il-lum. Bona est substántia, cui non est peccátum in

consciéntia; et nequíssima paupertas in ore impii.

℟. Da mihi, 304.

LECTIO II.

(Cap. 14.)

Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulátus in tristítia delicti. Felix qui non hábuit ánimi sui tristítiam, et non éxcidit à spe sua. Viro cúpido et tenáci sine ratióne est substántia; et hómini lívido ad quid aurum? Qui acervat ex ánimo suo injustè, áliis cóngregat, et in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui áliî bonus erit? et non jucundábitur in bonis suis. Qui sibi ínvidet, nihil est illo néquius, et hæc reddítio est malítiæ illíus, et si bene fécerit, ignoranter et non volens facit; et in novíssimo manifestat malítiam suam.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

Insatiabilis óculus cúpidi in parte iniquitátis; non satiábitur, donec consúmat arefáciens ánimam suam. Oculus malus ad mala, et non satiábitur pane; sed índigens et in tristítia erit super mensam suam. Fili, si habes, bénefac tecum, et Deo dignas oblatiónes offer. Memor esto quóniam mors non tardat, et testamentum inferórum quia demonstrátum est tibi; testamentum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, et secundùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris à die bono, et partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relinques dolóres, et labóres tuos in divisióne sortis? Da et áccipe, et justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiam; quóniam non est apud ínferos inveníre cibum.

℟. Nonne Dóminus, 305.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 20 et 21.)

Xenia et dona excæcant óculos júdicum, et quasi mutus in ore avertit correptiónes eórum. Sapiéntia absconsa, et thesaurus invísus; quæ utílitas in utrisque? Mélior est qui celat insipiéntiam suam, quàm homo qui abscondit sapiéntiam suam. Fili, peccasti? non adjícias íterùm; sed et de prístinis deprecáre, ut tibi dimittantur. Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: et si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interficientes ánimas hóminum. Quasi rhomphæa bis acúta omnis iníquitas; plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio et injúriæ annullábunt substántiam: et domus quæ ni-

mis lócuples est, annullábitur supérbiâ; sic substántia superbi eradicábitur.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

(Cap. 25.)

In tribus plácitum est spirítui meo, quæ sunt probáta coram Deo et homínibus; concórdia fratrum, et amor proximórum, et vir et múlier benè sibi consentientes. Tres spécies odívit ánima mea, et ággravor valdè ánimæ illórum: páuperem superbum, dívitem mendácem, senem fátuum et insensátum. Quæ in juventúte tua non congregasti, quómodò in senectúte tua invénies? Quàm speciósum canitiéi judícium, et presbyteris cognóscere consílium! Quàm speciósa veteránis sapiéntia, et gloriósis intellectus et consílium! Coróna senum, multa perítia; et glória illórum timor Dei.

℟. Vani sunt omnes hómines, 303

LECTIO III.

(Cap. 28.)

Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindictam; et peccáta illíus servans servábit. Relinque próximo tuo nocenti te; et tunc deprecanti tibi peccáta solventur. Homo hómini reservat iram, et à Deo quærit medélam? In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, et de peccátis suis deprecátur? Ipse, cùm caro sit, reservat iram; et propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delictis illíus? Memento novissimórum, et désine inimicári: tabitúdo enim et mors ímminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, et non irascáris próximo. Memoráre testamentum Altíssimi, et déspice ignoántiam próximi. Abstine te à lite, et mínues peccáta.

℟. Finem loquendi, 304.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 31.)

Intellige quæ sunt próximi tui ex teipso: útere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur; ne cùm mandúcas multùm, ódio habeáris. Cessa prior causâ disciplínæ; et noli nímius esse, ne fortè offendas. Et si in médio multórum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bíbere. Quàm suffíciens est hómini erudíto vinum exíguum! et in dormiendo non laborábis ab illo, et non sénties dolórem. Vigília, chólera et tortúra viro infruníto: somnus sanitátis in hómine parco; dórmiet usque mane, et áni-

ma illíus cum ipso delectábitur.

℟. Da mihi, 304.

LECTIO II.

Audi me, fili, et ne spernas me; et in novíssimo invénies verba mea. In ómnibus opéribus tuis esto velox, et omnis infírmitas non occurret tibi. Spléndidum in pánibus benedícent lábia multórum, et testimónium veritátis illíus fidéle. Nequíssimo in pane murmurábit cívitas, et testimónium nequítiæ illíus verum est. Diligentes in vino noli provocáre; multos enim exterminávit vinum. Ignis probat ferrum durum; sic vinum corda superbórum árguet in ebrietáte potátum. Æqua vita homínibus vinum in sobrietáte: si bibas illud moderátè, eris sóbrius. Quæ vita est ei qui minúitur vino? Quid defraudat vitam? Mors.

℟. Vanitátem, 305.

LECTIO III.

Vinum in jucunditátem creátum est, et non in ebrietátem, ab inítio. Exultátio ánimæ et cordis, vinum moderátè potátum. Sánitas est ánimæ et córpori sóbrius potus. Vinum multum potátum irritatiónem, et iram, et ruínas multas facit. Amaritúdo ánimæ vinum multum potátum. Ebrietátis animósitas, imprudentis offénsio, minórans virtútem, et fáciens vúlnera. In convívio vini non árguas próximum, et non despícias eum in jucunditáte illíus: verba impropérii non dicas illi, et non premas illum in repetendo.

℟. Nonne Dóminus, 305.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 32.)

Audi tacens; et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adolescens, lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput responsum tuum. In multis esto quasi ínscius, et audi tacens simul, et quærens. In médio magnatórum non præsúmas; et ubi sunt senes, non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruscátio, et ante verecúndiam præíbit grátia; et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et horâ surgendi non tetrices: præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocáre, et illic lude, et age conceptiónes tuas, et non in delictis et verbo superbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum qui fecit te, et inebriantem te ab ómnibus bonis suis.

℟. Beátus homo, 303.

LECTIO II.

(Cap. 32 et 33.)

Fili, sine consílio nihil fá-

cias, et post factum non pœnitébis. In via ruínæ non eas, et non offendes in lápides; nec credas te viæ laboriósæ, ne ponas ánimæ tuæ scándalum: et à fíliis tuis cave, et à domésticis tuis attende. In omni ópere tuo crede ex fide ánimæ tuæ; hoc est enim conservátio mandatórum. Qui credit Deo, attendit mandátis; et qui confídit in illo, non minorábitur. Timenti Dóminum non occurrent mala; sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit à malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procella navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.

℟. Vani sunt, 303.

LECTIO III.

(Cap. 34.)

Qui offert sacrifícium ex substántia páuperum, quasi qui víctimat fílium in conspectu patris sui. Panis egéntium, vita páuperum est: qui defraudat illum, homo sánguinis est. Qui aufert in sudóre panem, quasi qui óccidit próximum suum. Qui effundit sánguinem, et qui fraudem facit mercenário; fratres sunt. Unus ædíficans, et unus déstruens; quid prodest illis nisi labor? Unus orans, et unus maledícens; cujus vocem exáudiet Deus? Qui baptizátur à mórtuo, et íterùm tangit eum, quid próficit lavátio illíus? Sic homo qui jejúnat in peccátis suis, et íterùm éadem fáciens, quid próficit humiliando se? Oratiónem illíus quis exáudiet?

℟. Finem loquendi, 304.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 37.)

Cum viro sancto assíduus esto, quemcumque cognóveris observantem timórem Dei, cujus ánima est secundùm ánimam tuam; et qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consílii státue tecum: non est enim tibi áliud pluris íllo. Anima viri sancti enúntiat aliquando vera, quàm septem circumspectóres sedentes in excelso ad speculandum. Et in his ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuam. Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, et ante omnem actum consílium stábile. Verbum nequam immutábit cor, ex quo partes quátuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors; et dominátrix illórum est assídua lingua. Est vir astútus multórum erudítor, et ánimæ suæ inútilis est. Vir perítus multos erudívit, et ánimæ suæ suávis est. Qui sophísticè lóquitur, odíbilis est; in omni re defraudábitur.

LECTIO II.

(Cap. 41.)

O mors, quàm amára est memória tua hómini pacem habenti in substántiis suis; viro quiéto, et cujus viæ directæ sunt in ómnibus, et adhuc valenti accípere cibum! O mors, bonum est judícium tuum hómini indigenti, et qui minorátur víribus, defecto ætáte, et cui de ómnibus cura est, et incredíbili: qui perdit patiéntiam! Noli metúere judícium mortis. Memento quæ ante te fuérunt, et quæ superventúra, sunt tibi; hoc judícium à Dómino omni carni. Et quid supervéniet tibi in beneplácito Altíssimi? sive decem, sive centum, sive mille anni, non est enim in inferno accusátio vitæ.

LECTIO III.

Væ vobis, viri ímpii, qui dereliquistis legem Dómini Altíssimi. Et si nati fuéritis, in maledictióne nascémini; et si mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur; sic ímpii à maledicto in perditiónem. Luctus hóminum in córpore ipsórum; nomen autem impiórum delébitur. Curam habe de bono nómine; hoc enim magis permanébit tibi, quàm mille thesauri pretiósi et magni. Bonæ vitæ númerus diérum: bonum autem nomen permanébit in ævum. Disciplínam in pace conservâte, fílii.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. D. Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo, et adhuc rétinens innocéntiam? *Job.* 2.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIV
POST PENTECOSTEN.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Job.

(Cap. 1.)

Vir erat in terra Hus, nómine Job; et erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo: natique sunt ei septem fílii et tres fíliæ. Et fuit posséssio ejus septem míllia óvium, et tria míllia camelórum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ ásinæ, ac família multa nimis; eratque vir ille magnus inter omnes orientáles. Et ibant fílii ejus, et faciébant convívium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocábant tres soróres suas, ut comédérent et bíberent cum eis. Cùmque in orbem transissent dies convívii, mittébat ad eos Job, et sanctificábat illos; consur-

[ue dilúculo, offerébat
:austa pro síngulis. Di-
. enim : Ne fortè peccá-
.t fílii mei, et benedíxe-
)eo in córdibus suis. Sic
bat Job cunctis diébus.
Job córruens in terram
ávit, et dixit : * Nudus
sus sum de útero matris
, et nudus revertar il-
Dóminus dedit, Dómi-
bstulit : sit nomen Dó-
benedictum. ℣. Nihil
imus in hunc mundum;
dúbium quòd nec au-
quid póssumus. * Nu-
Job 1. 1. *Tim.* 6.

LECTIO II.

DAM autem die, cum ve-
nt fílii Dei ut assísterent
n Dómino, áffuit inter
:tiam Satan. Cui dixit
inus : Unde venis? Qui
ndens, ait : Circuívi
m, et perambulávi eam.
que Dóminus ad eum :
quid considerasti ser-
meum Job, quòd non
símilis in terra, homo
lex et rectus, ac timens
n, et recédens à malo?
espondens Satan, ait :
quid Job frustrà timet
n? Nonne tu vallasti
ac domum ejus, univer-
ue substántiam per cir-
m? Opéribus mánuum
benedixisti, et possés-
ıus crevit in terra. Sed
de páululùm manum
, et tange cuncta quæ
det, nisi in fáciem bene-
it tibi. Dixit ergo Dómi-
nus ad Satan : Ecce, universa
quæ habet, in manu tua sunt;
tantùm in eum ne extendas
manum tuam. Egressusque
est Satan à fácie Dómini.

℣. Quis respondébit Deo?
vel quis dícere potest : Cur
ita facis? * Deus, cujus iræ
nemo resístere potest, et sub
quo curvantur qui portant
orbem. Quantus sum ego, ut
respóndeam ei? ℣. Numquid
dicit figmentum ei qui se
finxit : Quid me fecisti sic?
* Deus. *Job.* 9. *Rom.* 9.

LECTIO III.

CUM autem quâdam die fílii
et fíliæ ejus comederent, et
bíberent vinum in domo fra-
tris sui primogéniti, núntius
venit ad Job, qui díceret :
Boves arábant, et ásinæ pas-
cebantur juxta eos, et irruér-
unt Sabæi, tuleruntque ómnia, et púeros percussérunt
gládio, et evási ego solus ut
nuntiárem tibi. Cùmque ad-
huc ille loquerétur, venit al-
ter, et dixit : Ignis Dei cé-
cidit è cœlo, et tactas oves
puerosque consumpsit; et
effúgi ego solus ut nuntiárem
tibi. Sed et illo adhuc lo-
quente, venit álius, et dixit :
Chaldæi fecérunt tres tur-
mas, et invasérunt camélos,
et tulérunt eos, necnon et
púeros percussérunt gládio,
et ego fugi solus ut nuntiá-
rem tibi. Adhuc loquebátur
ille, et ecce álius intrávit, et
dixit : Fíliis tuis et filiábus
vescéntibus et bibéntibus vi-

num in domo fratris sui primogéniti, repentè ventus véhemens írruit à regióne deserti, et concussit quátuor ángulos domûs, quæ córruens oppressit líberos tuos, et mórtui sunt; et effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℟. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum: justitiâ indútus sum; * Oculus fui cæco, et pes claudo; ✠ Pater eram páuperum. ℣. Factus sum infirmis infirmus: ómnibus ómnia factus sum; * Oculus. Glória Patri. ✠ Pater. *Job*. 29. 1. *Cor*. 9.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libris Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 2, cap. 18.)

Dominus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est. Sanctus vir Job, tentante adversário, cuncta perdíderat; sed tamen sciens quia contra se Satan tentandi vires, nisi permittente Dómino, non habébat, non ait: Dóminus dedit, diábolus ábstulit; sed: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit. Fortasse enim fúerat dolendum, si quod Cónditor déderat, hostis abstulisset: at postquàm non ábstulit nisi ipse qui dedit, sua recépit, non nostra ábstulit. Si enim ab illo accípimus quibus in hac vita útimur, cur doleámus quòd ipso judicante exígimur, quo largiente fœnerámur? Nec aliquando injustus est créditor, qui dum præfixo reddendi témpore non constríngitur, quando vult, éxigit quod fœnerátur. Ubi et benè subjúngitur: Sicut Dómino plácuit, ita factum est. Cùm enim in hac vita ea quæ nólumus pátimur, necesse est ut ad eum qui injustum velle nil potest, stúdia nostræ voluntátis inclinémus.

℟. Beátus homo qui corrípitur à Deo; increpatiónem ergo Dómini ne réprobes; * Quia ipse vúlnerat, et medétur. ℣. Noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dùm ab eo argúeris; * Quia. *Job* 5. *Hebr*. 12.

LECTIO V.

(N. 31 et 32.)

Magna quippe est consolátio in eo quod dísplicet, quòd illo ordinante erga nos ágitur, cui non nisi justum placet. Si ígitur justa placére Dómino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Dómino placúerint, póssumus; justa sunt cuncta quæ pátimur; et valdè injustum est si de justa passióne murmurámus. Sed quia orátor fortis quómodò assertiónem partis suæ contra adversárium allegávit, audívimus; nunc quómodò in oratiónis suæ término júdicem benedicendo laudet,

audiámus. Séquitur : Sit nomen Dómini benedictum. Ecce omne quod rectum sensit, Dómini benedictióne conclúsit; ut hinc adversárius inspíciat, et ad pœnam suam victus erubescat: quia ipse Dómino cóntumax, étiam in beatitúdine cónditus éxtitit, cui homo hymnum glóriæ étiam percussus dicit.

℟. Addidit Dóminus ómnia quæcumque fúerant Job duplícia, et fratres sui consoláti sunt eum. * Dóminus autem benedixit novíssimis Job magis quàm princípio ejus. ℣. Fidélis Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potestis; sed fáciet étiam cum tentatióne proventum. * Dóminus autem. *Job* 42. 1. *Cor.* 10

LECTIO VI.

INTUENDUM verò est quía hostis noster tot nos jáculis pércutit, quot tentatiónibus afflígit. Quotídiè namque in ácie stamus, quotídiè tentatiónum ejus tela excípimus. Sed et nos contra illum jácula míttimus, si confossi tribulatiónibus humília respondémus. Beátus ígitur Job percussus damno rerum, percussus morte filiórum, quia vim dolóris vertit in laudem Conditóris, dicens: Dóminus dedit, Dóminus áhstulit: sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum; superbum hostem humilitáte pércutit, crudélem patiéntià stravit.

℟. Patientes estóte et vos, et confirmáte corda vestra: * Exemplum accípite labóris et patiéntiæ: ✝ Sufferéntiam Job audistis, et finem Dómini vidistis. ℣. Sustinéte misericórdiam Dómini: respícite natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. * Exemplum accípite. Glória Patri. ✝ Sufferéntiam. *Jac.* 5. *Eccli.* 2.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 6.)

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre. Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget; aut unum sustinébit, et álterum contemnet. Non potestis Deo servíre et mammónæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 2 de Serm. Domini in Monte, cap. 14.)

NEMO pótest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referendum est quod consequenter expónit, dicens: Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget;

aut álterum patiétur, et álterum contemnet. Quæ verba diligenter consideranda sunt; nam qui sint duo dómini, deinceps ostendit, cùm dicit: Non potestis Deo servíre et mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicuntur. Cóngruit et Púnicum nomen; nam lucrum Púnicè mammon dícitur.

℟. Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini? Nonne ánima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum? ℣. Quadraginta ànnis in deserto nihil pátribus défuit; vestimenta eórum non inveteravérunt. * Nonne. *Matth.* 6. 2. *Esdr.* 9.

LECTIO VIII.

(Cap. 16.)

Nolite ergo sollíciti esse, dicentes: Quid edémus, aut quid bibémus, aut quid vestiémur? Hìc manifestíssimè ostendit non hæc esse appetenda tanquam tália bona nostra, ut propter ipsa debeámus bene fácere, si quid fácimus; sed tamen esse necessária. Quid enim intersit inter bonum quod appetendum est, et necessárium quod sumendum est, hâc senténtiâ declarávit, cùm ait: Quærite primùm regnum Dei et justítiam ejus, *et hæc ómnia* apponentur vobis. Regnum ergo et justítia Dei bonum nostrum est: et hoc appetendum, et ibi finis constituendus, propter quod ómnia faciámus quæcumque fácimus.

℟. Respícite volatília cœli: non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea; et Pater vester cœlestis pascit illa. *Nonne vos magis pluris estis illis? ℣. Dat jumentis escam ipsórum, et pullis corvórum invocántibus eum. * Nonne. *Matth.* 6. *Ps.* 146.

LECTIO IX.

Sed quia in hac vita militámus, ut ad illud regnum perveníre possímus, quæ vita sine his necessáriis agi non potest: Apponentur vobis hæc, inquit; sed vos regnum Dei et justítiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud, Primùm, significávit quia hoc postériùs quærendum est, non témpore, sed dignitáte: illud, tanquam bonum nostrum; hoc, tanquam necessárium nostrum: necessárium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi grátiâ, ídeò debémus evangelizáre ut manducémus; sed ideò manducáre ut evangelizémus: nam si proptéreà evangelizámus ut manducémus, vílius habémus Evangélium quàm cibum; et erit jam bonum nostrum in manducando, necessárium autem in evangelizando.

℣. Nolíte sollíciti esse, dicentes : Quid manducábimus, aut quo operiémur ? * Hæc ómnia gentes inquírunt : ✝ Scit Pater vester quia his indigétis. ℣. Peccatóri dedit Deus curam supérfluam, ut addat et cóngreget; et hoc vánitas est, et cassa sollicitúdo. * Hæc. Glória Patri. ✝ Scit. *Matth.* 6. *Eccles.* 2.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. à. Nemo potest duóbus dóminis servíre: non potestis Deo servíre et mammónæ. *Matt.* 6.

COLLECTA. Orémus.

Custodi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétuâ : et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis et abstrahátur à nóxiis et ad salutária dirigátur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Quærite primùm regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjicientur vobis. *Matth.* 6.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 1 et 2.)

Surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso cápite córruens in terram, adorávit, *et dixit : Nudus egressus sum de útero matris meæ*, et nudus revertar illuc : Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est : sit nomen Dómini benedictum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deum locútus est. Factum est autem cùm quâdam die venissent fílii Dei, et starent coram Dómino, venisset quoque Satan inter eos et staret in conspectu ejus; ut díceret Dóminus ad Satan: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuívi terram, et perambulávi eam.

℣. Job córruens, 355.

LECTIO II.

Et dixit Dóminus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo, et adhuc rétinens innocéntiam ? Tu autem commovisti me adversùs eum, ut afflígerem eum frustrà. Cui respondens Satan, ait : Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro ánima sua; alióquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem; et tunc vidébis quòd in fáciem benedícat tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan : Ecce in manu tua est, verúmtamen ánimam illíus serva. Egressus ígitur Satan à fácie Dómini, percussit

Job úlcere péssimo, à planta pedis usque ad vérticem ejus: qui testâ sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua? bénedic Deo, et mórere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis muliéribus locúta es: si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℟. Quis respondébit, 355.

LECTIO III.

Igitur audientes tres amíci Job omne malum quod accidisset ei, venérunt sínguli de loco suo, Eliphaz Themanítes, et Baldad Suhítes, et Sophar Naamathítes. Condíxerant enim ut páriter venientes visitárent eum, et consolarentur. Cùmque elevassent procul óculos suos, non cognovérunt eum: et exclamantes ploravérunt; scissisque véstibus, sparsérunt púlverem super caput suum in cœlum. Et sedérunt cum eo in terra septem diébus et septem nóctibus, et nemo loquebátur ei verbum; vidébant enim dolórem esse vehementem.

℟. Benedíctio, 356.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 3.)

Post hæc apéruit Job os suum, et maledixit diéi suo, et locútus est: Péreat dies in qua natus sum; et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras; non requírat eum Deus désuper, et non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebræ, et umbra mortis; óccupet eum calígo, et involvátur amaritúdine. Noctem illam tenebrósus turbo possídeat, non computétur in diébus anni, nec numerétur in ménsibus. Sit nox illa solitária, nec laude digna; maledícant ei qui maledícunt diéi, qui paráti sunt suscitáre Levíathan. Obtenebrentur stellæ calígine ejus: expectet lucem, et non vídeat, nec ortum surgentis auróræ; quia non conclúsit óstia ventris qui portávit me, nec ábstulit mala ab óculis meis.

℟. Beátus homo, 356.

LECTIO II.

(Cap. 4.)

Respondens autem Eliphaz Themanítes, dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórsitan molestè accípies; sed conceptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti; vacillantes confirmavérunt sermónes tui, et génua treméntia confortasti: nunc autem venit super te plaga, et defecisti; tétigit te, et conturbátus es. Ubi est ti-

mórtuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, et perféctio viárum tuárum? Recordáre, óbsecro te, quis unquam ínnocens périit? aut quando recti deléti sunt? Quin pótiùs vidi eos qui operantur iniquitátem, et séminant dolóres, et metunt eos, flante Deo, periisse, et spíritu iræ ejus esse consumptos.

℟. Addidit Dóminus, 357.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

Respondens autem Job, dixit: Utinam appenderentur peccáta mea quibus iram mérui, et calámitas quam pátior, in statéra! quasi aréna maris hæc grávior apparéret: unde et verba mea dolóre sunt plena; quia sagittæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, et terróres Dómini mílitant contra me. Numquid rúgiet ónager, cùm habúerit herbam? aut múgiet bos, cùm ante præsépe plenum stéterit? aut póterit cómedi insulsum, quod non est sale condítum? aut potest áliquis gustáre, quod gustátum affert mortem? Quæ priùs nolébat tángere ánima mea, nunc præ angústia cibi mei sunt. Quis det ut véniat petítio mea; et quod expecto, tríbuat mihi Deus? et qui cœpit, ipse me cónterat? solvat manum suam, et succídat me? Et hæc mihi sit consolátio, ut afflígens me dolóre non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti.

℟. Patientes estóte, 357.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 8.)

Respondens Baldad Suhítes, dixit: Usquequò loquéris tália, et spíritus múltiplex sermónes oris tui? Numquid Deus supplantat judícium? aut Omnípotens subvertit quod justum est? Etiamsi fílii tui peccavérunt ei, et dimísit eos in manu iniquitátis suæ; tu tamen si dilúculo consurréxeris ad Deum, et Omnipotentem fúeris deprecátus, si mundus et rectus incésseris, statim evigilábit ad te, et pacátum reddet habitáculum justítiæ tuæ; in tantum ut si prióra tua fúerint parva, et novíssima tua multiplicentur nimis.

℟. Job córruens, 355.

LECTIO II.

(Cap. 9.)

Et respondens Job, ait: Verè scìo quòd ita sit, et quòd non justificétur homo compósitus Deo. Si volúerit conténdere cum eo, non póterit ei respondére unum pro mille. Sápiens corde est, et

fortis róbore : quis réstitit ei, et pacem hábuit? Qui tránstulit montes, et nesciérunt hi quos subvertit in furóre suo. Qui cómmovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non orítur; et stellas claudit quasi sub sigháculo. Qui extendit cœlos solus, et gráditur super fluctus maris. Qui facit Arctúrum, et Orióna, et Hyadas, et interióra Austri. Qui facit magna, et incomprehensibília et mirabília, quorum non est númerus.

℟. Quis respondébit, 355.

LECTIO III.

Si vénerit ad me, non vidébo eum; si abíerit, non intélligam. Si repente intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest: Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resístere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui etiamsi habúero quídpiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocantem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, et multiplicábit vúlnera mea étiam sine causa. Non concédit requiéscere spíritum meum, et implet me amaritudínibus. Si fortitúdo quæritur, robustíssimus est: si æquitas judícii, nemo audet pro me testimónium dícere. Si justificáre me volúero, os meum condemnábit me: si innocentem osténdero, pravum me comprobábit.

℟. Benedíctio, 356.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 11.)

Respondens autem Sophar Naamathítes, dixit: Numquid qui multa lóquitur, non et áudiet? aut vir verbósus justificábitur? Tibi soli tacébunt hómines? et cùm céteros irríseris, à nullo confutáberis? Dixisti enim: Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo. Atque útinam Deus loquerétur tecum, et aperíret lábia sua tibi; ut osténderet tibi secréta sapiéntiæ, et quòd múltiplex esset lex ejus; et intellígeres quòd multò minóra exigáris ab eo, quàm merétur iniquitas tua!

℟. Beátus homo qui corrípitur, 356.

LECTIO II.

(Cap. 12.)

Respondens autem Job, dixit: Ergo vos estis soli hómines, et vobiscum moriétur sapiéntia? Et mihi est cor sicut et vobis, nec inférior vestri sum: quis enim hæc quæ nostis ignórat? Qui

deridétur ab amíco suo sicut ego, invocábit Deum, et exáudiet eum : deridétur enim justi simplícitas. Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. Abundant tabernácula prædónum, et audacter próvocant Deum, cùm ipse déderit ómnia in manus eórum. Nimírum intérroga jumenta, et docébunt te; et volatília cœli, et indicábunt tibi. Lóquere terræ, et respondébit tibi; et narrábunt pisces maris. Quis ignórat quòd ómnia hæc manus Dómini fécerit? In cujus manu anima omnis viventis, et spíritus universæ carnis hóminis.

℟. Addidit Dóminus ómnia, 357.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

AUDITE ergo correptiónem meam, et judícium labiórum meórum atténdite. Numquid Deus índiget vestro mendácio, ut pro illo loquámini dolos? Numquid fáciem ejus accípitis, et pro Deo judicáre nitímini? Aut placébit ei quem celáre nihil potest? aut decipiétur ut homo vestris fraudulentiis? Ipse vos árguet, quóniam in abscóndito fáciem ejus accípitis. Statim ut se commóverit, turbábit vos; et terror ejus írruet super vos. Memória vestra comparábitur cíneri, et redigentur in lutum cervíces vestræ. Taceté paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggésserit. Quare lácero carnes meas déntibus meis, et ánimam meam porto in mánibus meis? Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo : verúmtamen vias meas in conspectu ejus árguam. Et ipse erit salvátor meus : non enim véniet in conspectu ejus omnis hypócrita.

℣. Patientes estóte, 357.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 32.)

OMISERUNT tres viri isti respondére Job, eò quòd justus sibi videretur. Et irátus, indignatusque est Elíu fílius Barachel Buzítes, de cognatióne Ram : irátus est autem adversùm Job, eò quòd justum se esse díceret coram Deo. Porrò adversùm amícos ejus indignátus est, eò quòd non invenissent responsiónem rationábilem, sed tantúmmodò condemnassent Job. Igitur Elíu expectávit Job loquentem, eò quòd senióres essent qui loquebantur. Cùm autem vidisset quòd tres respondére non potuissent, irátus est vehementer. Respondensque Elíu fílius Bárachel Búzites, dixit : Júnior sum tém-

pore, vos autem antiquióres; idcirco demisso cápite, véritas sum vobis indicáre meam senténtiam. Sperábam enim quòd ætas prolíxior loquerétur, et annórum multitúdo docéret sapiéntiam. Sed, ut vídeo, spíritus est in homínibus, et inspirátio Omnipotentis dat intelligéntiam. Non sunt longævi sapientes, nec senes intélligunt judícium.

℣. Job córruens, 355.

LECTIO II.

(Cap. 36.)

Addens quoque Elíu, hæc locútus est: Sústine me páululùm, et indicábo tibi; ádhuc enim hábeo quod pro Deo loquar. Répetam sciéntiam meam à princípio, et operatórem meum probábo justum. Verè enim absque mendácio sermónes mei, et perfecta sciéntia probábitur tibi. Deus potentes non ábjicit, cùm et ipse sit potens. Sed non salvat ímpios, et judícium paupéribus tríbuit. Non áuferet à justo óculos suos, et reges in sólio cóllocat in perpétuum; et illi eriguntur. Et si fúerint in caténis, et vinciantur fúnibus paupertátis, indicábit eis ópera eórum, et scélera eórum, quia violenti fuérunt.

℣. Quis respondébit, 355.

LECTIO III.

(Cap. 38.)

Respondens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Quis est iste involvens senténtias sermónibus imperítis? Accinge sicut vir lumbos tuos; interrogábo te, et responde mihi. Ubi eras quando ponébam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam líneam? Super quo bases illíus solidátæ sunt? aut quis demísit lápidem angulárem ejus; cùm me laudárent simul astra matutína, et jubilárent omnes fílii Dei? Quis conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulva procédens; cùm pónerem nubem vestimentum ejus, et calígine illud quasi pannis infántiæ obvólverem? Circúmdedi illud términis meis, et pósui vectem et óstia. Et dixi: Usque huc vénies, et non procédes ámpliùs; et hic confringes tumentes fluctus tuos.

℣. Benedíctio peritúri super me, 356

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 42.)

Respondens Job Dómino, dixit: Scio quia ómnia potes, et nulla te latet cogitátio. Quis est iste qui celat consílium absque sciéntia? ideò insipienter locútus

sum, et quæ ultra modum excéderent sciéntiam meam. Audi, et ego loquar: interrogábo te, et respónde mihi. Audítu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœniténtiam in favilla et cínere. Postquàm autem locútus est Dóminus verba hæc ad Job; dixit ad Eliphaz Themanítem: Irátus est furor meus in te, et in duos amícos tuos, quóniam non estis locúti coram me rectum, sicut servus meus Job. Súmite ergo vobis septem tauros et septem aríetes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orábit pro vobis; fáciem ejus suscípiam, ut non vobis imputétur stultítia; neque enim locúti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

LECTIO II.

ABIERUNT ergo Eliphaz Themanítes, et Baldad Suhítes, et Sophar Naamathítes, et fecérunt sicut locútus fúerat Dóminus ad eos; et suscépit Dóminus fáciem Job. Dóminus quoque conversus est ad pœniténtiam Job, cùm oráret ille pro amícis suis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcumque fúerant Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ soróres suæ, et cuncti qui nóverant eum priùs; et comedérunt cum eo panem in domo ejus: et movérunt super eum caput, et consoláti sunt eum super omni malo quod intúlerat Dóminus super eum; et dedérunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem áuream unam.

LECTIO III.

DOMINUS autem benedixit novíssimis Job magis quàm princípio ejus: et facta sunt ei quatuórdecim míllia óvium, sex míllia camelórum, et mille juga boum, et mille ásinæ. Et fuérunt ei septem fílii et tres fíliæ. Et vocávit nomen uníus Diem, et nomen secundæ Cássiam, et nomen tértiæ Cornustíbii. Non sunt autem inventæ mulíeres speciósæ, sicut fíliæ Job in universa terra: deditque eis pater suus hæreditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, et vidit fílios suos, et fílios filiórum suórum usque ad quartam generatiónem; et mórtuus est senex, et plenus diérum.

Ad Magnificat, *Ant.* 3. a. Tobías factus est cæcus: hanc autem tentatiónem ídeò Dóminus permísit evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ ejus, sicut et sancti Job. *Tob.* 2.

Collecta, Ecclésiam tuam, Dómine, misenátio continuáta mundet, *ut infrà ad Laudes.*

DOMINICA XV
POST PENTECOSTEN.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Tobíæ.

(Cap. 1.)

Tobias ex tribu et civitáte Néphtali, cùm captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit; ita ut ómnia quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus qui erant ex ejus génere, impertíret. Cùmque esset júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit in ópere. Dénique cùm irent omnes ad vítulos áureos quos Jeróboam fécerat rex Israel, hic solus fugiébat consórtia ómnium; sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, et ibi adorábat Dóminum Deum Israel, ómnia primitíva sua et décimas suas fidéliter óferens; ita ut in tértio anno prosélytis et ádvenis ministráret omnem decimatiónem. Hæc et his simília secundùm legem Dei puérulus observábat.

℟. Tobías cùm esset júnior, nihil puerile gessit in ópere: dénique * Cùm irent omnes ad vítulos áureos, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, et ibi adorábat. ℣. Pater tales quærit qui adórent eum. * Cùm. *Tob.* 1. *Joan.* 4.

LECTIO II.

Cum verò factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua; genuitque ex ea filium, nomen suum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, et abstinére ab omni peccáto. Igitur cùm per captivitátem devenisset cum uxóre sua et filio in civitátem Níniven, cum omni tribu sua; cùm omnes éderent ex cibis gentílium, iste custodívit ánimam suam, et nunquam contaminátus est in escis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde suo, dedit illi Deus grátiam in conspectu Salmánasar regis; et dedit illi potestátem quòcumque vellet ire, habens libertátem quæcumque fácere voluisset.

℟. Quómodò potúeris, esto miséricors: si multum tibi fúerit, abundanter tríbue: * Si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libenter impertíri stude. ℣. Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet: * Si exíguum. *Tob.* 4. 2. *Cor.* 8.

LECTIO III.

Pergebat ergo ad omnes qui erant in captivitáte, et mónita salútis dabat eis. Cùm

autem venisset in Rages civitátem Medórum, et ex his quibus honorátus fúerat à rege, habuisset decem talenta argenti; et cùm in multa turba géneris sui Gabélum egentem vidéret, qui erat ex tribu ejus, sub chirógrapho dedit illi memorátum pondus argenti. Post multum verò témporis, mórtuo Salmánasar rege, cùm regnáret Sennácherib fílius ejus pro eo, et fílios Israel exósos habéret in conspectu suo, Tobías quotídie pergébat per omnem cognatiónem suam, et consolabátur eos, dividebatque unicuíque, prout póterat, de facultátibus suis; esurientes alébat, nudisque vestimenta præbébat, et mórtuis atque occísis sepultúram sollícitus exhibébat.

℟. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus, sed* Multa bona habébimus, si timuérimus Deum, et recessérimus ab omni peccáto, et fecérimus bene. ℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, et hærédes regni quod repromísit diligéntibus se? * Multa. Glória Patri. * Multa. *Tob.* 4. *Jac.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Tobía.

(Cap. 1, 2 et 3.)

Lecto *prophético libro*, qui *inscríbitur Tobías*, quamvis plenè vobis virtútes sancti Prophétæ scriptúra insinuáverit, tamen compendiário mihi sermóne de ejus méritis recensendis et opéribus apud vos utendum árbitror, ut ea quæ scriptúra históríco more digessit látiùs, nos stríctiùs comprehendámus, virtútum ejus génera, velut quodam breviário colligentes. Fuit Tobías vir justus, miséricors, hospitális; et hoc virtútum præditus choro, súbiit ærumnam captivitátis quam ferébat humiliter atque patienter, commúnem magis injúriam quàm privátam dolens; nec sibi virtútum suffrágia nihil profuisse deplórans, sed magis eam sibi contuméliam minórem peccatórum suórum prétio illátam arbitrátus, méruit edictum, ne quis ex fíliis captivitátis mórtuum sepultúræ daret.

℟. Cognáti Tobíæ irridébant vitam ejus: Tobías verò increpábat eos, dicens: * Fílii sanctórum sumus, et vitam illam expectámus, quam Deus dátúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ℣. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; fidélis enim est qui repromísit. * Fílii. *Tob.* 2. *Hebr.* 10.

LECTIO V.

(N. 3, 4 et 5.)

At ille interdicto non revocabátur magis quàm incita-

bátur, ne desérere officium pietátis, mortis metu, viderétur; erat enim misericórdiæ prétium mortis pœna. Talis flagítii deprehensus reus, vix tandem per amícum pótuit, direpto património, egénus et exul restítui suis. Iterùm in his versabátur offíciis; et si quid alimenti foret, peregrínum cum quo cibum súmeret, quærébat. Itaque cùm fessus à sepultúræ revertisset múnere, appósitis sibi edendi subsídiis, misso fílio, quærébat consortem convívii. Dùm convíva accérsitur, nuntiátis insepulti córporis relíquiis, convívium deserébat: nec putábat pium ut ipse cibum súmeret, cùm in público corpus jacéret exánime. Hoc illi quotidiánum opus, et magnum opus.

℟. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. * Ego sum Ráphael ángelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. ℣. Grátia vobis et pax ab eo qui est, et à septem spirítibus qui in conspectu throni ejus sunt. * Ego sum Ráphael. *Tob.* 12. *Apoc.* 1.

LECTIO VI.

(Cap. 2, n. 6 et 7.)

Tam sancto fessus offício Prophéta, dùm requiescit iuxta paríetem aulæ, cadente de pásserum nido stércore, albúgine cæcitátem incidit, nec conquestus ingémuit, nec dixit: Hæc merces labórum meórum? Fraudári magis se dóluit obsequiórum, quàm oculórum múnere; nec cæcitátem pœnam, sed impedimentum putábat. Et cùm victum mercéde leváret cónjugis, ne quid furtívum domum suam intráret, cavébat. Dénique plus honestáti quàm necessitáti cónsulens, cui sua déerant, commodáverat próximo suo pecúniam quamdam, quam toto vitæ suæ témpore in tanta indigéntia non repoposcit. Vix, ubi se fessum vidit, et depósitum senectúte, insinuávit fílio, non tam cúpiens commodátum repóscere, quàm sollícitus ne fraudáret hæredem. Quòd ígitur commodávit pecúniam, et non fœnerávit, justi servávit offícium. Malum est enim fœnus quo quæruntur usúræ; sed non illud fœnus malum de quo scriptum est: Fœnera próximo tuo in témpore necessitatis illíus.

℟. Quia acceptus eras Deo, * Necesse fuit ut tentátio probáret te; et ✝ Nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. ℣. Quem díligit Dóminus, castigat; flagellat autem omnem filium quem récipit. * Necesse. Glória. ✝ Nunc. *Tob.* 12. *Hebr.* 12.

IN III.° NOCTURNO

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 7.)

IN illo témpore; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm; et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defunctus efferebátur fílius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 98, de verbis Evang. Luc. 7, c. 4.)

VIDEAMUS quid Christus nos díscere vóluit in tribus mórtuis quos suscitávit. Resuscitávit fíliam mórtuam Archisynagógi, ad quam ægrotantem petebátur ut eam de ægritúdine liberáret. Excitávit et hunc júvenem víduæ fílium, de quo nunc admóniti sumus; ut hinc ista quæ ipse largíri dignátur, cum vestra caritáte loquerémur. Modò audistis quómodò excitátus est. Appropinquábat Dóminus civitáti: et ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Misericórdiâ commótus quòd flebat mater vídua, et destitúta único fílio, fecit quod audistis, dicens: Adolescens, tibi dico, Surge. Surrexit ille mórtuus, cœpit loqui; et réddidit illum matri suæ. Excitávit et Lázarum de sepulcro.

℟. Defunctus efferebátur fílius únicus matris suæ; et hæc vídua erat. Quam cùm vidisset * Dóminus, misericórdiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere. ℣. Non despíciet Dóminus víduam, si effundat loquélam gémitûs. * Dóminus. *Luc.* 7. *Eccli.* 35.

LECTIO VIII.

(Cap. 5.)

ISTA tria génera mortuórum sunt tria génera peccatórum, quos hodièque súscitat Christus. Illa enim mórtua fília Archisynagógi intùs erat in domo; nondum erat de secrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intùs suscitáta est, viva paréntibus réddita; iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulcro; pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui suscitávit mórtuam nondum elátam, suscitávit mórtuum jam elátum, nondum sepultum. Tértium restábat, ut et sepultum suscitáret; et hoc fecit in Lázaro.

℟. Accessit Jesus, et tétigit lóculum; hi autem qui portábant, stetérunt. Et * Ait: Adolescens, tibi dico, Surge. Et resédit qui erat mórtuus. ℣. Deus noster, Deus salvos faciendi; et Dómini Dómini éxitus mortis. * Ait. *Luc.* 7. *Ps.* 67.

LECTIO IX.

(Cap. 7.)

Hæc ergo, carissimi, sic audiámus, ut qui vivunt vivant; qui mórtui sunt, reviviscant. Sive adhuc peccátum in corde conceptum est, et non processit in factum; pœníteat, corrigátur cogitátio, surgat mórtuus intra domum consciéntiæ. Sive jam quod cogitávit, admísit; nec sic desperétur. Non surrexit mórtuus intùs, surgat elátus. Pœníteat facti; de próximo reviviscat: non eat in profundum sepultúræ; non accípiat désuper consuetúdinis molem. Sed forté jam illi loquor, qui jam duro sui moris lápide prémitur, qui jam urgétur consuetúdinis póndere, qui jam quatriduánus putet; nec ipse despéret: profundus mórtuus est; sed altus est Christus. Novit clámando terréna ónera rúmpere, novit intrínsecùs per seipsum vivificáre, solvendum discípulis trádere. Agant étiam tales pœniténtiam; neque enim Lázaro resuscitáto post quatríduum ullus putor in vivente remánserat. Ergo qui vivunt, vivant: quicumque autem mórtui sunt, in quacumque harum trium morte se invénerint, agant ut céleriter jam resurgant.

℣. Sicut Pater súscitat mórtuos, et vivíficat; * Sic et ✝ Fílius quos vult, vivíficat. ℣. Non est fortis sicut Deus noster: Dóminus mortíficat, et vivíficat. * Sic. Glória Patri. ✝ Fílius quos vult, vivíficat. *Joan.* 5. 1. *Reg.* 2.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Qui erat mórtuus, cœpit loqui; et dedit illum Jesus matri suæ. *Luc.* 7.

COLLECTA. Orémus.

Ecclesiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat: et, quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Accépit omnes timor, et magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 2.)

Post hæc cùm esset dies festus Dómini, et factum esset prándium bonum in domo Tobíæ, dixit fílio suo: Vade, et adduc áliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Cúmque abiisset, reversus nun-

tiávit ei unum ex filiis Israel jugulátum jacére in platéa. Statimque exíliens de accúbitu suo, relinquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus; tollensque illud portávit ad domum suam occultè; ut, dùm sol occubuisset, cautè sepelíret eum. Cùmque occultasset corpus, manducávit panem cum luctu et tremóre, mémorans illum sermónem quem dixit Dóminus per Amos prophétam: Dies festi vestri convertentur in lamentatiónem et luctum.

℟. Tobías cùm esset júnior, 366.

LECTIO II.

Cum verò sol occubuisset, ábiit, et sepelívit eum. Arguébant autem eum omnes próximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causâ intérfici jussus es, et vix effugisti mortis impérium; et íterùm sépelis mórtuos? Sed Tobías plus timens Deum quàm regem, rapiébat córpora occisórum, et occultábat in domo sua, et médiis nóctibus sepeliébat ea. Cóntigit autem ut quâdam die fatigátus à sepultúra, véniens in domum suam, jactasset se juxta paríetem, et obdormisset, et ex nido hirúndinum dormienti illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fieretque cæcus. Hanc autem tentatiónem ídeò permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ ejus, sicut et sancti Job.

℟. Quómodò potúeris, esto misericors, 366.

LECTIO III.

(Cap. 2 et 3.)

Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídiè, et de labóre mánuum suárum victum quem cónsequi póterat, deferébat. Unde factum est ut hædum caprárum accípiens detulisset domi; cujus cùm vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Vidéte ne fortè furtívus sit, réddite eum dóminis suis; quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere. Ad hæc uxor ejus iráta, respondit: Manifestè vana facta est spes tua, et eleemósynæ tuæ modò apparuérunt. Atque his et áliis hujuscémodi verbis exprobrábat ei. Tunc Tobías ingémuit, et cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Justus es, Dómine, et ómnia judícia tua justa sunt; et omnes viæ tuæ, misericórdia, et véritas, et judícium. Et nunc, Dómine, memor esto meî, et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. Quóniam non obedívimus præceptis tuis, ídeò tráditi sumus in direptiónem, et captivitátem, et mortem.

℟. Noli timére, 367.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 4.)

Cum Tobías putáret oratiónem suam exaudíri ut mori potuisset, vocávit ad se Tobíam fílium suum, dixitque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum cónstrue. Cùm accéperit Deus ánimam meam, corpus meum sépeli; et honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus: memor enim esse debes quæ et quanta perícula passa sit propter te in útero suo. Cùm autem et ipsa compléverit tempus vitæ suæ, sepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum; et cave ne aliquando peccáto conséntias, et prætermittas præcepta Dómini Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet ut nec à te avertátur fácies Dómini. Quómodò potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundanter tríbue; si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libenter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis; quóniam eleemósyna ab omni peccáto et à morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

℟. Cognáti Tobíæ, 367.

LECTIO II.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatióne; et præter uxórem tuam nunquam patiáris crimen scire. Supérbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominári permittas; in ipsa enim inítium sumpsit omnis perdítio. Quicumque tibi áliquid operátus fúerit, statim ei mercédem restítue; et merces mercenárii tui apud te omninò non remáneat. Quod ab álio óderis fíeri tibi, vide ne tu aliquandò álteri fácias. Panem tuum cum esuriéntibus et egénis cóme-de, et de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum et vinum tuum super sepultúram justi constítue, et noli ex eo manducáre et bíbere cum peccatóribus. Consílium semper à sapiente perquíre. Omni témpore bénedic Deum; et pete ab eo ut vias tuas dírigat, et ómnia consília tua in ipso permáneant. Indico étiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dùm adhuc infántulus esses, Gabélo, in Rages civitáte Medórum; et chirógraphum ejus apud me hábeo: et ideò perquíre quómodò ad eum pervénias, et recípias ab eo supramemorátum pondus argenti, et

restítuas ei chirógraphum suum. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus: sed multa bona habébimus, si timuérimus Deum, et recessérimus ab omni peccáto, et fecérimus bene.

℟. Quando orábas, 368.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Tunc respondit Tobías patri suo, et dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi, fáciam, pater. Quómodò autem pecúniam hanc requíram, ignóro. Ille me nescit, et ego eum ignóro: quod signum dabo ei? Sed neque viam per quam pergátur illuc, aliquando cognóvi. Tunc pater suus respondit illi, et dixit: Chirógraphum quidem illíus penes me hábeo; quod dùm illi osténderis, statim restítuet. Sed perge nunc, et inquíre tibi áliquem fidélem virum, qui eat tecum, salvà mercéde suâ; ut, dùm adhuc vivo, recípias eam. Tunc egressus Tobías, invénit júvenem spléndidum, stantem præcinctum, et quasi parátum ad ambulandum. Et ignórans quòd Angelus Dei esset, salutávit eum, et dixit: Unde te habémus, bone júvenis? At ille respondit: Ex fíliis Israel. Et Tobías dixit ei: Nosti viam quæ ducit in regiónem Medórum? Cui respondit: Novi; et ómnia itínera ejus frequenter ambulávi, et mansi apud Gabélum fratrem nostrum, qui morátur in Rages civitáte Medórum, quæ pósita est in monte Ecbátanis.

℟. Quia acceptus, 368.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ

(Cap. 6.)

Profectus est Tobías, et canis secútus est eum; et mansit primâ mansióne juxta flúvium Tigris. Et exívit ut laváret pedes suos; et ecce piscis immánis exívit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobías, clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende bránchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum: et palpitáre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exéntera hunc píscem; et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi: sunt enim hæc necessária ad medícamenta utíliter. Quod cùm fecisset, assávit carnes ejus, et secum tulérunt in via; cétera saliérunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenírent in Rages civitátem Medórum. Tunc interrogávit Tobías Angelum, et dixit ei: Obsecro te, Azária frater, ut di-

cas mihi quod remédium habébunt ista quæ de pisce servére jussisti? Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis ejus partículam si super carbónes ponas, fumus ejus extrícat omne genus dæmoniórum, sive à viro, sive à muliére; ita ut ultrà non accédat ad eos. Et fel valet ad ungendos óculos in quibus fúerit albúgo, et sanabuntur.

℟. Tobías cùm esset júnior, 366.

LECTIO II.

Et dixit ei Tobías: Ubi vis ut maneámus? Respondensque Angelus, ait: Est hic Ráguel nómine, vir propinquus de tribu tua, et hic habet fíliam nómine Saram; sed neque másculum, neque féminam ullam habet áliam præter eam. Tibi debétur omnis substántia ejus, et oportet eam te accípere cónjugem. Pete ergo eam à patre ejus, et dabit tibi eam in uxórem. Tunc respondit Tobías, et dixit: Audio quia trádita est septem viris, et mórtui sunt: sed et hoc audívi, quia dæmónium occidit illos. Tímeo ergo ne forté et mihi hæc evéniant; et cùm sim únicus paréntibus meis, depónam senectútem illórum cum tristítia ad ínferos.

℟. Quómodò, 366.

LECTIO III.

Tunc ángelus Ráphael dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt quibus prævalére potest dæmónium. Hi namque qui conjúgium ita suscípiunt, ut Deum à se et à sua mente exclúdant, et suæ libídini ita vacent, sicut equus et mulus quibus non est intellectus, habet potestátem dæmónium super eos. Tu autem cùm accéperis eam, ingressus cubículum, per tres dies cóntinens esto ab ea; et nihil áliud, nisi oratiónibus vacábis cum ea. Ipsâ autem nocte, incenso jécore piscis, fugábitur dæmónium. Secundà verò nocte in copulatióne sanctórum Patriarchárum admittéris. Tértiâ autem nocte benedictiónem consequéris, ut fílii ex vobis procreentur incólumes. Transactâ autem tértiâ nocte, accípies vírginem cum timóre Dómini, amóre filiórum magis quàm libídine ductus, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

℟. Noli timére, 367.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 7.)

Ingressi sunt ad Raguélem; et suscépit eos Ráguel cum gáudio. Intuensque Tobíam Ráguel, dixit Annæ uxóri suæ: Quàm símilis est júvenis iste consobríno meo! Et cùm hæc dixisset, ait: Un-

de estis, júvenes fratres nostri? At illi dixérunt: Ex tribu Néphthali sumus, ex captivitáte Nínive. Dixitque illis Ráguel: Nostis Tobíam fratrem meum? Qui dixérunt: Nóvimus. Cùmque multa bona loquerétur de eo, dixit Angelus ad Raguélem: Tobías de quo interrogas, pater istíus est. Et misit se Ráguel, et cum lácrymis osculátus est eum; et plorans supra collum ejus, dixit: Benedíctio sit tibi, fili mi, quia boni et óptimi viri fílius es. Et Anna uxor ejus et Sara ipsórum fília lacrymátæ sunt. Postquàm autem locúti sunt, præcépit Ráguel occídi aríetem, et parári convívium. Cùmque hortarétur eos discúmbere ad prándium, Tobías dixit: Hic ego hódiè non manducábo, neque bibam, nisi príùs petitiónem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram fíliam tuam.

℟. Cognáti Tobiæ, 367.

LECTIO II.

Tunc dixit Ráguel: Non dúbito quòd Deus preces et lácrymas meas in conspectu suo admíserit; et credo quóniam ídeò fecit vos veníre ad me, ut ista conjungerétur cognatióni suæ secundum legem Móysi: et nunc noli dúbium gérere quòd tibi eam tradam. Et apprehendens déxteram fíliæ suæ, dextræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictiónem suám in vobis. Et acceptâ chartâ, fecérunt conscriptiónem conjúgii. Et post hæc epuláti sunt, benedicentes Deum. Vocavitque Ráguel ad se Annam uxórem suam, et præcépit ei ut præparáret álterum cubículum. Et introduxit illuc Saram fíliam suam, et lacrymáta est. Dixitque ei: Forti ánimo esto, fília mea: Dóminus cœli det tibi gáudium pro tædio quod perpessa es.

℟. Quando orábas, 368.

LECTIO III.

(Cap. 8.)

Tunc hortátus est vírginem Tobías, dixitque ei: Sara, exurge, et deprecémur Deum hódiè, et cras, et secundum cras; quia his tribus nóctibus Deo júngimur; tértiâ autem transactâ nocte, in nostro érimus conjúgio: fílii quippe sanctórum sumus, et non póssumus ita conjungi sicut gentes quæ ignórant Deum. Surgentes autem páriter, instanter orábant ambo simul, ut sánitas darétur eis. Dixitque Tobías: Dómine Deus patrum nostrórum, benedícant te cœli et terræ, mareque et fontes, et flúmina, et omnes creatúræ tuæ quæ in eis sunt. Tu fecisti Adam de limo terræ,

dedistique ei adjutórium Evam : et nunc, Dómine, tu scis quia non luxúriæ causâ accípio sorórem meam cónjugem, sed solâ posteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuum in sécula seculórum. Dixit quoque Sara : Miserére nobis, Dómine, miserére nobis; et consenescámus ambo páriter sani.

℣. Quia acceptus eras Deo, 368.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Tobiæ.

(Cap. 8 et 9.)

Adjuravit Ráguel Tobíam, ut duas hebdomádas morarétur apud se. De ómnibus autem quæ possidébat Ráguel, dimídiam partem dedit Tobíæ, et fecit scriptúram, ut pars dimídia quæ supérerat post óbitum eórum, Tobíæ domínio deveníret. Tunc vocávit Tobías Angelum ad se, quem quidem hóminem existimábat, dixitque ei : Azária frater, peto ut auscultes verba mea. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providéntiæ tuæ : tamen óbsecro te, ut assúmas tibi animália sive servítia, et vadas ad Gabélum in Rages civitátem Medórum, reddasque ei chirógraphum suum, et recípias ab eo pecúniam, et roges eum veníre ad núptias meas. Scis enim ipse quóniam númerat pater meus dies; et si tardáverò unâ die plus, contristátur ánima ejus. Et certè vides quómodò adjurávit me Ráguel, cujus adjuramentum spérnere non possum. Tunc Ráphael assúmens quátuor ex servis Raguélis, et duos camélos, in Rages civitátem Medórum perrexit : et invéniens Gabélum, réddidit ei chirógraphum suum, et recépit ab eo omnem pecúniam. Indicavitque ei de Tobía filio Tobíæ, ómnia quæ gesta sunt; fecitque eum secum veníre ad núptias.

℣. Tobías cùm esset júnior, 366.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

Cum verò moras fáceret Tobías causâ nuptiárum, sollícitus erat pater ejus Tobías, dicens : Putas quare morátur fílius meus, aut quare detentus est ibi? Putasne Gabélus mórtuus est, et nemo reddet illi pecúniam? Cœpit autem contristári nimis ipse, et Anna uxor ejus cum eo; et cœpérunt ambo simul flere, eò quòd die statúto mínimè reverterétur fílius eórum ad eos. Flebat ígitur mater ejus irremediabílibus lácrymis, atque dicébat : Heu, heu me, fili mi! ut quid te mísimus peregrinári, lu-

n oculórum nostrórum, :ulum senectútis nostræ, átium vitæ nostræ, spem sterilátis nostræ? ómnia iul in te uno habentes, te n debúimus dimíttere à bis. Cui dicébat Tobías : ce, et noli turbári; sanus fílius noster : satis fidélis vir ille cum quo mísimus m.

℟. Quómodò potúeris, o miséricors, 366.

LECTIO III.

(Cap. 11.)

NNA autem sedébat secùs m quotídiè in supercílio ntis, unde respícere póat de longinquo. Et dum eódem loco specularétur ventum ejus, vidit à lon-; et íllico agnóvit venien-n fílium suum; currens-e nuntiávit viro suo, dis : Ecce venit fílius tuus. ixitque Ráphael ad To-m : At ubi introíeris do-m tuam, statim adóra minum Deum tuum; et tias agens ei, accéde ad rem tuum, et osculáre n. Statimque lini super los ejus ex felle isto piscis od portas tecum : scias m quóniam mox aperien-óculi ejus; et vidébit pa-tuus lumen cœli, et in ectu tuo gaudébit.) Tunc ecucurrit canis qui simul rat in viá : et quasi núns advéniens, blandimento e caudæ gaudébat. Et consurgens cæcus pater ejus, cœpit offendens pédibus cúrrere; et datà manu púero, occurrit óbviam fílio suo : et suscípiens osculátus est eum cum uxóre sua, et cœpérunt ambo flere præ gáudio. Cùmque adorassent Deum, et grátias egissent, consedérunt. Tunc sumens Tobías de felle piscis, linívit óculos patris sui : et sustínuit quasi dimídiam ferè horam; et cœpit albúgo ex óculis ejus, quasi membrána ovi, égredi : quam apprehendens Tobías traxit ab óculis ejus; statimque visum recépit. Et glorificábant Deum.

℟. Noli timére, fili mi, 367.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 12.)

VOCAVIT ad se Tobías fílium suum, dixitque ei : Quid póssumus dare viro isti sancto qui venit tecum? Respondens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse beneficiis ejus? Me duxit et reduxit sanum, pecúniam à Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meipsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidéré fecit

lumen cœli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum si fortè dignábitur medietátem de ómnibus quæ alláta sunt, sibi assúmere. Et vocantes eum, pater scílicet et fílius, tulérunt eum in partem, et rogáre cœpérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium quæ attúlerant, acceptam habére.

LECTIO II.

Tunc dixit eis occultè: Manifesto vobis veritátem, et non abscondam à vobis occultum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cùmque hæc audissent, turbáti sunt, et trementes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cùm essem vobiscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobiscum manducáre, et bíbere; sed ego cibo invisíbili et potu qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit.

LECTIO III.

(Cap. 14.)

In hora autem mortis suæ vocávit ad se Tobíam fílium suum, et septem júvenes fílios ejus nepótes suos, dixitque eis: Propè erit intéritus Nínive; non enim éxcidit verbum Dómini: et fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, revertentur ad eam. Omnis autem deserta terra ejus replébitur, et domus Dei quæ in ea incensa est, íterùm reædificábitur; ibíque revertentur omnes timentes Deum: et relinquent gentes idóla sua, et vénient in Jerúsalem, et inhabitábunt in ea; et gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorantes Regem Israel. Audíte ergo, fílii mei, patrem vestrum: Servíte Dómino in veritáte, et inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi; et fíliis vestris mandáte ut fáciant justítias et eleemósynas, ut sint memóres Dei, et benedícant eum in omni témpore in veritáte, et in tota virtúte sua. Nunc ergo, fílii, audíte me, et nolíte manére hic; sed quâcumque die sepeliéritis matrem ves-

tram circa me in uno sepulcro, ex eo dirígite gressus vestros ut exeátis hinc: vídeo enim quia iníquitas ejus finem dabit ei. Factum est autem post óbitum matris suæ, Tobías abscessit ex Nínive cum uxóre sua, et fíliis, et filiórum fíliis, et reversus est ad sóceros suos. Invenitque eos incólumes in senectúte bona, et curam eórum gessit, et ipse clausit óculos eórum: et omnem hæreditátem domûs Raguélis ipse percépit, viditque quintam generatiónem, fílios filiórum suórum. Et complétis annis nonaginta novem in timóre Dómini, cum gáudio sepeliérunt eum. Omnis autem cognátio ejus, et omnis generátio ejus in bona vita et in sancta conversatióne permansit; ita ut accepti essent tam Deo quàm homínibus, et cunctis habitántibus in terra.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Venit Assur in multitúdine fortitúdinis suæ: Dóminus autem omnipotens trádidit eum in manus féminæ, et confódit eum. *Judith* 16.

COLLECTA. Orémus.

TUA nos, quæsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur; ac bonis opéribus júgiter præstet esse intentos; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

DOMINICA XVI
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Judith.

(Cap. 1.)

ARPHAXAD rex Medórum subjugáverat multas gentes império suo; et ipse ædificávit civitátem potentíssimam, quam appellávit Ecbátanis. Et gloriabátur quasi potens in poténtia exércitûs sui, et in glória quadrigárum suárum. Anno ígitur duodécimo regni sui, Nabuchodónosor rex Assyriórum, qui regnábat in Nínive civitáte magna, pugnávit contra Arphaxad, et obtínuit eum.

℟. Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si manentes permanséritis in jejúniis et oratiónibus: * Mémores estóte Móysi qui Amalec confidentem in virtúte sua, non ferro pugnando, sed précibus sanctis orando dejécit. ℣. Omnia quæcumque petiéritis in oratióne credentes, accipiétis. * Mémores estóte Móysi qui Amalec confidentem. *Judith* 4. *Matth.* 21.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

ANNO tértio décimo Nabuchodónosor regis, vigésimâ et secundâ die mensis primi,

factum est verbum in domo Nabuchodónosor regis Assyriórum, ut defénderet se. Vocavitque omnes majóres natu, omnesque duces, et bellatóres suos; et hábuit cum eis mystérium consílii sui: dixitque cogitatiónem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império. Quod dictum cùm placuisset ómnibus, vocávit Nabuchodónosor rex Holofernem príncipem milítiæ suæ, et dixit ei: Egrédere adversùs omne regnum Occidentis, et contra eos præcípuè qui contempsérunt impérium meum.

℟. Judith vídua habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ: et erat hæc in ómnibus famosíssima; * Quóniam timébat Dóminum valde: nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Hæc erat pléna opéribus bonis et eleemósynis quas faciébat; * Quóniam timébat Dóminum valde. *Judith* 8. *Act.* 9.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Tunc audientes hæc fílii Israel, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valdè à fácie ejus. Tremor, et horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem et templo Dómini, quod fécerat céteris civitátibus et templis eárum. Et misérunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho, et præoccupavérunt omnes vértices móntium: et muris circumdedérunt vicos suos; et congregavérunt frumenta in præparatiónem pugnæ. Sacerdos étiam Elíachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra fáciem campi magni juxta Dóthaïn, et universos per quos viæ tránsitus esse póterat, ut obtinérent ascensus móntium per quos via esse póterat ad Jerúsalem, et illic custodírent ubi angustum iter esse póterat inter montes. Et fecérunt fílii Israel secundùm quod constitúerat eis Sacerdos Dómini Elíachim.

℟. Æquo ánimo estóte, fratres: expectémus à Dómino misericórdiam; * Fórsitan enim indignatiónem suam abscindet, et ✝ Dabit glóriam nómini suo. ℣. Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne et obsecratióne petitiónes vestræ innotescant apud Deum; * Fórsitan. Glória. ✝ Dabit. *Judith* 7. *Philipp.* 4.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Elía et jejúnio.

(Cap. 9, n. 28 et 29.)

Potentes vinum prohiben-

tur bíbere, ne cùm bíberint, obliviscantur sapiéntiam. Bibébant vinum in ebrietáte potentes, qui Holoferni príncipi milítiæ regis Assyriórum se trádere gestiébant : sed non bibébat fémina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitátis suæ, præter festórum diérum solemnitátes. His armis muníta processit, et omnem Assyriórum circúmvenit exércitum. Sóbrii vigóre consílii ábstulit Holofernis caput, servávit pudicítiam, victóriam reportávit. Hæc enim succincta jejúnio, in castris prætendébat aliénis : ille vino sepultus jacébat, ut ictum vulneris sentíre non posset. Itaque uníus mulíeris jejúnium innúmeros stravit exércitus ebriórum.

℟. Reputantes peccátis nostris hæc ipsa supplícia minóra esse, * Flagella Dómini quibus corrípimur, ad emendatiónem, et non ad perditiónem nostram evenisse credámus. ℣. Dùm judicámur, à Dómino corrípimur; ut non cum hoc mundo damnémur. * Flagella Dómini, quibus corrípimur. *Judith* 8. 1. *Cor.* 11.

LECTIO V.

(N. 30 et 31.)

ESTHER quoque púlchrior facta est jejúnio; Dóminus enim grátiam sóbriæ mentis augébat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judæórum à persecutiónis acerbitátibus liberávit : ita ut regem sibi fáceret esse subjectum, non libídinis ardóre flammátum, sed cœlesti miseratióne conversum; ita ut et pœna retorquerétur in ímpium, et honor sacris redderétur altáribus. Itaque illa quæ tríduo jejunávit contínuo, et corpus suum aquâ lavit, plùs plácuit, et vindictam rétulit. Aman autem, dum se regáli jactat convívio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietátis exolvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrifícium, virtútis incrementum, quod fecit étiam féminas fortióres augmento grátiæ.

℟. Quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus : *Humiliémus illi ánimas nostras, et expectémus húmiles consolatiónem ejus. ℣. Deus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. * Humiliémus illi ánimas nostras. *Judith* 8. *Jac.* 4.

LECTIO VI.

(Cap. 10, n. 34.)

NON omnis fames acceptábile jejúnium facit; sed fames quæ Dei timóre suscípitur. Non sola fames quæritur, sed plena disciplínâ jejúnii. Aliis dícitur : In diébus jejuniórum vestrórum invenítis voluntátes vestras, et omnes súbditos vobis sti-

mulátis. Non tale jejúnium ego elégi, dicit Dóminus. Quod jejúnium improbétur, audívimus: nunc audiámus quod sit probábile. Sed solve omnem colligatiónem injustítiæ tuæ: dissolve obligatiónes violentárum commutátiónum: dimitte confractos in remissiónem, et omnem conscriptiónem iníquam dirumpe: frange esurienti panem tuum, et egénos non habentes tectum induc in domum tuam: et si vidéris nudum, coóperi eum; et domésticos séminis tui non despícias.

℟. Non in multitúdine est virtus tua, Dómine, nec superbi ab initio placuérunt tibi; sed * Humílium et mansuetórum semper tibi plácuit deprecátio. ℣. Omnis qui se exaltat, humiliábitur; et qui se humíliat, exaltábitur. * Humílium. Glória Patri. * Humílium. *Judith* 9. *Luc.* 18.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 14.)

In illo témpore; Cùm intráret Jesus in domum cujusdam príncipis Pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum: et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 16 Moral. in Job, cap. 23 et 24, n. 28 et 29.)

Quantalibet sit justítia óperis, apud internum Júdicem nulla est, si hanc élevat tumor mentis. Qui enim humiliátus fúerit, erit in glória; et qui inclináverit óculos suos, ipse salvábitur. Quæ nimírum senténtia à Veritátis ore non díscrepat, dicentis: Omnis qui se exaltat, humiliábitur; et qui se humíliat, exaltábitur. Unde et per Salomónem dícitur: Antequàm conterátur, exaltátur cor hóminis; et ántequàm gloriétur, humiliátur. Rectè autem dícitur: Qui inclináverit óculos suos, ipse salvábitur; quia quantùm per membrórum ministérium deprehendi potest, prima supérbiæ osténsio esse in óculis solet. Oculos ergo inclináre, est nullum respiciendo despícere, sed se minórem atque ímparem cunctis quos áspicit, æstimáre. Salvábitur qui óculos inclínat; quia qui falsum supérbiæ vérticem déserit, veritátis altitúdinem ascendit.

℟. Cùm invitátus fúeris ad núptias, * Non discumbas in primo loco, ne fortè honorátior te sit invitátus, et qui te vocávit, dicat tibi: Da huic locum. ℣. Ubi fúerit supérbia, ibi erit et contumélia;

ubi autem est humílitas, ibi et sapiéntia. * Non. *Luc.* 14. *Prov.* 11.

LECTIO VIII.

(Homil. 7, in Evang. n. 4.)

RESTAT ergo ut in omne quod scit, sese mens dépri-mat; ne quod virtus sciéntiæ cóngregat, ventus elatiónis tollat. Cùm bona, fratres, ágitis, semper ad memóriam malè acta revocáte; ut dùm cautè culpa conspícitur, nunquam de bono ópere incautè ánimus lætétur. Superióres invicem, eos máximè qui vobis commissi non sunt, próximos vestros atténdite; quia et quos ágere áliqua prava conspícitis, quæ in eis láteant bona nescítis. Magnus ergo unusquisque esse stúdeat, sed tamen áliquo modo esse se nésciat; ne dum sibi magnitúdinem arroganter tribuit, amittat. Hinc étenim per Prophétam dícitur: Væ qui sapientes estis in óculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Hinc Paulus ait: Nolíte prudentes esse apud vosmetipsos. Hinc contra superbientem Saül dícitur: Cùm esses párvulus in óculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Ac si apertè dicerétur: Cùm tu te párvulum conspíceres, ego te præ céteris magnum feci. Quia verò tu te magnum cónspicis, à me parvus æstimáris.

℟. Recumbe in novíssimo loco, ut qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascende supériùs. * Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus. ℣. Mélius est ut dicátur tibi, Ascende, quàm ut humiliéris. * Tunc erit tibi glória coram simul. *Luc.* 14. *Prov.* 25.

LECTIO IX.

SI ergo sancti viri, étiam cùm agunt fórtia, de semetipsis vília séntiunt; quid in sua excusatióne dictúri sunt qui sine ópere virtútis intumescunt? Sed etsi quælibet bona adsint ópera, nulla sunt, nisi ex humilitáte condiantur. Miranda quippe áctio cum elatióne non élevat, sed gravat. Qui enim sine humilitáte virtútes cóngregat, in ventum púlverem portat; et unde áliquid ferre cérnitur, inde detériùs cæcátur. In cunctis ergo quæ ágitis, fratres mei, radícem boni óperis humilitátem teníte; nec quibus jam superióres, sed quibus adhuc inferióres estis aspícite; ut dum meliórum vobis exempla propónitis, ad majóra semper ascéndere ex humilitáte valeátis.

℟. Superbum séquitur humílitas; * Et ✠ Humílem spíritu suscípiet glória. ℣. Qui potens est, dispersit superbos, et exaltávit húmiles; * Et húmilem spíritu suscípiet glória. Glória Patri. ✠

Húmilem spíritu. *Prov.* 29. *Luc.* 1.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Jesus dixit ad Legisperítos et Pharisæos : Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse verò apprehensum sanávit hydrópicum, ac dimísit. *Luc.* 14.

COLLECTA. Orémus.

TUA nos, quæsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur, ac bonis opéribus júgiter præstet esse intentos; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat, unitáte Spíritûs sancti Deus.

Ad Magnificat, *Ant.* 7. a. Respondens Jesus ad Legisperítos, dixit : Cujus vestrùm ásinus aut bos in púteum cadet, et non contínuò éxtrahet illum die sábbati? Et non póterant ad hæc respondére illi. *Luc.* 14.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Judith.

(Cap. 8.)

ERAT Judith relicta vídua jam annis tribus, et ménsibus sex. Et in superióribus domûs suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puellis suis clausa morabátur. Et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ, præter sábbata, et neoménias, et festa domûs Israel. Erat autem eleganti aspectu nimis; cui vir suus relíquerat divítias multas, et famíliam copiósam, ac possessiónes armentis boum et grégibus óvium plenas. Et erat hæc in ómnibus famosissima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

℣. Scitóte, 379.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

FACTUM est autem cùm descénderet montem circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriórum, et tenuérunt eam, dicentes : Unde venis? aut quò vadis? Quæ respondit : Fília sum Hebræórum; ídeò ego fugi a fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi quòd dentur vobis in deprædatiónem; pro eo quòd contemnentes vos, noluérunt ultro trádere seipsos, ut invenírent misericórdiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitávi mecum dicens : Vadam ad fáciem príncipis Holofernis, ut índicem illi secréta illórum, et ostendam illi quo áditu possit obtinére eos, ita ut non cadat vir unus de exércitu ejus. Et cùm audissent viri illi verba ejus, considerábant fáciem ejus : et erat in óculis eórum stupor; quóniam pulchritúdinem

s mirabantur nimis. Et
érunt ad eam : Conser-
ti ánimam tuam, eò quòd
: reperisti consílium, ut
cénderes ad dóminum
trum. Hoc autem scias,
ɔniam cùm stéteris in
ıspectu ejus, bene tibi fá-
:, et eris gratíssima in
de ejus. Duxeruntque il-
ı ad tabernáculum Holo-
nis, annuntiantes eam.
nque intrasset ante fá-
m ejus, statim captus est
uis óculis Holofernes.
℣. Judith vídua, 380.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

.AT Judith sola in cubí-
o. Porrò Holofernes ja-
ıat in lecto nímiâ ebrie-
t sopítus. Dixitque Judith
ellæ suæ, ut staret foris
e cubículum, et observá-
Stetitque Judith ante
tum, orans cum lácrymis,
labiórum motu in silén-
, dicens : Confirma me,
mine Deus Israel, et rés-
e in hac hora ad ópera
nuum meárum; ut, sicut
ɔmisisti, Jerúsalem civi-
em tuam érigas; et hoc
od credens per te posse
ri cogitávi, perfíciam. Et
m hæc dixisset, accessit ad
umnam quæ erat ad ca-
t léctuli ejus; et pugiónem
ıs, qui in ea ligátus pen-
bat, exolvit. Cùmque eva-
ıasset illum, apprehendit
mam cápitis ejus, et ait :
Confirma me, Dómine Deus,
in hac hora. Et percussit bis
in cervícem ejus; et abscídit
caput ejus.
℣. Æquo ánimo, 380.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Judith.

(Cap. 15.)

Cum omnis exércitus decollátum Holofernem audisset, fúgit mens et consílium ab eis, et solo tremóre et metu agitáti, fugæ præsídium sumunt; ita ut nullus loquerétur cum próximo suo : sed inclináto cápite, relictis ómnibus, evádere festinábant Hebræos, quos armátos super sé veníre audiébant, fugientes per vias campórum et sémitas cóllium. Videntes ítaque fílii Israel fugientes, secúti sunt illos; descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos. Et quóniam Assyrii non adunáti, in fugam ibant præcípites; fílii autem Israel uno ágmine persequentes, debilitábant omnes quos invenire potuissent.
℣. Reputantes peccátis nostris, 381.

LECTIO II.

Joacim autem summus póntifex de Jerúsalem venit in Bethúliam cum universis presbyteris suis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exisset ad

illum, benedixérunt eam omnes, unâ voce dicentes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri; quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum; eò quòd castitátem amáveris, et post virum tuum, álterum nescíeris: ídeò et manus Dómini confortávit te, et ídeò eris benedicta in æternum. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat. Per dies autem triginta vix collecta sunt spólia Assyriórum à pópulo Israel.

℟. Quia pátiens Dóminus est, 381.

LECTIO III.

(Cap. 16.)

Et factum est post hæc, omnis pópulus post victóriam venit in Jerúsalem adoráre Dóminum: et mox ut purificáti sunt, obtulérunt omnes holocausta, et vota, et repromissiónes suas. Porrò Judith universa vasa béllica Holofernis quæ dedit illi pópulus, et conopéum quod ipsa sustúlerat de cubíli ipsíus, óbtulit in anáthema obliviónis. Erat autem pópulus jucundus secundùm fáciem sanctórum, et per tres menses gáudium hujus victóriæ celebrátum est cum Judith. Post dies autem illos unusquisque rédiit in domum suam; et Judith magna facta est in Bethúlia, et præclárior erat universæ terræ Israel. Erat étiam virtúti cástitas adjuncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. Erat autem diébus festis procedens cum magna glória. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimísit abram suam líberam, et defuncta est, ac sepulta cum viro suo in Bethúlia. Luxitque illam omnis pópulus diébus septem.

℟. Non in multitúdine, 382.

ᴾROPRIUM SANCTORUM.

PARS ÆSTIVA.

DIE XIX MAII.

ꞒŒLESTINI, PAPÆ.

Semiduplex.

idie AD VESPERAS, *Ant.* Suscitábo, *ut in Com-* *Pontificum. Collecta,* , qui beátum, *infrà.* *Commem. sancti Yvo-* *Presbyteri. Ant.* Quasi . ℣. Stábit, XXXVI. *Col-* , Deus, qui beátum iem, *infrà.*

NOCT. *Lectio prima de tura occurrente; è tribus ıa. Et sic in omnibus luplicibus.*

LECTIO II.

ESTINUS quintus, Pe- de Muróne ante Pontí- ım appellátus, piis pa- bus ex Apúlia oriun- à téneris annis deserta t. Tanta fuit ejus vitæ :itas, ut dies ferè noc- ıe ánimum oratióni et ıdo Psaltério inténde- et jejúniis, labóre má- n ac cilício, adhíbità ı caténâ férreâ, corpus árct. Cùmque multi ad , tantæ sanctitátis famâ ıôti, conflúerent, Con- ıtiónem Cœlestinórum régula sancti Benedicti tuit, ádditis étiam sta- tútis arctióribus. Post mor- tem Nicolái quarti, cùm Se- des Apostólica biénnio et ámpliùs vacasset, ad Pontifi- cátum promótus est; cui se dignitáti ímparem exísti- mans, post sex círciter men- ses eam abdicávit, ut rerum divinárum contemplatióni libériùs vacáret. Cùmque de- serta repéteret, detentus et in custódiam missus, patién- tiæ corónam felíci morte proméruit, anno ætâtis oc- togésimo quarto, quem mirá- culis conspícuum Clemens quintus sanctórum número ascripsit.

De sancto Yvone.

LECTIO III.

YVO in Diœcési Trecorensi nobílibus paréntibus natus, Lutétiæ Parisiórum, deindè Auréliæ lítteris óperam de- dit. Ibi, ut inter lúbricos adolescéntiæ ímpetus, cas- tam in casto córpore men- tem serváret, à vino et cár- nibus cœpit abstinére, idque per totum vitæ tempus, pa- ne sæpiùs et aquâ contentus, observávit. Judex Eccleiás- ticus ab Archidiácono Rhe- donensi primùm; tùm à duó- bus Epíscopis Trecorensi- bus constitútus, ut spiri- tuálibus exercítiis, et cari-

tátis officiis totum se daret, munus abdicávit, unamque paróchiam per octo annos, álteram per annos decem sanctíssimè rexit. Singulári in páuperes, víduas, et órphanos affectu enítuit. Oratióni et verbi Dei prædicatióni vacábat assíduè. Tanta in eo erat dicendi vis, ut ipse Spíritus sanctus loquenti verba suggérere videretur. Miráculis clarus obdormívit in Dómino, anno ætátis círciter quinquagésimo; et post annos quátuor suprà quadraginta à Clemente sexto, instante Philippo Valésio, inter sanctos solémniter est relátus anno Dómini millésimo trecentésimo quadragésimo séptimo.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Cœlestínum ad sedem Apóstoli tui Petri evectum, et fídei firmitáte, et vitæ integritáte illustrem effecisti, ejus méritis et intercessióne tales Ecclésiæ tuæ próvide pastóres, qui fidélibus tuis sincéræ doctrínæ præbeant alimentum, et rectæ conversatiónis ministrent exemplum; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Fit Commem. S. Yvonis, Ant. Euge. ℣. Sacerdótes, XI.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Yvónem Presbyterum, misericórdiæ viscéribus implevisti; præsta, quæsumus, ut quem páuperum patrem tuâ grátiâ effecisti, benignum apud te júgiter habeámus intercessórem; Per Christum Dóminum nostrum.

Ad Vesperas, *fit Commem. S. Baudilii, Mart. Ant.* Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Collecta,* Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, XII.

DIE XX.

SANCTI BAUDILII,

MARTYRIS.

Simplex.

LECTIO III.

Baudilius in Província Narbonensi, século tértio vel quarto pro fide Jesu Christi passus est. De eo sic lóquitur sanctus Gregórius Turonensis, labente século sexto: Est apud Nemausensis urbis óppidum beáti Baudilii sepulcrum, de quo sæpiùs virtútes multæ manifestantur. Et áliquot recénsitis subjungit: Ostendit autem beátus Martyr et in áliis virtútem suam. Percélebris est sancti Mártyris cultus in Gállia et in Hispánia. Plúrimæ passim sub ejus invocatióne Deo dicátæ conspiciuntur Ecclésiæ. Illius nomen légitur in antí uis Ecclésiæ Forojuliensis calendáriis.

Collecta, Adesto, XII.

DIE XXIV.

SANCTI VINCENTII,

LIRINENSIS PRESBYTERI, ET MONACHI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Monachorum.

In I. Vesp. *Ant. sola,* Quid prodest, XLII.

Fit Commem. SS. Donatiani et Rogatiani, Mart. Ant. Cùm vos óderint. ℣. Viríliter, XVI. *Collecta,* Deus, invisíbilis, XIX.

LECTIO II.

Vincentius, sancti Lupi Trecensis germánus frater, nóbili génere, Tulli Leucórum in prima Bélgica natus, milítiam adolescens secútus est. Várias in século expertus turbas et tempestátes, rerum humanárum pertæsus, mundo valedícens, in Monastérium Lirinense secessit, ut Deo totus vacáret. Ibi monásticam vitam amplexus, ejusdem institúti sócios hábuit Lupum fratrem, Máximum, Hilárium, Valeriánum, aliosque insignes viros, qui váriis Ecclésiis pósteà præfuérunt. Ipse ad sacerdótium evectus et erudiendis junióribus Mónachis præpósitus, plures hábuit discípulos in Ecclésia célebres, inter quos Salónius et Veránus, sancti Euchérii Lugdunensis Epíscopi fílii, qui ambo ad Episcopátum assumpti, et sanctitáte conspícui, magistri celebritáti novum decus addidérunt.

LECTIO III.

In Scriptúris sacris et Ecclesiástica disciplína eruditíssimus, sub Peregríni título, celáto ex humilitáte próprio nómine, librum áureum édidit, in quo luculenter et sólidè certa státuit princípia, tum confutandis ómnium hæréseon novitátibus, tum Cathólicæ veritáti asserendæ validíssima. Hoc in ópere præstantíssimo, hanc fídei régulam tradit, ac invictè probat: ut id teneámus quod ubíque, quod semper, quod ab ómnibus créditum est. Quod ita fiet, inquit, si sequámur universitátem, antiquitátem, consensiónem. Sequémur autem universitátem, si hanc unam fidem veram esse fateámur, quam tota per orbem confitétur Ecclésia. Antiquitátem verò, si ab his sénsibus nullátenùs recedámus, quos sanctos majóres ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensiónem autem, si in ipsa vetustáte, ómnium, vel certè penè ómnium Sacerdótum páriter et Magistrórum definitiónes sententiasque sectémur. Obiit Vincéntius doctrínâ et sanctitáte conspícuus. Corpus ejus in Monastério Liri-

rinensi sepultum, ibi religiósè asservátur.

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, Dómine, sancti Sacerdótis tui Vincéntii exemplo et intercessióne, terréna ómnia despícere, et te solum bonum nostrum purâ mente sectári; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit Commem. SS. Donatiani et Rogatiani, Ant. Beáti. ℣. Multæ. *Collecta,* Deus, invisíbilis, XIX.

AD VESP. *fit à Capitulo de sequenti, ut in Communi Presbyterorum. Collect.* Deus, qui in Ecclésiæ, XL.

Fit Commem. S. Vincentii, Ant. Scimus. ℣. Plantáti, XLIX. *Collecta,* Da nobis, *ut suprà.*

Deinde S. Urbani, Papæ et Mart. Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta,* Omnípotens, *ut infrà.*

DIE XXV.

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS,

PRESBYTERI.

Semiduplex.

De Communi Presbyterorum.

LECTIO II.

JOANNES Franciscus Regis nóbili génere, in Gállia Narbonensi natus, exímiæ sanctitátis à téneris annis indícia præbuit. Societátem Jesu ingressus Tolósæ anno ætátis décimo nono, ómnibus excélluit vitæ religiósæ virtútibus. Absolútis stúdiis totum se procurandæ animárum salúti devóvit. Velaunórum et Forénsium montes, et ingentes Helviórum tractus, eorumque colónos barbárie intractábiles suscépit excolendos, eo successu ut innumerábiles hómines, aut Calviniánâ lue infectos, aut pérditis móribus corruptos, ad fidem Cathólicam, et ad Christiánam pietátem tradúxerit. Campéstribus missiónibus Hiberno témpore perfunctus, Æstívo revertebátur Anícium; ibíque per Nosocómia in ægrotórum ministériis, sustentandisque paupéribus strénuam exhibébat óperam. Grassante peste infirmos eo morbo laborantes sédulo invísens, ardenti caritáte reficiébat. Ergà álios blandus, in se ipse sæviébat acérrime. Somnum humi carpens, à vino pénitùs ábstinens, vili cibo víctitans, divíno amóre sic erat incensus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre viderétur. Tandem méritis cumulátus, clarusque miráculis, in Viennensis Diœcésis pago, cui nomen est Lalovescus, spíritum creatóri réddidit anno millésimo sexcentésimo quadragésimo, vitæ suæ quadragésimo quarto.

De S. Urbano.

LECTIO III

URBANUS post Callístum, Románus Epíscopus electus est, sub finem anni ducentésimi, imperante Alexandro Sevéro, qui Christiánis favébat. Vixit in Pontificátu annos septem, et successórem hábuit Pontiánum. Sepultus est in Cœmetério Prætextáti. Extat ejus nomen in antiquíssimis Calendáriis et Martyrológiis, et in codícibus áliquot vetéribus Sacramentárii Gregoriáni. Erecta est Romæ jam pridem sub ejus invocatióne Basílica, quæ cùm vetustáte penè collaberétur, excitáta fuit ab Urbáno Papa octávo. Prisco ritu Románæ Ecclésiæ cólitur ut Martyr.

Collecta, Deus, qui in Ecclésiæ, XL.

Pro Commem. S. Urbani. Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui beátum Urbánum Apostólici Principátûs prærogatívâ conspícuum, Martyrii corónâ illustriórem effecisti; da Ecclésiæ tuæ ejus patrocíniis adjuvári, cujus labóribus exculta flóruit, et sánguine crevit fœcundáta; Per Dóminum.

AD VESP. *fit Commem. S. Augustini, Episcopi. Ant.* Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta,* Deus, cujus, *infrà.*

DIE XXVI.

SANCTI AUGUSTINI,

CANTUARIENSIS EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

AUGUSTINUS, ut ait Gregórius magnus, fuit in monastérii régula doctus, sacræ Scriptúræ sciéntiâ replétus, bonis, autóre Deo, opéribus præditus. Ab eódem Gregório missus est ut Anglórum genti Evangélium prædicáret. In ínsulæ partem áppulit cujus tunc rex erat Æthelbertus. Cómites hábuit monáchos Italos, et cléricos quosdam Gallos qui fuérunt Italórum intérpretes, et óperis adjutóres. Augustino duce disseminátum est cum úbere fructu Evangélii semen, annuente Rege, sed in primis favente Berthâ Chereberti Francórum regis fíliâ, Æthelberti uxóre. Ipse Rex se Christi jugo subjécit. Interim repétiit Gállias Augustínus, ut sibi plures adjúngeret comministros; et ab Arelatensi præsule Virgílio Epíscopus est ordinátus. Ipso deindè in Angliam reverso, ádeo propagáta est per totam regiónem illam Relígio, ut vel uno die hómines ad decem míllia fúerint ab eo baptizáti. In Galliárum Ecclésiis diversæ

erant ab Ecclésia Romána consuetúdines. Super his consúluit Gregórium magnum, qui respondit: Ex síngulis quibusque Ecclésiis quæ pia, quæ religiósa, quæ Deo plácita invenisset, hæc quasi in fascículum collecta apud Anglórum mentes in consuetúdinem depóneret. Tandem ab idolórum cultu ad Christi fidem perductâ totâ fere Angliâ, vigésimâ sextâ Máii, circa annum sexcentésimum séptimum in pace defunctus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus ineffábili misericórdiâ beátus Póntifex Augustínus in géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi; da nos ejus intercessióne créscere in sciéntia tua; et in omni ópere bono fructificantes, secundùm Evangélii veritátem coram te ambuláre; Per eumdem.

DIE XXVIII.

SANCTI GUILLELMI,

AQUITANIÆ DUCIS, COMITIS TOLONASI, DEMUM MONACHI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Monachorum, præter ea quæ sequuntur.

Pridiè AD VESP. *Ant. sola,* Quid prodest.

LECTIO II.

Guillelmus, patre Theodoríco Cómite et matre Abdónâ natus, sub Cárolo magno aulæ militiæque mancipátus, primæ cohortis sortítus est principátum. Deindè cùm in tractandis rebus béllicis egrégiam sibi laudem comparasset, ab eódem Imperatóre, Aquitániæ Dux, Comesque Tolosánus renuntiátus est. Tùm, victis sæpiùs bárbaris, dilatatóque império Christiáno, et pace constitútâ, sub disciplína sancti Benedicti Anianensis, totum se dedit opéribus justítiæ, pietátis ac misericórdiæ. Nec multò post monastérium ædificári curávit in valle Gellonensi Diœcésis Lodovensis, scópulis et móntibus aspérrimâ, quod nunc sancti Guillelmi in erémo nuncupátur.

LECTIO III.

In aulam pósteà ab Imperatóre vocátus, hinc brevi discedendi licéntiam impetrávit; pergensque ad sanctum Benedictum, moram nullam fieri passus, hábitu monacháli indúitur in Gellonensi monastério, quod quidem jam ánteà amplis à se redítibus donátum fúerat. Ibi ómnium deinceps virtútum splendóre, ac potíssimùm humilitátis laude antecélluit; contínuè vacans oratióni, jejúniis impénsiùs favens, ac sæpè noctes sólitus insomnes dúcere. Demùm méritis plenus, præ-

nuntiáto mortis die, obdormívit in Dómino quinto Calendas Júnii, anno octingentésimo duodécimo. Ejus corpus in oratório sancti Michaélis quod ipse constrúxerat, primò sepultum, deindè in majórem monastérii Gellonensis basílicam translátum, sub altári cónditum est, ubi etiamnùm quiescit.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, Dómine, beátum Guillelmum imitári; ut seculáribus expedíti negótiis, donis cœléstibus, te largiente dítémur; Per Dóminum.

Ad Vesp. *fit Commem. S. Germani, Episcopi, Ant.* Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta*, Deus, sanctórum, *infrà*.

DIE XXIX.

SANCTI GERMANI,

EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

Germanus apud Æduos natus, présbyter primum, et monastérii sancti Symphoriáni Æduensis Abbas, ob morum sanctitátem ad Episcopátum Parisiensis Ecclésiæ assumptus est. Nihil ibi remísit de vitæ austeritáte, quam in monastério égerat. Mira erat ejus in páuperes, máximè verò in servos captivosque redimendos, beneficéntia; et Childeberto Regi tàm probáta, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingentem ei pecúniam subministráret. Caribertum unum è Francis régibus, qui uxóris sorórem dúxerat, sacris interdixit. Sigebertum per lítteras à cæde Chilperíci fratris deterrére conátus est, et suis mónitis reluctantem brevi moritúrum prædixit. In Synodo Bituricensi plúrimos Judæos Christo lucrátus est. Sedit in Concílio Parisiensi tértio et quarto, et Turonensi secundo. Aliquot ante tránsitum diébus per Notárium hæc verba, quinto Calendas Júnias, ad lectum suum scribi vóluit; quâ die cùm obiisset, apertus est qui latébat verbórum sensus.

COLLECTA. Orémus.

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrasti: da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exultanti, ut apud misericórdiam tuam exemplis ejus protegátur et méritis; Per.

FESTA JUNII.

DIE I.

SANCTI CAPRASII,

MONACHI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Monachorum.

In I. Vesp. *Ant. sola.* Quid prodest, xlii.

AD NOCTURNUM.

LECTIO II.

Caprasius génere nóbilis, egrégiis ánimi dótibus, ceterisque natúræ donis exornátus, à primo juventútis flore, Litterárum et Philosóphiæ stúdio mentem excóluit. Verùm blandientis sibi séculi fallácias métuens, divínâ intùs movente grátiâ, uni Deo placére sollícitus, mundum relínquere státuit. Igitur possessiónibus véndítis, earumque prétio in páuperes erogáto, in solitúdinem se recépit, ubi oratióni assíduæ, jejúnia, vigílias, labórem mánuum, pœniténtiæque austeritátem jungens, vitam duxit angélicam. Cœlestis illíus conversatiónis famâ permóti duo nóbiles adolescentes Honorátus et Venántius, ipsum invisérunt, summis précibus postulantes, ut ipsis dignarétur esse pater ac moderátor in peregrinatióne quam ad visitandas célebres Eremórum Orientis íncolas suscipiébant.

LECTIO III.

Piis ambórum fratrum votis ánnuens Caprásius, qui se peregrínum et hóspitem super terram sciens, nullíus loci affectu tenebátur, licet jam ætáte provectus, ipsos terrâ marique comitátus est. Incedentes ígitur per loca sánguine Mártyrum consecráta, perrexérunt usque in Achaïam, undè, Venántio mórtuo, regressi sunt in Gallias, et Forojúlium venérunt. Ecclésiam hanc tunc regébat, sanctitátis et prudéntiæ laude insignis Leóntius, qui tantæ virtútis viros admirátus, ipsis persuásit, ut in sua Diœcési consísterent. Sancti præsulis hortátu aliquándiu moráti sunt in solitúdine quæ Capo-fulvum dícitur. Indè in ínsulam Lirinensem tránsiens Honorátus, célebre monastérium fundávit, in quo, nolens ab illo separári Caprásius, licèt sénio gravis et Honoráti magister, ejus se disciplínæ subjécit. Honoráto ad sedem Arelatensem assumpto, non minóri ánimi demissióne ejus in monastérii regímine suc-

cessórem Máximum venerátus est Caprásius, qui tandem plenus méritis et confectus sénio migrávit ad Dóminum, et Liríni sepultus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, pro cujus amóre beátus Caprásius, mundi blandimenta declínans, perfectiónis evangélicæ viam ingressus est; ejus nobis intercessióne tríbue, ut spretis vitæ præsentis illécebris, Christum sequi valeámus; Per Dóminum.

Vesperæ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi plurium Mart.*

Collecta, Mártyrum, *infrà.*

Fit Commem. S. Caprasii, Ant. Scimus. ℣. Plantáti, xlix. *Collecta,* Deus, pro cujus, *ut suprà.*

Deindè SS. Marcellini et Petri, Mart. Ant. Beáti. ℣. Multæ, xix. *Collecta,* Da nobis, *infrà.*

DIE II.

SS. POTHINI, EPISCOPI, BLANDINÆ VIRGINIS, ET SOCIORUM, MARTYRUM.

Semiduplex.

LECTIO II.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennensis et Lugdunensis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.

(Euseb. hist. Eccles. L. 5, c. 1.)

Beatissimus Pothínus, Ecclésiæ Lugdunensis Episcopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quò perlátus, prosequéntibus ipsum Magistrátibus civitátis, et universâ plebe váriis eum clamóribus impetente, tanquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus à Præside quisnam esset Christianórum Deus, respondit: Si dignus fúeris, cognosces. Post hæc inhumánè raptátus, et innúmeris plagis affectus est; cùm ii quidem qui própiùs astábant, cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui verò lóngiùs distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans, in cárcerem projectus est; tandemque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus verò neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennensis, cum Blandína ancilla, et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphithéatrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt et bestiárum ipsos,

trahéntium morsus, ipsam postrémò férream cáthedram; cui superpósita Martyrum membra cùm torrerentur, illórum nares molestíssimus nidòr implébat. Hi ergo máximo certámine perfuncti, tandem juguláti sunt. Blandína autem ad palum suspensa, béstiis objecta est. Quæ cùm in crucis spéciem suspensa cernerétur, Deoque intentíssimè supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persóna cérnerent illum qui pro ipsis crucifixus est. Cùmque nulla tunc béstia corpus ejus attigisset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta.

LECTIO III.

Attalus quoque cùm per amphitheátrum circumducerétur, præcedente eum tabellà, in qua Latíno sermóne scriptum erat: Hic est Attalus Christiánus; Præses postquàm civem Románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Cæsarem datis de his qui inclúsi tenebantur. Ineunte igitur solemni apud nos mercátu, Præses addúci jubet Martyres ad tribúnal, tanquam in theatráli pompa eos pópulis ostentans. Cùmque illos dénuò *interrogasset*, quicumque *cives Románi* reperti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis. Céterùm ingens glória accessit Christo per eos qui priùs quidem negáverunt, tunc verò confitebantur fidem. Quibus exámini subjectis, Alexander natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cùm illos ad fídei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant, tanquam partúriens videbátur. Instans íllicò Præses interrogávit eum quis esset. Qui cùm Christiánum se esse dixisset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur unà cum Attalo ingressus est; nam et hunc Præses béstiis ìterùm tradíderat. Ambo ítaque cùm ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuissent, gládio percussi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, unà cum Póntico adolescente quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta supplícia generósè perpessus, emísit spíritum. Beáta verò Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objecta est, à quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

COLLECTA. Orémus.

Martyrum tuórum Pothini

Pontíficis, Blandínæ virgínis, et Sociórum solémnia recensentes; súpplices te, Dómine, deprecámur, ut in tua caritáte radicáti et fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ revelanda est in nobis, invicto ánimo sustinére valeámus; Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. SS. Marcellini et Petri, Ant. Datæ sunt. ℣. In æternum, XXI.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, omnípotens Deus, inter hujus vitæ, discrímina, contínuum grátiæ tuæ præsídium; qui sanctis Martyribus Marcellíno et Petro fídei tuæ constántiam, ut hostem antíquum víncerent, contulisti; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Vesp. *à Capitulo de sancta Clotilde, ut in Communi sanctarum Mulierum, exceptis quæ sequuntur.*

Post Hymnum, ℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Sanctificátus est vir infidélis per mulíerem fidélem. 1. *Cor.* 7.

Collecta, Réspice, quæsumus, Dómine, *infrà*, 439.

Pro Comm. SS. Pothini et Sociorum, Ant. Datæ. ℣. In æternum, XXI. *Collecta*, Mártyrum tuórum, *suprà*.

DIE III.

SANCTÆ CLOTILDIS,

REGINÆ ET VIDUÆ.

Semiduplex.

Omnia de Communi sanctarum Mulierum, exceptis quæ hic habentur propria.

LECTIO II.

Clotildis, Chilperíci regis fília, paréntibus à pátruo Gundobaldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico, ab ipso Gundobaldo in cónjugem trádita est. Quæ cùm primogénitum peperisset, eum, tolerante magis quàm approbante Clodovéo, baptizári jussit. Cùm autem infantis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defuncti mortem ægrè ferret Clodovéus, ac baptismo imputáret, gráviter Clotildem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contemptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuisse. At illa: Deo, inquit, omnipotenti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indignam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíre. Alterum fílium Regína cùm genuisset, hunc quoque baptizári vólnit; et appellátus est Clodoméres. Qui cùm ægrotáre cœpisset, affirmante rege fore ut idem ei

quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit.

LECTIO III.

Ar Régina non cessábat hortári virum, ut, abjectâ idololatríâ, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit; donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum conjúgis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occurrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, à quo Clodovéus fidem edóctus, baptizátus est, et Chrísmate sacro inunctus. Post mortem Clodovéi, Turónos ádiit Clotildis; ibique ad sepulcrum sancti Martíni summâ pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis, aliisque piis opéribus intenta, munífica erga Eclésias et Monastéria. Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodovaldum, Guntárium et Clodoaldum apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónis migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros translata; sepulta est à filiis Childeberto et Clotário régibus ad latus Clodovéi in sacrário Basílicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiescit.

Ad Laudes, *post Hymn.* ℣. Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, ℟. Terríbili apud Reges terræ. *Ps.* 75.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Cùm invocasset ómnium rectórem et Salvatórem Deum, convertit Deus spíritum regis. *Esther* 15.

COLLECTA. Orémus.

Respice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benignus Impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotildis instántiam donum fidei contulisti, iisdem nunc per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum; Per.

Ad Vesperas, *post Hymnum.* ℣: Tríbuat tibi Dóminus secundùm cor tuum: ℟. Et omne consílium tuum confirmet. *Ps.* 19.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. *G.* Tu honorificéntia pópuli nostri, quia fecisti viríliter, et confortátum est cor tuum. *Judith* 15.

Collect. Réspice, *ut suprà.*

DIE V

SANCTI CLAUDII,

EPISCOPI.

Semiduplex.

Pridiè ad Vesp. *Ant. sola,* Suscitábo, *de Communi Pontificum.*

LECTIO II.

Claudius Vesuntionensis Episcopus subscripsit con-

cílio Epaonensi, anno Christi quingentésimo décimo séptimo, et Concílio Lugdunensi, anno sequenti: in quibus multa circa disciplínam ecclesiásticam egrégiè sancíta sunt. Cùm sedem per annos septem summâ cum laude tenuisset, abdicáto Episcopátu, ad Jurense monastérium se cóntulit, ubi monástici institúti régulam professus est.

LECTIO III.

Injurioso illíus cœnóbii sanctíssimo Abbáte vitâ functo, ómnium votis expetítus, in ejus locum suffectus est. Cui monastério per annos quinquaginta deinceps præfuisse tráditur. Dénique longa vitæ spátia emensus, et méritis plenus ábiit ad Dóminum, anno Christi quingentésimo octogésimo primo. Corpus ejus in Jurensi monastério sepultum est, et usque nunc incorruptum et íntegrum magnâ populórum pietáte et frequéntiâ cólitur.

COLLECTA. Oremus.

Deus, sanctórum tuórum lux et via, qui beátum Cláudium à pastoráli sollicitúdine, in solitúdinem abduxisti: exáudi nos propítius, et concéde, ut ejus exemplo et intercessióne honóres fúgere, et in novíssimo loco recúmbere gaudeámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per.

Vesperæ *à Capitulo de sequenti, cum Commem. præcedentis.*

DIE VI.

SANCTI NORBERTI,

EPISCOPI.

Semiduplex.

De Communi Pontificum.

LECTIO II.

Norbertus Sanctis, Clíviæ óppido, in Diœcési Coloniensi, nóbili prosápiâ ortus, relictâ imperatóris aulâ, in Clerum ascriptus est, sacris Diaconátûs et Presbytérii Ordínibus uno die initiátus contra Canones, (quâ de re véniam pósteà pétiit à Gelásio secundo) verbi Dei prædicatióni totum se dedit. Abdicátis beneficiis ecclesiásticis quibus abundábat, et património paupéribus erogáto, austeriórem vitam amplexus est. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidentes ad concórdiam revocávit. Cùm esset Laudúni, à Bartholomæo Episcopo rogátus ne ab ipsíus Diœcési discéderet, desertum in ea locum qui Præmonstrátus dicebátur, sibi delégit; ex quo totus, Ordo, quem ibi sub régula sancti Augustíni instituit, nomen accépit.

LECTIO III.

SACRAMENTARIAM et Adamíticam Tanchelíni hæresim Antuérpiæ grassantem, eò vocátus, profligávit: et qui multò ante oblátum sibi Cameracensem Episcopátum recusáverat, ad Magdeburgensem Archiepiscopátum póstea raptus, Ecclesiásticam disciplínam, præsertímque sacrórum ministrórum cœlibátum constanter propúgnávit. Remis in Concílio Innocéntium secundum egregiè adjúvit; et Romam cum áliis Epíscopis profectus, schisma Petri Leónis compressit, Innocéntio suæ Sedi réddito. Exactis in Pontificátu annis ferè octo, ábiit ad Dóminum anno millésimo centésimo trigésimo quarto, hunc que Gregórius décimus tértius anno millésimo quingentésimo octogésimo secundo in Sanctórum órdinem rétulit.

COLLECTA. Orémus.

DA Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi Norberti pietátem tuam pro ipsa semper exórent, et fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

DIE VIII.

SANCTI MEDARDI,

EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

MEDARDUS apud Salentíacum in pago Viromanduensi natus, à paréntibus piè institútus, oblátus est. Présbyter consecrátus, Viromanduórum Episcopátum, multórum assíduis précibus victus, regendum suscépit; ac Sedem, eò quòd Augusta Viromanduórum à Vándalis et Hunnis eversa esset, Noviómi in óppido muníto collocávit. Interim sanctus Eleuthérius, Tornacensis Epíscopus, móritur. Post cujus exéquias, cùm Clerus et pópulus Tornacensis Medardum sibi dari Epíscopum postulassent, sancto Remígio ceterisque provínciæ Epíscopis annuéntibus, rege et procéribus suâ auctoritáte rem promoventibus, utriusque Ecclésiæ curam suscépit, Episcopális Sedis honóre utríque servato. Flandros, gentem tunc ferócem, convertit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quadragésimo sexto: eumque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas sepelíri jussit, et Basílicam ad ejus túmulum cœpit ædificáre, quam Sigebertus fílius ejus absolvit et ornávit.

COLLECTA. Orémus.

DA, quæsumus, omnipótens Deus, ut beáti Medardi Pontíficis veneranda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem; Per.

DIE XI.

SANCTI BARNABÆ,

APOSTOLI.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 2. D. Multitúdinis credéntium erat cor unum et ánima una: nec quisquam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat. *Act.* 4.

Ant. 6. F. Erant illis ómnia commúnia; et virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri. *Act.* 4.

Ant. 1. a. Grátia magna erat in ómnibus illis, neque quisquam egens erat inter illos. *Act.* 4.

Ant. 5. a. Quotquot possessóres agrórum aut domórum erant, vendentes afferébant prétia eórum quæ vendébant. *Act.* 4.

Ant. 8. G. Ponébant ante pedes Apostolórum: dividebátur autem síngulis, prout cuíque opus erat. *Act.* 4.

Capitulum. (*Deuter.* 33.)

QUI dixit patri suo et matri suæ: Néscio vos; et frátribus suis: Ignóro vos, et nesciérunt fílios suos; hi custodiérunt elóquium tuum, et pactum tuum servavérunt.

℟. Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, * Céntuplum accípiet, et vitam æternam possidébit. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. * Céntuplum accípiet. Glória Patri. * Céntuplum accípiet. *Matth.* 19. *Cant.* 8.

HYMNUS.

CŒLO datur quiéscere,
Terris relictis, Bárnaba:
Solemnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

QUEM propter, agro véndito,
Opes cadúcas déseris,
Magno rependens fœnore
En fundus ipse fit tuus.

TU sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubente sancto Spíritu,
Christi creáris núntius.

QUAS non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps?
Vos unus ambo spíritus,
Vos una junxit cáritas.

QUAM vestra gens Christi fidem

Lucí rebellis réppulit,
Nil hæsitantes bárbaris
Portastis illam géntibus.
FAC, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœleste donum réspuant.
UNI sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. E. Joseph qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis, cùm habéret agrum, véndidit eum, et áttulit prétium, et pósuit ante pedes Apostolórum. *Act.* 4.

Collect. Deus, qui beátum, Bárnabam, *ut infrà ad Laud.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CAPUT córporis Ecclésiæ Dómiuum, * Vénite, adorémus. *Coloss.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Supréme, *ut in Communi Apostolorum*, II.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Bárnabas apprehensum Saulum duxit ad Apóstolos: et narrávit illis quómodò in via vidisset Dóminum, *et quia* locútus est *ei. Act.* 9.

Ant. 2. D. Quidam ex iis qui dispersi fúerant à tribulatióne quæ facta fúerat sub Stéphano, cùm introiissent Antiochíam, loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dóminum Jesum. *Act.* 11.

Ant. 1. *f.* Misérunt Apóstoli Bárnabam usque ad Antiochíam; qui cùm pervenisset, et vidisset grátiam Dei, gavísus est. *Act.* 11.

℣. Ego in Dómino gaudébo, ℟. Et exultábo in Deo Jesu meo. *Cant. Habac.* 3.

Tres Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Bárnabas hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino; * Quia erat vir bonus, et plenus Spíritu sancto et fide. ℣. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos; * Quia erat vir bonus. *Act.* 11. *Tob.* 1.

Post II Lect. ℟. Cùm invenisset Bárnabas Saulum, perduxit Antiochíam; * Et annum totum conversáti in Ecclésia, docuérunt turbam multam: ita ut cognominarentur primùm Antiochíæ discípuli, Christiáni. ℣. Annuntiavérunt opus quod operátus es, Deus, in diébus eórum; * Et annum totum conversáti in Ecclésia, docuérunt turbam multam. *Act.* 11. *Ps.* 43.

Post III Lect. ℟. Discípuli, proùt quisque habébat, proposuérunt singuli

in ministérium míttere habitántibus in Judæa frátribus: quod et fecérunt * Mittentes ad senióres ✠ Per manus Bárnabæ et Sauli. ℣. Prædicátum est ut deferrent síngulí prétium Dómino: lætatique sunt cuncti, et ingressi contulérunt, * Mittentes ad senióres per manus Bárnabæ et Sauli Glória Patri. ✠ Per. *Act.* 11. 2. *Paral.* 24.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. *G.* Erant in Ecclésia quæ erat Antiochíæ, prophétæ et doctóres, in quibus Bárnabas et Saulus. *Act.* 13.

Ant. 3. à. Ministrántibus illis Dómino, et jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum et Bárnabam in opus ad quod assumpsi eos. *Act.* 13.

Ant. 7. b. Jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimisérunt illos. *Act.* 13.

℣. Dómini est assúmptio nostra: ℟. Locútus es in visióne sanctis tuis, Dómine. *Ps.* 88.

LECTIO IV.

Barnabas, qui et Joseph, Levítes, Cyprius génere, agro véndito quem possidébat, prétium áttulit ad pedes Apostolórum: ad quos et postéà Paulum adduxit recens conversum. Jerosólymis Antiochíam missus ab Ecclésia, quæ accéperat quosdam ibi discípulos Dóminum Jesum Græcis annuntiasse, cùm vidisset grátiam Dei, gavísus est, et hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino. Profectus est inde Tarsum ut quæreret Paulum; quem cùm invenisset, perduxit Antiochíam: et annum totum conversáti sunt ibi in Ecclésia, et docuérunt turbam multam; ita ut cognominarentur primùm Antiochíæ discípuli, Christiáni.

℟. Proconsul Sérgius Paulus, accersítis Bárnabâ et Saulo, desiderábat audíre verbum Dei; sed * Resistébat illis Elymas magus, et cécidit in eum calígo. Proconsul autem cùm vidisset factum, crédidit, admírans super doctrína Dómini. ℣. Pósuit Dóminus in eis verba signórum suórum, et prodigiórum in terra. * Resistébat. *Act.* 13. *Ps.* 104.

LECTIO V.

Orta fame ab Agabo prædictâ, collectas eleemósynas ad fratres in Judæa habitantes cum Paulo détulit. Quo expléto ministério revérsi sunt, assúmpto Joanne, cui cognómen erat Marcus. Cùm autem Antiochíæ in Ecclésia cum céteris Prophétis et Doctóribus ministrárent Dómino, et jejunárent, dixit Spíritus sanctus:

Segregáte mihi Saulum et Bárnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimisérunt illos. Itaque Seleúciam venérunt, inde Cyprum : ac multas prætéreà urbes regionesque peragrárunt prædicantes Evangélium, et constituentes per síngulas Ecclésias Presbyteros.

℟. Repléti zelo Judæi contradicébant his quæ dicebantur, blasphemantes. * Tunc constanter Paulus et Bárnabas dixérunt : Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei ; sed quóniam repéllitis illud, ecce convértimur ad Gentes. ℣. Dedérunt húmerum recedentem, et cervícem suam induravérunt, nec audiérunt. * Tunc constanter Paulus et Bárnabas dixérunt. *Act.* 13. 2. *Esdr.* 9.

LECTIO VI.

Cum autem Lystris propter claudum à Paulo sanátum pro diis haberentur, vocarentque turbæ Bárnabam Jovem, Paulum verò Mercúrium, vix deterruérunt turbas ne sibi immolárent. Reversi Antiochíam, ortâ ibi seditióne propter Judæos, qui volébant gentes ad Deum conversas circumcídi, rem ad Apóstolos retulérunt, qui in Concílio Jerosolymitáno super ea re decrétum statuérunt, remiseruntque eos ad Ecclésiam Antiochíæ, adjunctis Judâ et Silâ, scribentes per mánus eórum. Postrémò Bárnabas digressus à Paulo, unà cum Marco navigávit in Cyprum. Multis demum perfunctus pro Christo labóribus, glorióso fine quiévit. Refert Alexander Cyprius corpus ejus in ínsula Cypro, Zenóne imperante, repertum esse, ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, ipsíus Bárnabæ manu conscriptum.

℟. Disseminabátur verbum Dómini : et * Audientes Gentes gavísæ sunt, et glorificábant verbum Dómini ; Judæi autem excitavérunt persecutiónem in Paulum et Bárnabam, et ejecérunt eos de fínibus suis. ℣. Ecce ego, dicit Dóminus, ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum ; expandi manus meas totâ die ad pópulum incrédulum. * Audientes Gentes gavísæ sunt. Glória Patri. * Audientes. *Act.* 13. *Is.* 65.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Bárnabas et Paulus, excusso púlvere pedum, venérunt Icónium ; et illìc fiduciáliter agébant in Dómino, testimónium perhibente verbo grátiæ suæ. *Act.* 13 *et* 14.

Ant. 5. a. Cùm factus esset ímpetus Gentílium et Judæórum, ut contuméliis

afficerent et lapidárent eos, confugérunt ad civitátes Lycaóniæ; et ibi evangelizantes erant. *Act.* 14.

Ant. 4. f. Sacerdos Jovis volébat sacrificáre : quod ubi audiérunt Bárnabas et Paulus, conscissis túnicis suis, vix sedavérunt turbas, ne sibi immolárent. *Act.* 14.

℣. Non nobis, Dómine, sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdia tua et veritáte tua. *Ps.* 113.

LECTIO VII

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 10.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(In Matth. Homil. 34, num. 1.)

Postquam Dóminus omnem curam à discipulórum ánimis ejécerat, ac signórum spectáculo muníerat, et quasi férreos adamantinosque reddíderat, seculáribus ómnibus superióres, et ab omni temporánea sollicitúdine liberátos; demum illa prædícit mala quæ ipsos invasúra erant, non solùm ea quæ paulò post futúra, sed étiam ea quæ post multùm témporis erant eventúra, diu ante illos ad bellum præparans contra diábolum suscipiendum. Multa enim hinc bona emergébant. Primò, quòd ipsíus præsciéntiæ vim agnóscerent; secundò, quòd nemo suspicári posset hæc mala ob doctóris imbecillitátem eveníre; tértiò, ne ii qui hæc passúri erant, percellerentur, si hæc inexpectáta et præter spem accidissent; quartò, ne hæc crucis témpore audientes turbarentur.

℟. Bárnabas et Paulus exiliérunt in turbas, clamantes et dicentes : Viri, quid hæc fácitis? * Et nos mortáles sumus, símiles vobis hómines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum qui fecit cœlum et terram. ℣. Omnes dii populórum, idóla; Dóminus autem cœlos fecit; * Et nos mortáles. *Act.* 14. 1. *Paral.* 16.

LECTIO VIII.

Jam verò ut intélligant novam esse hanc bellandi legem, et inaudítum aciéi modum, cùm nudos mittat, unâ indútos túnicâ, sine cálceis, sine virga, sine cíngulo vel perâ, quos ali jubet ab excipiéntibus, non hìc finem dicendi facit; sed suam ostendens ineffábilem poténtiam, dicit : Sic abeuntes óvium mansuetúdinem exhibéte, etiamsi contra lupos itúri, nec modò contra lupos, sed étiam in

médio lupórum. Neque tantùm óvium mansuetúdinem jubet habére, sed simplicitátem columbæ. Sic præsertim meam ostendam fortitúdinem, cùm oves lupos vícerint, etiamsi in médio lupórum sint, et innúmeris mórsibus lacerentur, nec modò non deleantur, sed étiam lupos convertant.

℟. Numquid non habémus potestátem manducandi et bibendi, sicut et céteri Apostóli? * An ego solus et Bárnabas non habémus potestátem hoc operandi? Sed non usi sumus hâc potestáte, ne quod offendículum demus Evangélio. ℣. Dixit Dóminus ad Aáron: Pro offício sacerdotáli accípies de his quæ sanctificantur et obláta sunt: in sanctuário cómedes. * An ego solus et Bárnabas. 1. *Cor.* 9. *Num.* 10.

LECTIO IX.

Majus certè atque mirabílius est voluntátem adversariórum mutáre, animumque transformáre, quàm illos occídere: et hæc cùm illi duódecim essent tantùm, et totus orbis lupis esset plenus. Erubescámus ígitur qui contrà facientes quasi lupi inimícos invádimus. Quámdiu enim oves sumus, víncimus; atque etsi innúmeris circúmdati lupis, superámus. Si verò lupi efficiámur, víncimur: Pastóris quippe auxílio destitúimur. Non enim ille lupos, sed oves pascit: tunc autem te relinquit, ac discédit; quia non sinis illum virtútem suam osténdere.

℟. Reversi sunt Bárnabas et Paulus per civitátes, confirmantes ánimas discipulórum, exhortantesque ut permanérent in fide, et * Quóniam per multas tribulatiónes oportet nos intráre in regnum Dei. ℣. Vos scitis quanta fécimus, et angústias quales vídimus; * Quóniam per multas. Glória Patri. * Quóniam per multas. *Act.* 14. 1. *Mach.* 13.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Euntes ibant et flebant, mittentes sémina sua: ℟. Vénient cum exultatióne, portantes manípulos suos. *Ps.* 125.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Bárnabas et Paulus, cùm constituissent per síngulas Ecclésias Presbyteros, et orassent cum jejunatiónibus, commendavérunt eos Dómino, in quem credidérunt. *Act.* 14.

Ant. 8. c. Cùm venissent Antiochíam, unde erant tráditi grátiæ Dei, in opus quod complevérunt, retulérunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset Géntibus óstium fídei. *Act.* 14.

Ant. 6. F. Descendentes quidam de Judæa, docébant: Quia nisi circumcidámini, non potestis salvári. *Act.* 15.

Ant. 1. a. Statútum est ut ascénderent Paulus et Bárnabas ad Apóstolos : illi ergo deducti ab Ecclésia, pertransíbant narrantes conversiónem Géntium. *Act.* 15.

Ant. 4. d. Cùm venissent Jerosólymam, suscepti sunt ab Ecclésia, et ab Apostólis, et à senióribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. *Act.* 15.

Capitulum. (*Act.* 15.)

TACUIT omnis multitúdo, et audiébant Barnábam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodígia in Géntibus per eos.

Hymnus, Quem misit, *ut in Communi Apostolorum*, VII.

℣. Annúntient nomen Dómini, et laudem ejus in Jerúsalem, ℟. In conveniendo pópulos in unum. *Ps.* 101.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Jacóbus, Cephas et Joannes dextras dedérunt mihi et Bárnabæ societátis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisiónem : tantùm ut páuperum mémores essémus. *Gal.* 2.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui beátum Bárnabam, plenum fide et Spíritu sancto, ad opus conversiónis Géntium assúmere dignátus es : concéde propítius, ut mémores labóris et caritátis ejus, dignè Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur; Per eumdem..... in unitáte ejusdem.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Bárnabas et Paulus.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Cùm venissent.

Capitulum. (*Rom.* 9.)

GENTES quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam; justítiam autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justítiæ, in legem justítiæ non pervénit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex opéribus.

℟. *br.* Elégit nobis Dóminus * Hæreditátem suam. Elégit. ℣. Subjécit pópulos nobis * et gentes * Hæreditátem. Glória. Elégit. *Ps.* 46.

℣. In conspectu Géntium revelávit justítiam suam : ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Descendentes.

Capitulum. (*Galat.* 2.)

SUBINTROIÉRUNT falsi fratres exploráre libertátem nostram quam habémus in Christo Jesu, ut nos in servitútem redígerent, quibus neque ad horam céssimus subjectióne, ut véritas Evangélii permáneat apud vos.

℟. *br.* Iníquè non égimus * In testamento tuo, Dómine. Iníquè. ℣. Et non reces-

sit retrò * cor nostrum, * In. Glória. Iniquè. *Ps.* 43.

℣. Confirmáta est super nos misericórdia ejus, ℟. Et véritas Dómini, manet in æternum. *Ps.* 116.

AD NONAM.

Ant. 4. d. Cùm venissent.

Capitulum. (2. *Cor.* 4.)

ABDICAMUS occulta dedécoris, non ambulantes in astútia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatióne veritátis commendantes nosmetipsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

℟. *br.* In Deo * Laudábimur totâ die. In Deo. ℣. Et in nómine tuo * confitébimur in séculum: * Laudábimur. Glória. In Deo. *Ps.* 43.

℣. Narrantes laudes Dómini, et virtútes ejus, ℟. Et mirabília ejus quæ fecit. *Ps.* 77.

AD II. VESPERAS.

Ant. 8. *G.* Plácuit Apostólis et senióribus viros míttere Antiochíam cum Paulo et Bárnaba, scribentes per manus eórum. *Act.* 15.

Ant. 3. c. Descendérunt Antiochíam; et congregátâ multitúdine, tradidérunt epístolam; quam cùm legissent gavísi sunt super consolatióne. *Act.* 15.

Ant. 7. c. Paulus et Bárnabas demorabantur Antiochíæ docentes et evangelizantes cum áliis plúribus verbum Dómini. *Act.* 15.

Ant. 6. C. Dixit ad Bárnabam Paulus: Revertentes visitémus fratres, quibus prædicávimus verbum Dómini. *Act.* 15.

Ant. 2. D. Bárnabas, assumpto Marco, navigávit in Cyprum; Paulus verò, electo Sylâ, perambulábat Syriam. *Act.* 15.

Capitulum. (2. *Cor.* 2.)

DEO grátias qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

Hymnus, Cœlo datur, *ut suprà.*

℣. Dedisti nos tanquam oves escárum; ℟. Et in géntibus dispersisti nos. *Ps.* 43.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. D. Bárnabas et Paulus tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

DIE XIII.

SANCTI ANTONII,

LIRINENSIS MONACHI.

Simplex.

De Communi Monach.

LECTIO III.

ANTONIUS, Valériæ in fínibus Pannóniæ, nóbili génere natus, mórtuo patre, à quo

istiánæ pietátis princí-
imbútus fúerat, primùm
:to Severíno Austriæ ac
áriæ Apóstolo, deindè
ruo suo Constántio Epí-
po adhæsit. Sub utrius-
disciplína ádeò in vir-
: profécit, ut in clerum
ptátus, céteros omnes
:táneos suos longè antecel-
rit. Solitáriæ vitæ amóre
ensus, erémum pétiit;
ùm crescente in dies sanc-
tis ejus famâ, ut se im-
túñæ populórum affluén-
subdúceret, post várias
órum mutatiónes, tan-
ı ad Lirinense Monastén-
m se cóntulit. Ibi virtú-
ı ómnium exemplar fac-
, sanctíssimos erémi ejus
olas magno perfectiónis
idério inflammávit. Post
ınium, austeritátibus
ctus et méritis cumulá-
ábiit ad Dóminum, mul-
ue post mortem cláruit
áculis.

ollect. Quæréntium, XLVII.

DIE XV.

S. CRESCENTIS,

IMI VIENNENSIS EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

ATUM Crescentem Após-
Pauli discípulum ab ipso
Gállias directum, ut ibi
ngélium prædicáret, tes-
:ur inter véteres Ecclé-
Scriptóres Eusébius Cæ-
sariensis, sanctus Epiphánius
ac Theodorétus, qui eum
esse contendunt quem Pau-
lus ad Timótheum scribit in
Galátiam, seu, ut interpre-
tantur, in Gálliam abiisse.
Hanc senténtiam fírmiter
tenent Ecclésiæ Viennensis
et Moguntína, quæ à Cres-
cente fundátas se ac guber-
nátas gloriantur. Idem do-
cent ómnia ferè Martyrológia, in quibus légitur Cres-
centem primùm quidem in
Galátia Christum annun-
tiasse, indè in Gállias trans-
euntem, verbo prædicatió-
nis multos ad fidem conver-
tisse, redeuntem verò ad
gentem cui speciáliter datus
erat Epíscopus, cùm Gálatas
ipsos usque ad extrémam se-
nectútem in ópere Dómini
confirmasset, demùm glo-
rióso fine quievisse.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui ad géntium illu-
minatiónem beátum Cres-
centem Pontíficem prædica-
tiónis Evangélicæ glóriâ de-
corasti; præsta, ut quos per
ipsíus documenta esse do-
nasti fidéles, meritórum
imitatóres esse concédas;
Per Dóminum nostrum Je-
sum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in
unitáte Spíritûs.

VESP. *de Psalterio, à Capitulo de SS. Cyrico et Julitta, ut in Communi plur. Mart. Collecta,* Pietátem, *infrà.*

DIE XVI.

SS. CYRICI ET JULITTÆ

MATRIS EJUS, MARTYRUM.

Simplex.

LECTIO III.

Cyricus et Julitta ex Lycaóniæ civitáte Icónio, nóbili génere nati, Tarsi in Cilícia sub Diocletiáno Imperatóre martyrium consummárunt. Cyricus triennis infántulus, cùm Julittæ matris cruciátus, quæ coram Alexandro præside Christum libérrimè professa, crudis nervis immaníssimè lacerabátur, implacábili ejulátu defléret: pedibusque et mánibus Præsidi, qui eum génibus suis imposúerat, pro víribus obnítens, Christiánum se esse proclamáret, ab eo ex alto tribunáli in subjectos gradus lapídeos projectus, et contrítus intériit. Julitta verò in ligno suspensa, férreis pectínibus dilaniáta, pice bullienti perfúsa, martyrii sui cursum, cápitis obtruncatióne complévit, anno círciter trecentésimo quarto. Celebérrima est illórum sanctórum Mártyrum per totam Gálliam memória, ex quo sanctus Amátor Autissiodorensis ex orientáli peregrinatióne redux, eórum córpora in Gálliam fertur transtulisse.

COLLECTA. Orémus.

Pietatem tuam, Dómine, súpplices deprecámur, ut dum sanctórum Cyrici et Julittæ matris ejus passiónem cólimus, peccatórum véniam consequámur; Per.

DIE XIX.

SS. GERVASII

ET PROTASII, MARTYRUM.

Semiduplex.

De Communi plurium Martyrum.

In I. Vesp. *Ant. sola*, Venit hora. *Collecta*, Mártyrum, *infrà*.

Fit Commem. S. Romualdi, Abbatis. Ant. Egrédere. ℣. Potens, XLIII. *Oratio*, Da nobis, quæsumus, XLVII.

LECTIO II.

Ex Epístola sancti Ambrósii Episcopi ad Marcellínam sorórem.

(Epist. 22, n. 7, 10, 12 et 13.)

Principes pópuli quos álios nisi sanctos Mártyres æstimáre debémus, quorum jam in númerum diu antè ignoráti Protásius Gervasiusque proferuntur, qui stérilem Martyribus Ecclésiam Mediolanensem, jam plurimórum matrem filiórum, lætári passiónis própriæ fecérunt et títulis et exemplis? Grátias tibi, Dómine Jesu, quòd hoc témpore tales no-

bis sanctórum Mártyrum spíritus excitasti, quo Ecclésia tua præsídia majóra desíderat. Cognoscant omnes quales ego propugnatóres requíram, qui propugnáre possint, impugnáre non sóleant. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant. Tales ego ámbio defensóres, tales mílites hábeo, hoc est, non séculi mílites, sed mílites Christi. Sanctórum Mártyrum cognitiónem quam illi amisérunt, nos adepti sumus. Eruuntur nóbiles relíquiæ è sepulcro ignóbili; ostenduntur cœlo trophæa; sánguine túmulus madet; appárent cruóris triumphális notæ; inviolátæ relíquiæ loco suo et órdine repertæ; avulsum húmeris caput. Nunc senes répetunt audisse se aliquando horum Mártyrum nómina, titulumque legisse. Perdíderat cívitas suos Mártyres, quæ rápuit aliénos. Et si hoc Dei munus est, tamen grátiam quam tempóribus sacerdótii mei Dóminus Jesus tríbuit, negáre non possum: et quia ipse martyr esse non méreor, hos vobis Mártyres acquisívi. Succédant víctimæ triumpháles in locum ubi Christus hóstia est: sed ille super altáre, qui pro ómnibus passus est; isti sub altári, qui illíus redempti sunt passióne.

De sancto Romualdo,

LECTIO III.

Romualdus Camaldulensis Institúti auctor, Ravennæ nóbili genére natus, adolescens in propinquum Classense monastérium secessit. Deinde verò ad Marínum severióre disciplínâ célebrem virum se cóntulit, ut ad arctam et sublímem perfectiónis viam eo duce uterétur. Quâ vivendi ratióne, Sérgium patrem, multosque illustres viros, ac præter céteros Urséolum Venetiárum Ducem, et Gradénicum nóbilem Vénetum, ad húmiles erémi casas adduxit. Pósteà venit in Gálliam Narbonensem, ad monastérium sancti Michaélis de Cusáno, cum Urseólo, Gradénico et Maríno, secútus Varínum Abbátem, qui ex Aquitánia in Itáliam peregrinatiónem suscéperat: ibique cùm in solitúdine prope ejus monastérium annos plures exegisset, mórtuo Urséolo, in Itáliam cum sóciis reversus est, ubi restítuit ac mirífice propagávit eremíticam disciplínam. Dénique exactis in summa vitæ asperitáte plúribus annis, quiévit circa annum Christi millésimum vigésimum séptimum. Quinquénnio post data est Mónachis ab Apostólica Sede licéntia altáris super corpus ejus construendi, qui erat

eo témpore canonizandi ritus. Ejus vitam scripsit sanctus Petrus Damiáni, Cardinális.

COLLECTA. Orémus.

MARTYRUM tuórum, Dómine, Gervásii et Protásii palmas ánnuâ celebratióne venerantes; súpplices te rogámus, ut quos cœlesti glória sublimasti, nobis pérpeti suffrágio concédas subvénire; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitáte Spíritûs sancti.

Pro Commem. S. Romualdi, Abb. Ant. Ecce ego. ℣ Veníte. *Oratio*, Da nobis, XLVII.

DIE XXI.

SANCTI SYLVESTRI,

PAPÆ.

Semiduplex.

Omnia de Communi Pontificum. In I Vesp. Ant. sola, Suscitábo.

LECTIO II.

SYLVESTER, Ecclésiæ Románæ Présbyter, tanta cum laude in eo múnere se gessit, ut post Melchíadem Póntifex fúerit electus. Hujus tempóribus Concílium Areláte coactum est è diversis Gálliæ, Itáliæ, Africæ, Hispániæ Británniæque Provínciis; in quo inter ália statútum est, ut uno eodemque die Pascha per orbem universum peragerétur. De non repetendo hæreticórum baptísmate lex quoque sancíta est contra Donatistas, et Cæciliáni Carthaginensis Epíscopi causa dijudicáta. Cùm huic Concílio Sylvester adesse non potuisset, ad eum hisce verbis Patres scripsérunt. Utinam, frater dilectíssime ad hoc tantum spectáculum interesse tanti fecisses! Te páriter nobiscum judicante, cœtus noster majóre lætítiâ éxultasset. Rogábant ínsuper ut quæ in Concílio gesta essent, necnon éditi Cánones, per eum qui majóres Diœcéses tenébat, ómnibus insinuarentur.

LECTIO III

SUB ejus Pontificátu, Maximíno, Licinioque devictis, atque orbi per Constantínum datâ pace, instaurátæ sunt Basílicæ, sacri præscripti ritus, et indicta váriis in locis Concília. Verùm diuturnâ pace frui non lícuit: nefárium enim Arii dogma, qui Verbi divinitátem ausus est impugnáre, Ecclésiam novâ tempestáte agitávit. Accessérunt váriæ de Páschate dissensiónes, quæ in Oriente recrudúerant. His comprimendis hábitum est Nicææ in Bithynia Concílium trecentórum et octódecim Episcopórum, cui Synodo Sylvester interesse non pótuit: sed qui ab

eo missi sunt, ejus vice præfuérunt. In eo Concílio proscripta Arii impíetas : éditum fídei symbolum ; et lata lex de Páschate, uno eodemque die in pósterum celebrando. His felíciter peractis, Sylvester Ecclésiam adhuc per decénnium gubernávit ; et virtútum annorumque plenus, diem extrémum clausit circa annum Dómini trecentésimum trigésimum quintum.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Sylvestrum ad sedem Apóstoli tui Petri evectum, et fídei firmitáte, et vitæ integritáte illustrem effecisti, ejus méritis et intercessióne tales Ecclésiæ tuæ próvide pastóres, qui fidélibus tuis sincéræ doctrínæ præbeant alimentum, et rectæ conversatiónis ministrent exemplum ; Per Dóminum.

Ad Vesp. *fit à Capitulo de S. Paulino, Episcopo, de Communi Pontif. Collecta*, Deus, qui ómnia, *ut infrà*.

Pro Commem. S. Sylvestri, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, xxviii. *Collecta*, Deus, qui, *ut suprà*.

DIE XXII.

SANCTI PAULINI,

EPISCOPI.

Semiduplex

LECTIO II.

Paulinus, consulári et patrício génere natus Hebromagi in Santónia, pátrio in óppido ad Garumnam flúvium haud procul à Burdégala, rhetóricis et poéticis ártibus ab Ausónio institútus est. Património peramplo potítus, ac in ipso juventútis flore Consulátum consecútus, Therásiam piam ac locúpletem mulíerem uxórem duxit, è qua post longa vota fílius ei in Hispánia, quò cum uxóre ob negótia profectus fúerat, natus est ; qui sub octávum ab ortu diem Complúti óbiit. Circa annum vitæ suæ trigésimum octávum à Delphíno Burdegalensi Epíscopo baptizátus, relictâ cognatióne in Hispániam soli Deo vacatúrus rédiit, Therásiâ à viri propósito non dissentiente. Sed cùm virtus ejus latére non posset, Barcínone, facto in eum multitúdinis ímpetu, die Natális Dómini presbyterum se ordinári à Lámpio Barcinonensi Epíscopo passus est, eâ tamen lege ut Ecclésiæ Barcinonensi non alligarétur, in sacerdótium tantùm Dómini, non in locum Ecclésiæ consecrátus.

LECTIO III.

Inde, post facultátes, étiam conjugáles, in Gállia potíssimùm paupéribus erogátas, in Itáliam profectum, ut Nolæ, juxta quam prædium ipsi erat, ad túmulum sanc.i

Felícis réliquum vitæ Deo servíret, sanctus Ambrósius Clero suo ascríbere vóluit; ut, etsi diversis in locis dégeret, ipsíus présbyter censerétur. Romæ, multórum de Clero invídiâ laborávit. Nolæ dénique postquàm per séxdecim annos mónachi vitam egïsset, ejusdem civitátis Episcopátum suscípere coactus est. Vastántibus pósteà Nolam Gothis, Paulínus ex opulentíssimo dívite, ut sanctus Augustínus scribit, voluntáte paupérrimus, et copiosíssimè sanctus, cùm ab eis tenerétur, sic in corde suo precabátur: Dómine, non excrúcier propter aurum et argentum; ubi enim sunt ómnia mea tu scis. Tandem cùm láterum dolóre correptus esset, cubículum in quo jacébat, terræ motu contrémuit; ac paulò post ánimam Deo réddidit, anno salútis quadringentésimo trigésimo primo. Multa eleganter scripsit vérsibus et solútâ oratióne. Hunc sanctus Martínus discípulis imitandum proponébat, suumque séculum felix judicábat tantæ fídei virtutisque documento. Hunc et sanctus Hiéronymus ferventíssimæ fídei presbyterum; beátus autem Euchérius Lugdunensis peculiáre Gálliæ exemplum, ac ubérrimum eloquéntiæ fontem appellábat. Ejus relíquiæ post multos annos Romam delátæ, in Ecclésia sancti Adalberti, quæ nunc sancti Bartholomæi in Insula dícitur, collocátæ sunt.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui ómnia pro te relinquéntibus, in hoc século céntuplum, et in futúro vitam æternam promisisti: concéde propítius, ut sancti Pontíficis Paulíni vestígiis inhærentes, peritúra contemnámus, et ad sola mansúra suspirémus; Per Dóminum nostrum.

DIE XXIII.

IN VIGILIA NATIVITATIS

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Simplex.

Officium de Feria occurrente, exceptis quæ sequuntur.

An Noct. *Lectiones duæ priores de Scriptura occurrente; è tribus fiunt duæ.*

Duo ℟℣. *priora de Tempore.*

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

Fuit in diébus Heródis regis Judææ Sacerdos quidam, nómine Zacharías, de vice Abía; et uxor illíus de filiábus Aáron, et nomen ejus Elízabeth. Erant autem justi ambo ante Deum. Et réliqua

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

(Comment. in Luc. Lib. 1, n. 15 et 16.)

DOCET nos Scriptúra divína non solùm mores in iis quæ prædicábiles sunt, sed étiam parentes oportére laudári, ut véluti transmissa immaculátæ puritátis hæréditas in iis quos vólumus laudáre, præcellat. Quæ enim ália inténtio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi ut sanctus Joannes Baptista nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, passióne? Sic étiam sancti Sámuel mater Anna laudátur: sic Isaac à paréntibus nobilitátem pietátis accépit, quam pósteris derelíquit. Sacerdos ítaque Zacharías, nec solùm sacerdos, sed étiam de vice Abía, id est, nóbilis inter superióres famílias. Et uxor, inquit, ejus de filiábus Aáron. Non solùm ígitur à paréntibus, sed étiam à majóribus sancti Joannis nobílitas propagátur; non seculári potestáte sublímis, sed religiónis successióne venerábilis. Tales enim majóres habére débuit prænúntius Christi, ut non repentè conceptam, sed à majóribus acceptam, et ipso infúsam jure natúræ prædicáre fidem Domínici viderétur adventûs.

℟. Ne tímeas, Zacharía; quóniam exaudíta est deprecátio tua: et * Uxor tua Elízabeth páriet tibi fílium, et † Vocábis nomen ejus Joannem. ℣. Dixit Deus: Benedícam uxóri tuæ, et ex illa dabo tibi fílium cui benedictúrus sum: * Uxor tua. Glória. † Vocábis. *Luc.* 1. *Gen.* 17.

AD LAUDES, *post Hymnum.*

℣. Propè timentes eum salutáre ipsíus: ℟. Ut inhábitet glória in terra nostra. *Ps.* 84.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. d. Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis; præíbis enim antè fáciem Dómini, paráre vias ejus. *Luc.* 1.

Preces flexis genibus.

COLLECTA. Orémus.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Deinde fiunt Commemorationes communes.

AD HORAS, *Preces flexis genibus.*

DIE XXIV.

IN NATIVITATE
SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

SOLEMNE - MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 8. *G.* Cum sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suæ, appáruit illi Angelus Dómini stans à dextris altáris incensi. *Luc.* 1.

Ant. 3. a. Ne tímeas, Zacharía, exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elízabeth páriet tibi fílium. *Luc.* 1.

Ant. J. Vocábis nomen ejus Joannem: et erit gáudium tibi, et exultátio; et multi in nativitáte ejus gaudébunt. *Luc.* 1.

Ant. 5. a. Vinum et síceram non bibet; et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ. *Luc.* 1.

Ant. 4. *D.* Multos filiórum Israel convertet ad Dóminum Deum ipsórum, et præcédet paráre Dómino plebem perfectam. *Luc.* 1.

Capitulum. (*Malach.* 4.)

Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, antequàm véniat dies Dómini magnus et horríbilis; et convertet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum: ne fortè véniam, et percútiam terram anathémate.

℟. Erit magnus coram Dómino: * Et ipse præcédet ante Dóminum in spíritu et virtúte Eliæ, ut convertat corda patrum in fílios, et incrédulos ad prudéntiam justórum. ℣. Scriptus est Elías in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob: * Et ipse præcédet ante Dóminum. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Luc.* 1. *Eccli.* 48.

HYMNUS

Christe, prolapsi reparátor orbis,
Ut tuum casto celebrémus omnes
Ore Baptistam, máculas profáni
Elue cordis.
Hunc paratúrum Dómino sequenti
Sémitam prisci cecinêre vates:
Vátibus cunctis fuit ipse major,
Júdice Christo.
Hic et inclúsus genítricis alvo,

NATIVITÉ DE N-SEIGNEUR

Déposé.

Sentit exultans Dóminum latentem;
Jamque cœlesti trépidat veníre
Obvius Agno.
Quid fide pendes dúbiâ, Sacerdos?
Muta torpébit tibi vox: at infans
Prótinus nascens pátriæ resolvet
Víncula linguæ.
Quin repromissam, subítus Prophéta,
Cernis humáno géneri salútem;
Núntias pacem, reserasque fatis
Grándibus ora.
Gaudet admírans pópulus stupetque:
Quis puer, clamant, erit iste, cujus
Se statim prodit manifesta tantis
Glória signis?
Laus sit æternæ sua Trinitáti,
Quæ novam mundo paritúra lucem,
Prævium Soli vóluit Joannem
Súrgere sidus.
Amen.

℣. Suscepisti me, Dómine de útero matris meæ: ℟. Confitébor tibi, quia mirabília ópera tua. *Ps.* 138.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? Et respondens Angelus, dixit: Ecce non póteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis. *Luc.* 1.

Collecta, ut infrà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capitulum de Feria.

Ant. 4. D. Joannes venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine. *Joan.* 1.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 7. a. Ipse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis. *Eccli.* 49.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Agnum Dei à Joanne demonstrátum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Exiit cunis pretiósus infans,
Munus excelsi; venit ut tenello
Córpori robur, nova ditat intùs.
Grátia mentem.
Jamque conventus fúgiens profános,
Hórridis blandâ procul urbe lustris,
Mílitem Christo parat, innocentes
Sævus in artus
Cinctus hirsúti spóliis caméli,
Arido vitam toleráre victu,
Gaudet, insulsas médicans agresti
Melle locustas.

Scilicet, sacrâ stimulante flammâ,
Pérfidam natus renováre gentem,
Ad patrum mentes revocábit olim
Corda népotum.
Qui creat mundum, sit honos Parenti;
Laus tibi compar, Reparátor orbis:
Æquus ambórum sit honor per omne
Tempus Amóri.
Amen.

Psalmi de Dominica et sic in toto Officio.

IN I.º NOCTURNO

Ant. 1. *D.* Zacharías et uxor illíus Elízabeth erant justi ante Deum; incedentes in ómnibus mandátis Dómini. *Luc.* 1.

Ant. 2. D. Non erat illis fílius, eò quòd esset Elízabeth stérilis, et ambo processissent in diébus suis. *Luc.* 1.

Ant. 4. E. Et ecce Elízabeth concépit fílium in senectúte sua; quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1.

℣. Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi, ℟. Et bene patientes erunt. *Ps.* 91.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 40.)

Vox clamantis in deserto: Paráte viam Dómini, rectas *fácite in* solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur: et erunt prava in directa, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est.

℟. Concépit Elízabeth, et occultábat se ménsibus quinque, dicens: * Quia sic fecit míhi Dóminus in diébus quibus respexit auferre oppróbrium meum inter hómines ℣. Exaltábitur senectus mea in misericórdia úberi; * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 91.

LECTIO II.

De Jeremía Prophéta.

(Cap. 1.)

Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priusquàm te formárem in útero, novi te; et ántequàm exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus: Ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere: Puer sum; quóniam ad ómnia quæ mittam te, ibis: et universa quæcumque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas à fácie eórum, quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum: et dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo:

Ecce constítui te hódiè super gentes, et super regna, ut evellas, et déstruas, et disperdas et díssipes, et ædífices et plantes.

℟. Intrávit María in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth; * Et factum est ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus. ℣. Prævenisti eum, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis. * Et. *Luc.* 1. *Ps.* 20.

LECTIO III.

De Malachía Prophéta.

(Cap. 4.)

ORIETUR vobis timéntibus nomen meum sol justítiæ, et sánitas in pennis ejus; et egrediémini, et saliétis sicut vituli de armento. Et calcábitis ímpios, cùm fúerint cinis sub planta pedum vestrórum, in die quâ ego fácio, dicit Dóminus exercítuum. Mementóte legis Móysi servi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam ántequàm véniat dies Dómini magnus, et horríbilis; et convertet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum: ne fortè véniam et percútiam terram anathémate.

℟. Repléta est Spíritu sancto Elízabeth, et exclamávit voce magnâ: Unde hoc mihi, ut veniat mater Dómini mei ad me? * Ecce Exultávit in gáudio infans in útero meo. ℣. Experimento dídici quia benedíxerit mihi Deus propter te. * Ecce. Glória Patri. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Luc.* 1. *Genes.* 30.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Elízabeth implétum est tempus pariendi, et péperit fílium. *Luc.* 1.

Ant. 1. g. Audiérunt vicíni et cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa; et congratulabantur ei. *Luc.* 1.

Ant. 6. F. Venérunt circumcídere púerum; et mater ejus díxit: Vocábitur Joannes. *Luc.* 1.

℣. O Dómine, quia ego servus tuus: ℟. Ego servus tuus, et fílius ancillæ tuæ. *Ps.* 115.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 292, de Nativ. S. J. B.)

NATIVITATIS Joannis dies hodiernus tráditur, hódie celebrátur. Hoc majórum traditióne suscépimus; hoc ad pósteros imitandâ devotióne transmíttimus. Quâ re pósitâ, occurrit quæstio non prætereunda: Quare natálem, quo est ortus ex útero Joannes, pótiùs celebrámus, quàm cujúslibet Apóstoli, vel Mártyris, vel Prophétæ, vel Patriarchæ? Si interro-

gémur, quid respondébimus? Quantùm mihi vidétur, quantùm meárum virium mediocritáti occurrit, hæc causa est: Discípuli Dómini nati sunt, et per ætátis accessum ad annos capacióres perducti, in discipulátum assumpti sunt: illórum pósteà fides Dómino adhæsit, sed nullíus illórum natívitas Dómino militávit. Recordémur et Prophétas, recolámus Patriarchas: nati sunt hómines, ætátis accessu repléti Spíritu sancto prophetavérunt Christum. Nati sunt, ut pósteà prophetárent. Joannis autem ipsa natívitas Dóminum Christum prophetávit, quem conceptum ex útero salutávit.

℟. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum. Et póstulans pugillárem, scripsit: * Joannes est nomen ejus: et miráti sunt universi. ℣. Vocábitur nomen quod os Dómini nominábit. * Joannes. *Luc.* 1. *Is.* 62.

LECTIO V.

(Cap. 2.)

Hic Joannes non invenítur inter discípulos Dómini, sed invenítur pótius discípulos habuisse cum Dómino. Quid est hoc? Quid est iste homo? Homo tantus: quis homo tantus? Tamen non sequebátur inter discípulos Dóminum, et sequebantur eum discípuli: absit ut dicam contra Dóminum, sed tamen quasi extra Dóminum. Discípulos habébat Christus, discípulos habébat Joannes: docébat Christus, docébat Joannes. Quid jam dicam? Baptizábat Joannes, baptizábat Christus. Plus hìc de baptismo dico: à Joanne baptizátus est Christus. Magna jam eminére causa cœpit, quâ fúerat et Christus à Patre mittendus, et Joannes à Christo præmittendus. Prior missus est Joannes; sed sicut ab obsequéntibus antecéditur judex. Postérior homo creátus est Christus; sed Joannem creávit Deus Christus.

℟. Apertum est íllico os Zacharíæ, et replétus est Spíritu sancto; et prophetávit, dicens: Tu, puer, Phophéta Altíssimi vocáberis; * Præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus. ℣. Noli dícere: Puer sum, dixit Dóminus; quòniam ad ómnia quæ mittam te ibis; * Præíbis. *Luc.* 1. *Jerem.* 1.

LECTIO VI.

Erat ígitur Joannes homo perfectus quidem, et cujus tanta grátia commendáta est, ut ipse de illo Dóminus díceret: In natis muliérum nemo exurrexit major Joanne Baptistâ. Iste ergo tam magnus agnoscit Dóminum in parvo magnum: agnoscit homo eum qui vénerat ho-

mo Deus. Si enim in natis mulíerum, hoc est, in homínibus, nemo exurrexit major Joanne Baptistâ; quisquis Joanne plus est, non tantùm homo, sed et Deus est. Débuit ergo tantus iste et discípulos próprios habére; et cum discípulis suis magistrum ómnium Christum cognóscere. Quod enim est majus testimónium veritátis, quàm se humiliando eum agnóscere, cui æmulando póterat invidére? Putári Christus pótuit, et nóluit. Dixérunt hómines, cùm fallerentur in eo: Num fortè hic est Christus? Respondit ille quòd non erat, ut manéret quod erat. Inde quippe Adam lapsus pérdidit quod erat, quia id quod non erat usurpávit.

℟. Puer crescébat, et confortabátur spíritu: * Et erat in desertis usque in diem ostensiónis suæ ad Israel. ℣. Crevit puer, et benedixit ei Dóminus, cœpitque Spíritus Dómini esse cum eo; * Et erat in desertis. Glória Patri. *Repet.* ℟. Puer, *usque ad* ℣. *Luc.* 1. *Judic.* 13.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Factum est verbum Dómini super Joannem in deserto, et venit in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptismum pœniténtiæ. *Luc.* 3.

Ant. 8. c. Ipse Joannes habébat vestimentum de pilis camelórum, et zonam pellíceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locustæ, et mel sylvestre. *Matth.* c. 3.

Ant. 5. a. Vox clamantis in deserto: Paráte viam Dómino, exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem. *Is.* 40

℣. Vox Dómini in virtúte: ℟. Vox Dómini in magnificéntia. *Ps.* 28.

LECTIO VII

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

Elizabeth implétum est tempus pariendi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa; et congratulabantur ei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

(In Luc. Lib. 2, n. 30.)

Habet sanctórum edítio lætitiam plurimórum, quia commúne est bonum; justítia enim commúnis est vírtus. Et ídeò in ortu justi futúræ vitæ insigne præmíttitur, et grátia secutúræ virtútis exulatióne vicinórum præfigurante signátur. Pulchrè autem tempus quo fuit in útero Prophéta, descríbitur, ne Mariæ præsen-

tia taceátur; sed tempus silétur infántiæ, eò quòd præséntiâ Dómini matris in útero roborátur, qui infántiæ impedimenta nescívit. Et ídeò in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, et oráculum, exultatiónem in útero, vocem in deserto. Neque enim ullam infántiæ sensit ætátem, qui supra natúram, supra ætátem in útero situs matris, à mensúra perfectæ cœpit ætátis plenitúdinis Christi.

℟. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes: * Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. ℣. Surrexit quasi ignis; et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. * Non erat ille lux. *Joan.* 1. *Eccli.* 48.

LECTIO VIII.

(N. 31 et 32.)

Mire sanctus Evangelista præmittendum putávit, quòd plúrimi infantem patris nómine Zachariæ appellandum putáverint; ut advertas matri non nomen alicújus displicuisse degéneris, sed id ei sancto infúsum Spíritu, quod ab Angelo antè Zachariæ fúerat prænuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum fílii nequívit uxóri; sed per prophetíam Elízabeth didícit quod non didícerat à maríto. Joannes est, inquit, nomen ejus; hoc est, non nos ei nomen impónimus, qui jam à Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum quod agnóvimus, non quod elégimus. Habent hoc mérita Sanctórum, ut à Deo nomen accípiant; et bene ádditur: Quia nemo in cognatióne ejus vocabátur hoc nómine, ut intélligas nomen non géneris esse, sed vatis.

℟. Joannes testimónium pérhibet de Verbo, et clamat, dicens: Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat; * Et de plenitúdine ejus nos omnes accépimus. ℣. Ego novíssimus, in benedictióne Dei et ipse sperávi. * Et de plenitúdine ejus. *Joan.* 1. *Eccli.* 33.

LECTIO IX.

(N. 32.)

Scripsit autem: Joannes est nomen ejus. Et hoc nomen non impónitur, sed astrúitur: meritòque contínuò resolúta est lingua ejus; quia quam vinxerat incredúlitas, fides solvit. Credámus et nos ígitur, ut loquámur; ut lingua nostra quæ incredulitátis vínculis est ligáta, ratiónis voce solvátur. Scribámus spíritu mystéria, si vólumus loqui: scribámus prænúntium Christi, non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus.

Etenim qui Joannem lóquitur, Christum prophétat.

℟. Qui misit me, ille mihi dixit: * Super quem víderis Spíritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu sancto. ℣. Dóminus formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, factus est fortitúdo mea; et dixit; * Super quem víderis Spíritum descendentem. Glória Patri. *Repet.* ℟. Qui misit, *usque ad.* ℣. *Joan.* 1. *Is.* 49.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totà die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Existimante pópulo de Joanne, ne fortè esset Christus, respondit: Véniet fórtior me, cujus non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum. *Luc.* 3.

Ant. 4. f. Confessus est: Non sum ego Christus: ego vox clamantis in deserto, Dirígite viam Dómini. *Joan.* 1.

Ant. 1. a. Prædicábat, dicens: Ego baptizávi vos aquâ; ille verò baptizábit vos Spíritu sancto. *Marc.* 1.

Ant. 5. a. Vidit Jesum.

CANTICUM.

(Is. 40.)

SUPER montem excelsum ascende tu, * qui evangelízas Sion.

Exalta in fortitúdine vocem tuam, * qui evangelízas Jerúsalem.

Exalta, noli timére; * dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester.

Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, * et bráchium ejus dominábitur.

Ecce merces ejus cum eo, * et opus illíus coram illo.

Sicut pastor gregem suum pascet: * in bráchio suo congregábit agnos, et in sínu suo levábit; fœtas ipse portábit.

Ant. Vidit Jesum, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est. *Joan.* 1.

Ant. 2. D. Lex et Prophétæ, usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizátur. *Luc.* 16.

Capitulum. (*Act.* 19.)

JOANNES baptizávit baptismo pœniténtiæ pópulum, dicens: In eum qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est in Jesum.

HYMNUS.

NUNC suis tandem novus è latébris
Prodit Elías, pópulisque Christum
Clamat, expróbrans sua viperínæ
Crímina proli.
EN Deus judex, Deus en propinquat

Véntilans fruges; súperis recondet
Tríticum cellis, paleasque diros
Tradet in ignes.
Hujus adventu, rígidum superbi
Déprimant montes caput; erigantur
Vállium passim cava: corrigantur
Prava viárum.
Sanctæ Præcursor, date præco lucis,
Excitet somno tua vox inertes;
Ut graves olim fugiámus Agni
Víndicis iras.
Summa laus Patri, genitoque Verbo:
Æquus ambórum sit honos Amóri,
Qui sacrum Christi púgilem potenter
Ungit et armat. Amen.

℣. Docébo iníquos vias tuas; ℟. Et ímpii ad te convertentur. *Ps.* 50.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. *Duplicanda.* A diébus Joannis Baptistæ regnum cœlórum vim pátitur, et violenti rápiunt illud. *Matth.* 11.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui præsentem diem honorábilem nobis in beáti Joannis Nativitáte fecisti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis æternæ; Per *Dóminum nostrum.*

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Existimáte pópulo.

In ℟. *br.* ℣. Cui Joannes * testimónium perhíbuit. *Joan.* 1.

CANON.

Ex Epístola sancti Gregórii Papæ.

(Epist. L. 9, Ep. 39.)

Quantæ virtútis Præcursor nostri Redemptóris fuit, nóvimus, qui per sacrum elóquium non solùm plusquàm Prophéta, sed étiam Angelus vocátur.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

Ant. 4. f. Confessus est.

Capitulum. (*Is.* 52.)

Gaudete, et laudáte simul, deserta Jerúsalem; quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium; et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

℟. *br.* Vox Dómini * concutientis desertum, * Allelúia, allellúia. Vox Dómini. ℣. Vox Dómini * revelábit condensa, * Allelúia. Glória. Vox. *Ps.* 28.

℣. Dabit Deus voci suæ vocem virtútis: ℟. Date glóriam Deo super Israel. *Ps.* 67.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Prædicábat.

Capitulum. (*Act.* 13.)

Deus ex sémine David secundùm promissiónem eduxit Israel salvatórem Jesum, prædicante Joanne ante fáciem adventûs ejus baptismum pœniténtiæ omni pópulo Israel.

℟. *br.* Altíssimus * dedit vocem suam, * Allelúia, allelúia. Altíssimus. ℣. Et apparuérunt * fontes aquárum, * Allelúia. Glória. Altíssimus. *Ps.* 17.

℣. Vox Dómini super aquas: ℟. Dóminus dilúvium inhabitáre facit. *Ps.* 28.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Lex et Prophétæ.

Capitulum. (*Act.* 13.)

Cum impléret Joannes cursum suum, dicébat: Quem me arbitrámini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum sólvere.

℟. *br.* Parávi lucernam * Christo meo, * Allelúia, allelúia. Parávi. ℣. Super ipsum * efflorébit sanctificátio mea, * Allelúia, allelúia. Glória. Parávi. *Ps.* 131.

℣. Prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum: ℟. Et ostendam illi salutáre meum. *Ps.* 90.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Dominica excepto ultimo, cujus loco dicitur Ps. Dómine, non est exaltátum, *p.* 84.

Ant. 6. F. Cœpit Jesus dícere ad turbas de Joanne: Quid existis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, et plusquam Prophétam. *Matth.* 11.

Ant. 5. C. Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11.

Ant. 7. *d.* Amen dico vobis: Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ. *Matth.* 11.

Ant. 4. E. A ventre matris consecrátus est Prophéta, evértere, et erúere, et pérdere, et íterùm renováre. *Eccli.* 49.

Ant. 1. D. Si vultis recípere, ipse est Elías qui ventúrus est. *Matth.* 11.

Capitulum. (*Eccli.* 46.)

In fide sua probátus est Prophéta, et cógnitus est in verbis suis fidélis; quia vidit Deum lucis.

Allelúia, allelúia. ℣. Amícus sponsi, gáudio gaudet propter vocem sponsi: Hoc ergo gáudium meum implétum est. Allelúia. *Joan.* 3.

HYMNUS.

Quid moras nectis, Dómino jubenti

Cede : qui sacro lavat igne corda,
Hic tuis ardet mánibus, Joannes,
Amne lavári.
Quis fuit sensus tibi, cùm vidéres
Súpplicis ritu dare colla pronum,
Cui pedum summo réputes honóri
Sólvere lora?
Cernis ut, nimbo rutilante Christo
Spíritus, Patris comitante voce,
Incubat; sese Triadisque tota
Pandit imágo?
Diligens instas óperi minister :
Víctimam mundi scelus auferentem
Prædicas agnum, digitoque fidus
Indice monstras.
Immemor laudis própriæ, magistro
Débitos Christo próperas alumnos
Réddere : ardébas mínui, decébat
Créscere Christum.
Nec fidem vità sat erit probasse;
Víndicem læsi rígidum pudoris
Te manet carcer : Dómino cruentâ
Morte præíbis.
Lætus æternum célebret Parentem
Orbis : æternum célebret Parentis
Fílium : par sit tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Loquébar de testimóniis tuis, Dómine, et non confundébar. *Ps.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. *Duplicanda*. G. Joannes testimónium perhíbuit veritáti; ille erat lucerna ardens et lucens. *Joan.* 5.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Eligii, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta*, Deus, fidélium, XXVI.

Ad Completorium, *Psalmi et Capit. De Dominica; cetera, ut heri.*

DIE XXV.

SANCTI ELIGII,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

Eligius Lémovix, aurífaber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ famâ Clotário secundo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accensus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram Sacerdóte, et exindè in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam étiam cùm artem exercébat, subinde in sacros códices óculos intendébat; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébat humánis. Quidquid arte suâ comparábat, id totum fovendis egénis et captívis, re-

rum étiam sibi necessariárum dispéndio, redimendis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concursus, ut quærenti domum Elígii dicerétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctuque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant.

LECTIO III.

Non minùs acceptus Dagoberto quam Clotário patri : et ab illo ad Aremoricórum regem, pacis componendæ causâ missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu et impensis extructa sunt templa et monastéria. Plúrima diversis tempóribus auro, argento et gemmis ornávit sepulcra Sanctórum. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem quæ altas in Gállia radíces égerat, extirpávit. Tandem ad Noviomensem Episcopátum assumptus, non modò salúti gregis sibi commissi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliosque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum adduxit. Sedit in Concílio Cabilonensi sub Clodovéo secundo. Multa præclárè scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitùs prædixit; aliisque miráculis illustris óbiit septuagenárius, et Noviómi sepultus est. Ejus funus Regína Bathildis pedes, nec sine lácrymis, cum líberis et tota família prosecúta est.

Collecta, Deus, fidélium, XXVI.

Fit Commem. Octavæ S. Joannis. Ant. A diébus ℣. Docébo. *Collect.* Deus, qui præsentem, 424.

Ad Vesp. *fit à Capitulo de Octava S. Joannis, ut in II Vesp. Festi: omittitur* Allelúia, *cum* ℣.

Fit Commem. S. Eligii, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII, *Collecta*, Deus, fidélium, XXVI.

Deindè SS. Joannis et Pauli, Mart.

Ant. Scimus quia nihil est idólum in mundo, et quòd nullus est Deus, nisi unus. 1. *Cor.* 8.

℣. Simulácra géntium argentum et aurum. ℟. Opera mánuum hóminum. *Ps.* 113.

Collect. Quæsumus, *infrà.*

Ad Completorium, *Ant. ut in die Festi.*

DIE XXVI.

DE OCTAVA

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, servato ritu semiduplici. Psalmi de Feria in toto Officio.

Ad Noct. *Tres Ant.* ℣. *et* ℟℣℟. *è tertio Noct. festi.*

Lect. I de Scripturâ occurrente, ex tribus una.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Nat. S. Joann.)

AUDITE, fratres, quid Dóminus de Joanne loquátur, cujus solemnis hódie Natívitas celebrátur. Ille, inquit, erat lucerna ardens, et lucens. Magnum testimónium, fratres mei. Est enim tantùm lucére vanum, tantùm ardére parum; ardére et lucére perfectum. Cèterùm singuláriter Apóstolis et Apostólicis viris dícitur: láceat lux vestra coram homínibus. Dictum est et Joanni: sed et illi in aure áudiunt, Joannes in Spíritu tanquàm Angelus erudítur. Nimírùm tantò propínquior Deo, quantò vox verbo vicína, cui nulla voce álià médià quòd foris sonet, opórteat intimári. Neque enim Joannem prædicátio, sed inspirátio dócuit, quem replévit Spíritus in útero matris suæ.

De SS. Joanne et Paulo.

LECTIO III.

SANCTORUM Mártyrum Joánnis et Pauli constántiam adversùs renascentem sub Juliáno Apóstata idololátriam Romæ celebrári testis est Gregórius Turonensis. De his mentiónem habent antíqua Martyrológia; festumque eórum fuisse olim unum ex solémnibus in urbe Roma appáret ex vetustíssimis sacramentáriis. Horum Mártyrum nómina ad altáris sacrifícium tota jam Latína Ecclésia commémorat; undè eórum venerátio sensim per omnes Occidentis Ecclésias propagáta est.

AD LAUDES, *Ant. sola* Vidit Jesum, *quarta de Laudibus Festi. Canticum de Festo.*

Fit Commem. SS. Joannis et Pauli.

Ant. Adducti sunt in conspectu Regis, et dixérunt: Notum sit tibi, Rex, quia deos tuos non cólimus. *Dan.* 3.

℣. Confundantur omnes qui adórant sculptília; ℟. Et qui gloriantur in simulácris suis. *Ps.* 96.

COLLECTA. Orémus.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut nos geminàta lætítia hodiernæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joannis et Pauli glorificatióne procédit, quos éadem fides et pássio verè fecit esse germános; Per Dóminum nostrum.

AD HORAS, ℟℟℟. *br. sine* Alleluia.

AD VESP. *fit à Capitulo de sequenti, ut in Communi Pontificum.*

Fit Commem. Octavæ S. Joannis. Ant. Joannes. ℣. Loquébar, 426. *Collect.* Deus, qui præsentem, 424.

DIE XXVII.

ANCTI LAMBERTI,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

IBERTUS ex óppido Re-
ɔis diœcésis quod Bau-
ıum vocant, nóbili gé-
ortus, cùm ipsius ma-
ater partûs dolóres ání-
ı exhalasset, ex ejus al-
ɛrro extractus est. Quod
pósteà didicisset ádeò
ɛstè tulit, ut quasi mor-
ɪtius reus fuisset, scelus
contínuis lácrymis, du-
ae pœniténtiæ labóribus
totum vitæ cursum ex-
e non cessáverit. A pri-
a ætáte, Lirinénsibus
achis erudiendus trádi-
ɛst, quorum benevolén-
ı et admiratiónem egré-
ɛt ad omnem virtútem
ıâ índole sibi conciliá-
Silénti et solitúdinis
iósus, è cella numquam
at, nisi obediéntiæ can-
nterim oratióni, et sa-
um librórum lectióni
luè vacans magnam ple-
ı et doctrínæ laudem as-
tus est, quæ humilitáti
ac modéstiæ nullum át-
; detrimentum.

LECTIO III.

ɛscente meritórum illíus
ı, in locum mox defunc-
enciensis Episcopi elígi-
ac, licèt tanto óneri
ndo ímparem se proclá-
mans, tandem suæ ordinatióni præbuit assensum, ne divínæ resísteret voluntáti. Factus Epíscopus subjectam sibi plebem assíduâ Verbi Dei prædicatióne et virtútum ómnium exemplis erudívit. Egénis liberalíssimè próvidens, ægrotóram ac miserabílium personárum paternam curam gerébat; lites componébat, pacem inter omnes fovébat. Paupertátis amans, nihil aut in victu, aut in véstitu, aut in supelléctili sibi permísit, quod mundi delícias vel luxum redoléret. Tandem labóribus fractus, cùm Ecclésiam suam rexisset quadraginta annis, miráculis clarus ánimam Deo réddidit séptimo calendas Júnii.

Collecta, Deus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónsulis, XXVI.

Fit Commem. Octavæ S. Joannis, Ant. A diébus. ℣. Docéba. *Collecta*, Deus, qui præsentem diem honorábilem, 424.

VESPERÆ *de Festo sequenti, ut in Communi plurium Mortyrum, Collecta*, Deus, invisíbilis fortitúdo Mártyrum, XIX.

Fit Commem. Octav. S. Joannis, Ant. Joannes. ℣. Loquébar, 426. *Collecta*, Deus, qui, 424.

Deindè S. Lamberti, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII. *Collecta*, Deus, qui pópulis, XXVI.

DIE XXVIII.

SANCTI IRENÆI,

LUGDUNENSIS EPISCOPI,

ET ECCL. DOCTORIS,

AC SOCIORUM EJUS MARTYRUM.

Duplex-minus.

Lectio I, de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

LECTIO II.

Ex libro primo historiárum sancti Gregórii Turónensis Epíscopi.

(Cap. 27.)

Beatissimus Irenæus, Pothíni successor Mártyris, qui à beáto Polycarpo Lugdunensem ad urbem directus est, admirábili virtúte enítuit: qui in módici témporis spátio prædicatióne suâ máximè in íntegro civitátem réddidit christiánam. Sed veniente persecutióne, tália ibídem diábolus bella per tyrannum exércuit, et tanta ibi multitúdo Christianórum ob confessiónem Domínici nóminis est jugulâta, ut per platéas flúmina cúrrerent de sánguine christiano: quorum nec númerum, nec nómina collígere potúimus; Dóminus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beátum Irenæum diversis in suâ cárnifex præséntiâ pœnis affectum, Christo Dómino per martyrium dedicávit.

De Vigilia SS. Petri et Pauli.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(C. 18.)

In illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis: Amen dico vobis, quæcumque ligavéritis super terram, erunt ligáta et in cœlo: et quæcumque solvéritis super terram, erunt solúta et in cœlo. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. in Vigil. SS. Petri et Pauli.)

In Sanctórum festivitátibus et gaudére, et confundi debémus: gaudére, quia patrónos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus. Ita semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum; lacrymárum pane condíri debet, ut semper non solùm extréma, sed et prima gáudii luctus óccupet. Quod si hæc in vigíliis uniuscujusque sancti cogitáre debémus, quid faciémus, in Solemnitáte sanctórum et summórum Apostolórum? Petrum et Paulum loquor. Suffíceret uníus festívitas ad infundendam exultatiónem universæ terræ: sed ambórum juncta est ad cúmulum gaudiórum, ut

quómodò in vita sua dilexérunt se, ita in morte non sint separáti. Quid illis poténtius dum fuérunt in terris; quorum álteri traduntur claves regni cœlórum, álteri magistérium géntium? Quàm potentióres sunt in cœlis, qui tam potentes fuérunt in terris! Et qui nobis reliquérunt majóra exempla, quàm illi qui in fame et siti, in frígore et nudítáte, et in ómnibus illis, quæ Paulus enúmerat, júgiter sunt afflicti; et demum félici martyrio regna cœléstia conscendérunt? Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam imitári. Orémus ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suum, júdicem nostrum; qui est Deus benedictus in sécula.

COLLECTA, Deus invisíbilis, XIX.

Fit Commem. Octavæ S. Joannis, Ant. A diébus. ℣. Docébo. *Collecta*, Deus, 424.

Deinde de vigil. SS. Petri et Pauli, Ant. Tentáti sunt patres nostri, et per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith* 8.

℣. Déxtera tua, Dómine, salvávit eos; ℟. Quóniam complacuisti in eis. *Ps.* 43.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui nobis beatórum Apostolórum Petri et Pauli natalítia præveníre concédis: tríbue nos, quæsumus, semper et eórum beneficiis confovéri, et oratiónibus adjuvári; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

VESP. *de Festo sequenti.*

DIE XXIX.

IN FESTO
SANCTORUM APOSTOLORUM
PETRI ET PAULI.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. D. Respíciens Joannes Jesum, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt eum duo discípuli loquentem, et secúti sunt Jesum. *Joan.* 1.

Ant. 2. D. Erat Andréas frater Simónis Petri, unus ex duóbus qui audíerant à Joanne, et secúti fúerant Jesum. *Joan.* 1.

Ant. 3. a. Invénit hic primùm fratrem suum Simónem, et dixit ei: Invénimus Messíam. *Joan.* 1.

Ant. 4. E. Adduxit Andréas Simónem fratrem suum ad Jesum. *Joan.* 1.

Ant. 5. a. Intúitus Simónem Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. *Joan.* 1.

Capitulum. (1. *Cor.* 1.)

IGNOBILIA mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt de stúeret; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus.

℟. Ecce ego mittam piscatóres multos, dicit Dóminus, et piscabuntur filios Israel: * Et ostendam eis manum meam; et ✠ Scient quia nomen mihi Dóminus. ℣. Vidit Jesus Simónem et Andréam fratrem ejus, et dixit eis: Fáciam vos fieri piscatóres hóminum; * Et. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Jerem.* 16. *Marc.* 1.

HYMNUS.

QUOS junxit unus, vita dum mansit, labor,
Quos una clarat morte palma Mártyres,
Ambo sacráti príncipes exércitûs,
Cœlo receptos una vos colit dies.
Vos, anguláris cui subest Christus lapis,
Fundátis Ædem: mystico vos córpori,
Cui præsidére gaudet augustum Caput,
Fulgére clara jussit ambo lúmina.

In te potestas clávium, Petre, éminet;
Te, Paule, flumen írrigat sciéntiæ:
Uterque Pastor, et magister, et parens,
Olimque mundo destináti júdices.
Infirmitatem carnis experti tamen,
Nostis cadúcam fíctilis testam luti;
Et consecúti grátiam, cliéntibus
Præstátis ultro quam piè poscunt opem.
Vos ergo votis súpplicum solémnibus
Adeste: lapsis impetráte grátiam;
Ut Christiánis assequámur móribus,
Quæ sancta mundo tradidistis dógmata.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
Petro supernus quem revelávit Pater,
Æterne Fili, laus tibi sit, máxima:
Sit par suprémo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Súscitans Dóminus à terra ínopem, ℟. Ut cólloqet eum cum princípibus. *Ps.* 112.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G. Duplicanda.* Ait Jesus Simóni qui vocátur Petrus, et Andréæ fratri ejus: Veníte post me. Illi contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

Collecta ut infrà ad Laud.

Fit Commem. Omnium SS. Apostolorum. Ant. Prædicábant. ℣. Dóminus, 11.

COLLECTA. Orémus.

Deus qui nos per beátos Apostólos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuisti, da nobis eórum précibus, ut quod fides cognoscit, spes desíderet et cáritas apprehendat; Per.

Deindè SS. Irenæi et Sociorum, Mart. Ant. Datæ sunt. ℣. In æternum, XXI. *Collecta,* Deus, invisíbilis, XIX.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. D. Dóminus in fórtibus dimicávit: Príncipes obtulérunt ánimas suas morti. *Judic.* 5.

In fine Hymni, Doxologia:

Uni sit et Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. à. Magnificáti sunt valdè in conspectu omnis pópuli Israel, et géntium ómnium ubi audiebátur nomen eórum. 1. *Mac.* 5.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum qui ædificávit nos super fundamentum Apostolórum, * Veníte, adorémus. *Ephes.* 2.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O Arx nunc toto celebrentur ambo
Príncipes, orbis decus atque lumen,
Mille qui Christo peperére verbi
Sémine gentes.
Auctor inceepti Deus: ille terras
Incolens, primas tibi, Petre, defert:
Mox vocat Paulum, súperas regressus
Victor ad arces.
Alter æterni Patris erudítur
Voce delapsâ: super astra raptus
Alter arcánæ sacra veritátis
Flúmina potat.
Quanta sub vili látitat potestas
Córpore! infirmos tua sanat umbra,
Petre: lethóles tua, Paule, pellunt
Líntea morbos.
Mergitur ponto superante Petrus:
Náufragum Paulus flúitat per æquor:
Christe, ades, sævosque jubes utríque
Párcere fluctus.
Heu! fidem cernis titubáre nostram:
Tu vacillantes rege, Christe, gressus:
Fac, Deus, tantos dócili sequámur.
Corde magistros. Amen.

Pss. de Dom. in toto Officio.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Ascendens Jesus in navim quæ erat Simónis, dixit: Duc in altum et laxáte rétia vestra in captúram. *Luc.* 5.

Ant. 1. g. Respondens Simon, dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rete. *Luc.* 5.

Ant. 8. G. Cùm hoc fecissent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam rumpebátur autem rete eórum. *Luc.* 5.

℣. Ipsi vidérunt ópera Dómini, ℟. Et mirabília ejus in profundo. *Ps.* 106.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 52.)

Sciet pópulus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion Regnábit Deus tuus. Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem, simul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt cùm convérterit Dóminus Sion. Gaudéte, et laudáte simul, deserta Jerúsalem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit

Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium, et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. Recédite, recédite; exíte indè, pollútum nolíte tángere: exíte de médio ejus, mundámini, qui fertis vasa Dómini. Quóniam non in tumultu exíbitis, nec in fuga properábitis: præcédet enim vos Dóminus, et congregábit vos Deus Israel.

℟. Stupor circumdéderat Petrum, et omnes qui cum illo erant, in captúra píscium. Quod cùm vidisset Petrus, prócidit ad génua Jesu, dicens: * Exi à me, quia homo peccátor sum, Dómine. ℣. Quis póterit stare in conspectu Domini Dei sancti? * Exi à me quia homo. *Luc.* 5. 1. *Reg.* 6.

LECTIO II.

(Cap. 61.)

Spiritus Dómini super me, eò quòd únxerit Dóminus me: ad annuntiandum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam, et clausis apertiónem: ut prædicárem annum placábilem Dómino, et diem ultiónis Deo nostro, ut consolárer omnes lugentes: ut pónerem lugéntibus Sion, et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mœróris; et vocabuntur in ea fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificandum. Et ædificábunt deserta à século, et ruínas antíquas érigent, et instaurábunt civitátes desertas, dissipátas in generatiónem et generatiónem. Et stabunt aliéni, et pascent pécora vestra: et fílii peregrinórum, agrícolæ et vinitóres vestri erunt. Vos autem Sacerdótes Dómini vocabímini; Ministri Dei nostri, dicétur vobis: fortitúdinem géntium comedétis, et in glória eárum superbiétis.

℟. Petrus dixit ad Jesum: Dómine, si tu es, jube me ad te veníre super aquas. Jesus ait: Veni. Et * Descendens de navícula, ambulábat super aquam ut veníret ad Jesum. ℣. Dedisti, Dómine, et in mari viam, et inter fluctus sémitam firmíssimam. * Descendens de navícula. *Matth.* 14. *Sap.* 14.

LECTIO III.

(Cap. 66.)

Venient et vidébunt glóriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam, tendentes sagittam; in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longè, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes

fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino, in equis, et in quadrígis, et in lectícis, et in mulis et in carrúcis, ad montem sanctum meum Jerúsalem, dicit Dóminus; quómodò si ínferant fílii Israel munus in vase mundo in domum Dómini. Et assúmam ex eis in Sacerdótes et Levítas, dicit Dóminus. Quia sicut cœli novi, et terra nova quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus; sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.

℟. Videns Petrus ventum válidum, tímuit; et cùm cœpisset mergi, clamávit. Et * Jesus apprehendit eum, et ait: Módicæ fídei, quare dubitasti? ℣. Noli timére: vocávi te nómine tuo, meus es tu: cùm transíeris per aquas, tecum ero; * Jesus. Glória. * *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Matth.* 14. *Is.* 43.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Multi discipulórum abiérunt retro. Dixit ergo Jesus ad duódecim: Numquid et vos vultis abíre? *Joan.* 6.

Ant. 5. a. Respondit Simon Petrus: Dómine, ad quem íbimus? verba vitæ æternæ habes. *Joan.* 6.

Ant. 3. *a.* Nos credídimus et cognóvimus quia tu es Christus Fílius Dei. *Joan.* 6.

℣. Magnus es tu, et fáciens mirabília: ℟. Tu es Deus solus. *Ps.* 85.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Festo Apostolorum.)

Gloriosa nobis solémnitas illuxit, quam præclári Mártyres, Mártyrum duces, Apostolórum príncipes morte claríssimâ consecrârunt. Isti sunt Petrus et Paulus duo magna liminária, quos Deus in córpore Ecclésiæ suæ constítuit quasi géminum lumen oculórum. Hi mihi tráditi sunt in magistros et in mediatóres, quibus secúrè me commíttere possim; quia et notas mihi fecérunt vias vitæ; et mediántibus illis, ad illum Mediatórem ascéndere pótero, qui venit pacificáre per sánguinem suum et quæ in cœlis et quæ in terris sunt. Ille enim in utráque natúra puríssimus est, qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Quómodò ergo ad illum accédere audébo, qui sum supra modum peccans peccátor, qui peccávi supra númerum arénæ maris; cùm ille púrior, ego impúrior esse non possim? Proptéreà dedit mihi Deus hómines istos, qui et hómines essent, et peccatóres, et máximi peccatóres, qui in seipsis et de seipsis díscerent quáliter áliis miseréri debérent. Magnórum enim críminum rei,

magnis crimínibus fácilè donábunt véniam; et in qua mensúra mensum est eis, remetientur nobis.

℟. Dicit Jesus discípulis: Quem me esse dícitis?* Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. ℣. Quis ascendit in cœlum, atque descendit? Quod nomen est ejus, et quod nomen Fílii ejus, si nosti?* Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. *Matth.* 16. *Prov.* 30.

LECTIO V.

Peccavit peccátum grande Petrus Apóstolus, et fortassis quo grándius nullum est; et tam velocíssimè quàm facillimè véniam consecútus est; et sic, ut nihil de singularitáte sui primátûs amítteret. Sed et Paulus qui in ipsa víscera nascentis Ecclésiæ tam singuláriter quàm incomparabíliter grassátus est, per ipsíus Fílii Dei vocem ad fidem addúcitur; et pro tantis malis, tantis bonis replétus est, ut vas electiónis fíeret ad portandum nomen ejus coram Géntibus, et régibus, et fíliis Israel: vas dignum, et cœléstibus férculis replétum, de quo et sanus escam, et infirmus accípiat medicínam. Tales decébat humáno géneri pastóres et doctóres constítui, qui et dulces essent, et potentes, et nihilóminùs sapientes: dulces, ut me blandè misericorditerque suscíperent; potentes, ut fórtiter protégerent; sapientes, ut ad viam, et per viam dúcerent quæ ducit ad civitátem.

℟. Beátus es, Simon Barjóna, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis; et ego dico tibi *Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Pastor egressus est lapis Israel; Deus omnípotens benedícet tibi: * Quia tu es Petrus, et super hanc petram. *Matth.* 16. *Gen.* 49.

LECTIO VI.

Quid Petro dúlcius, qui tam dúlciter omnes ad se cónvocat peccatóres sicut et Actus Apostólici, et Epitolárum ejus séries attestátur? Quid illo poténtius, cui et terra obedívit cùm mórtuos réddidit; et mare sub ejus pédibus calcábile se præbuit; qui Simónem magum spíritu oris sui in áere áttigit; qui claves regni cœlórum tam singuláriter accépit, ut præcédat senténtia Petri senténtiam cœli? Quid autem illo sapiéntius, cui non caro et sanguis, sed Pater qui in cœlis est, sapiéntiam illam quæ de cœlis est, multâ largitáte revelávit? Libentíssimè Paulum sequor, qui præ nímia dulcédine luget eos qui peccavérunt, et non egérunt pœ-

niténtiam; qui fórtior est omni principátu et potestáte; qui sapiéntiam et medullam sacrórum sénsuum non à primo vel secundo, sed à tértio cœlo lárgiter asportávit. Hi sunt magistri nostri, qui à Magistro ómnium vias vitæ pléniùs didicérunt, et docent nos usque in hodiernum diem.

℟. Simon, ego rogávi pro te, ut non defíciat fides tua: * Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. ℣. Convertam te, et ante fáciem meam stabis, et quasi os meum eris. * Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Glória Patri. *Repet.* ℟. Simon, *usque ad* ℣. Convertam te. *Luc.* 22. *Jerem.* 15.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. *C.* Dicit Jesus: Adhuc módicùm vobiscum sum: quò ego vado, vos non potestis veníre. *Joan.* 13.

Ant. 2. D. Dixit ei Simon Petrus: Dómine, quò vadis? Respondit Jesus: Quò ego vado, non potes me modò sequi; sequéris autem pósteà. *Joan.* 13.

Ant. 4. *E.* Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? Tecum parátus sum et in cárcerem et in mortem ire. *Joan.* 13.

℣. Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? ℟. Scito cor meum, et cognósce sémitas meas. *Ps.* 138.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 22.)

In illo témpore; Dixit Simóni Petro Jesus: Simon Joannis díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 296, n. 3.)

Resurgit Dóminus, appáret discípulis. Videt jam Petrus viventem cui morienti timúerat. Videt non Dóminum occísum, sed mortem in Dómino occísam. Jam ergo confirmátus exemplo carnis ipsíus Dómini mortem non esse usque ádeò metuendam, docétur amáre. Modò opus est ut amet, jam viso Dómino vivo post mortem: modò amet, modò secúrus amet; secúrus quia secutúrus. Dóminus ergo: Petre, amas me? Et ille: Amo, Dómine. Et íterùm hoc, et tértiò hoc; ut ter confiterétur amor, quod ter negáverat timor. Vidéte percípite, díscite. Non áliud quàm, Amas? interrogátur: non áliud quàm, Amo, respondétur. Respondenti dícitur: Pasce oves meas.

℟. Christus resurrexit tér-

. die secundùm Scriptú-
ı; et * Visus est Cephæ,
post hoc Undecim, dein-
Apóstolis ómnibus. ℣.
æóccupat qui se concu-
ıcunt, ut illis se prior
tendat. * Visus est. 1. *Cor.*
. *Sap.* 6.

LECTIO VIII.

(N. 3 et 4.)

OMMENDATIS Petro óvibus
is, et commendáto sibi
tro cum óvibus sùis, jam
ænúntiat passiónem, et
:it : Cùm esses júnior,
ıgébas te, et ibas quò vel-
; cùm autem sénior fac-
ı fuéris, alter te cinget,
feret quò tu non vis. Hoc
tem dicébat, ait Evange-
ta, significans quâ morte
ırificatúrus esset Deum.
détis hoc pertinére ad
scendas oves Dómini, ut
n recusétur mors pro
ibus Dómini. Pasce oves
as. Commendat oves idó-
ı, an minùs idóneo? Pri-
ı, quas oves commendat?
ɛtiósas, emptas non auro,
n argento, sed sánguine.
dóminus homo commen-
:et servo suo oves suas,
ıcul dúbio cogitáret
ùm pecúlium servi illíus
ıneum esset prétium
um suárum, et díceret,
ıerdíderit, si dissipáverit,
onsúmpserit, habet unde
dat. Commendáret ergo
vo idóneo oves suas, et
vi facultátes in pecúnia
quæreret pro óvibus quas
pecúniâ comparávit.

℟. Dicit Simóni Petro Jesus : Simon Joannis, amas me? Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei : * Pasce oves meas. ℣. Tu pasces pópulum meum Israel, et tu eris dux super Israel. * Pasce oves. *Joan.* 21. 2. *Reg.* 5.

LECTIO IX.

(N. 4 et 5.)

NUNC verò Dóminus Jesus Christus, quia servo commendat oves quas sánguine comparávit, idoneitátem servi in passióne sánguinis quærit. Tanquam díceret : Pasce oves meas, commendo tibi oves meas. Quas oves? Quas emi sánguine meo. Mórtuus sum pro eis. Amas me? Mórere pro eis. Et quidem servus ille hóminis homo pecúniam rédderet pro consumptis óvibus; Petrus sánguinem réddidit pro óvibus conservátis. Eia, fratres, áliquid pro témpore volo dícere. Quod Petro commendátum est, quod Petro mandátum est, non Petrus solus, sed étiam álii Apóstoli audiérunt, tenuérunt; servavérunt, maximèque ipse consors sánguinis et diéi Paulus Apóstolus. Audiérunt ista, et ad nos audienda transmisérunt. Páscimus vos, páscimur vobiscum. Det nobis Deus vires sic amandi vos, ut pos-

simus étiam mori pro vobis, aut effectu aut affectu.

℟. Dixit Jesus Petro, significans quâ morte clarificatúrus esset Deum: Cùm senúeris, * Extendes manus tuas, et álius te cinget, et ducet quò tu non vis. ℣. Ecce data sunt super te víncula, et ligábunt te in eis; et non egrediéris de médio eórum: * Extendes. Glória. * *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Joan.* 21. *Ezech.* 3.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Facta est vox ad Petrum: Surge et mandúca: quod Deus purificávit, tu commúne ne díxeris. *Act.* 10.

Ant. 3. a. Apériens Petrus os suum, dixit: In veritáte cómperi, quia non est personárum acceptor Deus. *Act.* 10.

Ant. 6. F. Adhuc loquente Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum. *Act.* 10.

Ant. 4. *D.* Obstupuérunt.

CANTICUM.

(Gen. 49.)

Juda, te laudábunt fratres tui: * manus tua in cervícibus inimicórum tuórum, adorábunt te fílii patris tui.

Cátulus leónis Juda: ad *prædam*, fili mi ascendisti: * requiescens accubuisti ut leo; et quasi leæna, quis suscitábit eum?

Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de fémore ejus, * donec véniat qui mittendus est, et ipse erit expectátio géntium.

Ligans ad víneam pullum suum, * et ad vitem, ô fili mi, ásinam suam,

Lavábit in vino stolam suam, * et in sánguine uvæ pállium suum.

Pulcrióres sunt óculi ejus vino, * et dentes ejus lacte candidióres.

Néphthali, cervus emissus, * et dans elóquia pulchritúdinis.

Bénjamin lupus rapax: * manè cómedet prædam, et véspere dívidet spólia.

Ant. Obstupuérunt ex circumcisióne fidéles qui vénerant cum Petro, quia et in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est. *Act.* 10.

Ant. 5. a. Glorificavérunt Deum, dicentes: Ergo et Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11.

Capitulum. (*Act.* 10.)

Audiebant illos loquentes linguis et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibére potest, ut non baptizentur hi qui Spíritum sanctum accepérunt sicut et nos? Et jussit eos baptizári in nómine Dómini Jesu Christi.

HYMNUS.

JAM nil Hebræis, Géntium plebs, ínvide,
Dignáta eisdem, fausta plebs, honóribus:
Ovíle summus Pastor expandit suum,
Novusque primo grex adunáris gregi.
PROMISSA Patrum, Christe, natus éxequi,
De stirpe Jacob quæris amissas oves;
Petrumque, primo quem locavisti gradu,
Tanto labóri súfficis vicárium.
DIVINA Gentes at simul cleméntia
Respectat, illis, Paule, Doctor mítteris:
Arcána profers tu Dei mystéria:
Tu christiánæ præco fulges grátiæ.
UTRIMQUE fervet úberi fructu labor:
Judæus, an sis bárbarus, nil ínterest:
Diversa quamquam sors duóbus óbtigit,
Par universi cura succendit gregis.
SIT sempiterno sempiterna laus Patri:
Petro supernus quem revelávit Pater,
Æterne Fili, laus tibi sit máxima:
Sit par suprémo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram: ℟. Mémores erunt nóminis tui. *Ps.* 44.

Ad Benedictus, *Ant.* J. *Duplicanda.* Dei sumus adjutóres: nemo gloriétur in homínibus; ómnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas: vos autem Christi, Christus autem Dei. 1. *Cor.* 3.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui hodiernam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præceptum, per quos religiónis sumpsit exórdium; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia secula seculórum.

℟. Amen.

Pro Commem. Omnium SS. Apostolorum, Ant. Vos qui. ℣. Príncipes, v. *Collecta*, Deus, qui nos, *ut suprà in I Vesp.* 433.

AD HORAS. *In fine Hymnorum, Doxologia:*

UNI sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Facta est vox.

In ℟. *br.* ℣. Qui es caput *córporis Ecclésiæ. Colos. 1.

CANON.

Ex Epístola Encyclica Vigílii Papæ ad universam Ecclésiam.

(Epist. 15, tom. 5. Concil. ann. 557.)

Recte Petro pascendárum óvium est cura commissa, cujus fídei præclára confésio Dei est ore laudáta. Confitenti enim ac dicenti : Tu es Christus Fílius Dei vivi, perennis beatitúdo repénditur, et columbæ fílius vocitátur, et claves regni cœlestis áccipit.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Apériens.

Capitulum. (*Act.* 10.)

In omni gente, qui timet Deum et operátur justítiam; acceptus est illi. Verbum misit Deus fíliis Israel, annúntians pacem per Jesum Christum : hic est ómnium Dóminus.

℟. *br.* Deus excelsus * subjécit pópulos nobis, * Allelúia, allelúia. Deus. ℣. Et gentes * sub pédibus nostris, * Allel. Glória. Deus. *Ps.* 46.

℣. Benedícite, gentes, Deum nostrum; ℟. Et audítam fácite vocem laudis ejus. *Ps.* 65.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Adhuc loquente Petro.

Capitulum. (*Act.* 15.)

An antíquis diébus Deus in nobis elégit per os meum audíre Gentes verbum Evangélii, et crédere : et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum sicut et nobis.

℟. *br.* Annuntiavérunt cœli * justítiam ejus, * Alleluia, allelúia. Annuntiavérunt. ℣. Vidérunt omnes pópuli * glóriam ejus, * Alleluia. Glória. Annuntiavérunt. *Ps.* 96.

℣. Afferte Dómino, pátriæ géntium, ℟. Afferte Dómino glóriam et honórem. *Ps.* 95.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Glorificavérunt

Capitulum. (*Act.* 15.)

Nihil discrévit Deus inter nos et illos, fide purífican corda eórum. Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervíce discipulórum, quod nequ patres nostri, neque nos portáre potúimus? Sed per grátiam Dómini Jesu Christi crédimus salvári, quemádmodùm et illi.

℟. *br.* Tu es, Deus, * qui facis mirabília, * Allelúia allelúia. Tu es. ℣. Notam fecisti in pópulis * virtúten tuam, * Allelúia. Glória. Tu es, Deus. *Ps.* 76.

℣. Non nobis, Dómine non nobis, sed nómini tu

da glóriam, ℣. Super misericórdia tua et veritáte tua. *Ps.* 113.

AD II. VESPERAS.

Ps. 109. Dixit Dóminus, 21.

Ant. 2. D. Justum árbitror, quándiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne. 2. *Petr.* 1.

Ps. 112. Laudáte, púeri, 23.

Ant. 3. E. Velox est depositio tabernáculi mei, secundùm quod et Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi. 2. *Petr.* 1.

Ps. 115. Crédidi, 101.

Ant. 7. A. Dabo óperam et frequenter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. 2. *Petr.* 1.

Ps. 125. In convertendo Dóminus, 44.

Ant. 4. E. Properantes in adventum diéi Dómini, satágite immaculáti et invioláti ei inveníri in pace. 2 *Petr.* 3.

Ps. 138. Dómine, probasti me, et cognovisti me, *cum sua divisione*, 121.

Ant. 1. D. Dómini nostri longanimitátem, salútem arbitrémini; sicut et carissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapiéntiam, scripsit vobis. 2. *Petr.* 3.

Capitulum. (2. *Petr.* 3.)

VESTRAM éxcito in commonitióne sincéram mentem, ut mémores sitis eórum quæ prædixi verbórum à sanctis Prophétis, et Apostolórum vestrórum, præceptórum Dómini et Salvatóris.

Allelúia, allelúia. ℣. Isti sunt duo fílii ólei, qui assistunt Dominatóri universæ terræ; allelúia. *Zach.* 4.

HYMNUS.

TANDEM labórum, gloriósi Princípes,
Fructum tenétis: fana passim córruùnt:
Quin ipsa latè Roma victrix géntium,
Se Christiáno jam stupet subdi jugo.
SÆVIT Tyrannus; at triumphant víctimæ:
Alter per ensem victor, alter per crucem,
Cœlo corónam laureáti pássident,
Fususque sanguis Christiános séminat.
SUPERBA sordent Cæsares cadávera,
Queis urbs litábat ímpii cultûs ferax:
Apostolórum gloriátur óssibus,
Fixamque adórat cóllibus suis crucem.
NUNC ô cruóre purpuráta nóbili,
Novisque felix Roma conditóribus,
Horum trophæis aucta, quantò vériùs
Regína fulges orbe toto cívitas!

Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
Petro supernus quem revelávit Páter,
Æterne Fili, laus tibi máxima:
Sit par suprémo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Dómini est assúmptio nostra, ℟. Et sancti Israel regis nostri. *Ps.* 88.

Ad Magnificat, *Ant.* 5. C. Príncipes et ínclyti Israel, amábiles et decóri in vita sua, in morte quoque non sunt divísi. 2. *Reg.* 1.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Pro Commem. Omnium SS. Apostolorum, Ant. In fundamentis, VIII. ℣. Pro patribus, VII. *Collecta* Deus, qui nos, *ut suprà in I Vesp.* 433.

AD COMPLETORIUM. *Psalmi et Capitulum de Dominica. Cetera ut heri.*

DIE XXX.

IN COMMEM. S. PAULI, APOSTOLI.

Duplex-majus.

Si alicubi habeat I. VESP. *Antiph. super Psalmos feriales sumuntur de Laudibus, cum Capitulo,* Sic Prædicávi, *infra in Laudibus.* ℟. Pósitus suum, *è primo Noct. addendo* Glória Patri. *Hymnus,* Sat, Paule, *infrà.*

℣. Quis Deus magnus sicut Deus noster? ℟. Tu es, Deus, qui facis mirabília. *Ps.* 76.

Ad Magnificat, *Ant.* 2. D. Ego sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei; grátiâ autem Dei sum id quod sum. 1. *Cor.* 15.

Collecta, ut infrà ad Laud.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CHRISTUM qui vocávit Paulum per grátiam suam, * Veníte, adorémus. *Galat.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

SAT, Paule, sat terris datum:
Post multa te certámina,
Cursu peracto, débita
Coróna jam cœlo manet.
QUOT tu mari periculis,
Terrâque jactátus malis!
Quot saxa, virgæ, cómpedes!
Quot damna, curæ, fúnera!
NUNC ille confixum suæ
Qui te cruci dudum tenet,
Te Christus ad vitam vocat;
Tibique lucrum jam mori.
SED caritátis víscera
Strictis coarctant néxibus;
Christoque quos tu párturis,
Patrem reposcunt fílii.
VERUM parátur jam tibi
Finis labóris árdui,
Mercesque: bissénos thronus
Te poscit inter júdices.
UNI sit et trino Deo
Suprêma laus, summum decus,

De nocte qui ad nos suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 4. E. Grátia data est mihi à Deo, ut sim minister Christi Jesu in Géntibus, sanctíficans Evangélium Dei. *Rom.* 15.

Ant. 1. f. Qui operátus est Petro in Apostolátum circumcisiónis, operátus est et mihi inter Gentes. *Gal.* 2.

Ant. 7. b. Nonne Christum Jesum Dóminum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Dómino? Mea defénsio hæc est. 1. *Cor.* 9.

℣. Erípies me, Dómine, de contradictiónibus pópuli: ℟. Constítues me in caput géntium. *Ps.* 17.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Pósitus sum ego prædicátor, et Apóstolus, et magister Géntium: ob quam causam * Pátior, sed non confundor; scio enim cui crédidi. ℣. Ipse Deus meus, et Salvátor meus: in Deo glória mea, et spes mea in Deo est. * Pátior, sed non confundor; scio enim cui crédidi. 2. *Tim.* 1. *Ps.* 61.

Post II Lect. ℟. Evangélium quod evangelizátum est à me, non est secundùm hóminem; * Neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. ℣. Dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constítui te super gentes. * Neque enim ego ab hómine accépi illud. *Gal.* 1. *Jerem.* 1.

Post III Lect. ℟. Non judicávi me scire áliquid, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum; * Et ✝ Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritûs et virtútis. ℣. Mihi dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est. * Et sermo meus non in persuasibílibus. Glória. ✝ Sermo. 1. *Cor.* 2. *Sap.* 7.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar. 1. *Cor.* 9.

Ant. 4. d. Ego libentíssimè impendam, et superimpendar ipse pro animábus vestris. 2. *Cor.* 12.

Ant. 5. a. Sic curro, non quasi in incertum: sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo; ne fortè, cùm áliis prædicáverim ipse réprobus effíciar. 1. *Cor.* 9.

℣. Pes meus stetit in directo: ℟. In ecclésiis benedícam te, Dómine. *Ps.* 25.

discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum; estóte ergo prudentes sicut serpentes, et símplices sicut columbæ. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 33, in Matth. n. 2.)

Sic dícere vidétur : Nolíte turbári, si cùm vos inter lupos mitto, tanquam oves et columbas esse júbeo : nam etsi possum contrárium quoque præstáre, et non permíttere ut grave áliquid patiámini, nec lupis tanquam oves subjecti sitis, sed effícere ut leónibus terribilióres evadátis ; tamen sic éxpedit fíeri : hoc et vos quoque illustrióres fáciet, et meam declarábit virtútem. Sic enim pósteà dixit Paulo : Súfficit tibi grátia mea; nam virtus mea in infirmitáte perfícitur. Ipse ígitur vos mansuetúdine oves efféci. Cùm enim ait : Ego mitto vos sicut oves, illud occultè ínnuit : Ne ígitur ánimo dejiciámini ; certè enim scio hâc potíssimùm mansuetúdine ubíque invictos vos esse futúros.

℟. Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos ; * Quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis ; * Quia spectáculum. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43.

LECTIO VIII.

(N. 4.)

Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. Habébant reges in médio suî duódecim hómines idiótas, quos vínculis, flagellis, carcéribus, ut silérent, comminabantur : sed sicut rádii soláres vincíri néqueunt, sic lingua eórum ligári non póterat. Quod ita fiébat, quia non ipsi erant qui loquebantur, sed virtus Spiritûs sancti. Quâ virtúte Paulus Agrippæ ministros, ipsumque Nerónem ómnium hóminum flagitiosíssimum fácilè superávit. Dóminus enim mihi ástitit, ait, et confortávit me, et éruit me de ore leónis.

℟. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. ℣. Quid mihi est in cœlo ? et à te quid vólui super terram ? Deus cordis mei, * Per quem mihi mundus. *Galat.* 6. *Ps.* 72.

LECTIO IX.

(N. 5.)

Res útique magna, virum circa stagna versári sólitum, circa pelles, et telónii men-

sam, sedéntibus tyrannis et sátrapis, astántibus satellítibus strictis gládiis, cùm omnes dénique pro tyrannis starent, solum ingressum, ligátum, prono cápite, potuisse vel os aperíre. Etenim nec loquendi, nec dógmata defendendi locum illis dabant; sed tanquam commúnes orbis pestes supplíciis deputábant. Hi omnes, aiébant, contra decréta Cæsaris fáciunt, regem álium dicentes esse Jesum. Ubíque tribunália hujúsmodi opiniónibus præoccupăta erant; et auxílio superno multùm egébant (Apóstoli,) ut hoc utrumque probárent, et veram esse doctrínam quam prædicábant, et se commúnibus légibus non adversári; utque, dum loquerentur de doctrína, ne viderentur leges subvértere; ac rursus, dum demonstráre conarentur se commúnia statúta non violáre, dógmatum puritátem ne corrúmperent: quæ ómnia vidébis et à Petro et à Paulo, et à céteris ómnibus prudenter observáta. Quamvis enim ut factiósi et novatóres ubíque terrárum accusarentur; hanc tamen suspiciónem repulérunt et contrária sibi conciliárunt, quasi servatóres, curatóres ac benéfici apud omnes celebráti. Hæc autem ómnia ex ingenti patiéntia operabantur Quámobrem dicébat Paulus: Quotídie mórior; et usque in finem in perículis perseverávit.

℟. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi malè óperans: sed * Verbum Dei non est alligátum. ℣. Loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, et non confundébar; et respondébo exprobrántibus mihi verbum. * Verbum Dei non est alligátum. Glória Patri. * Verbum. 2. *Tim.* 2. *Ps.* 118.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Narrábo nomen tuum frátribus meis. ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

AD LAUDES.

Ant. 5. a. Nihil minùs fui ab iis qui sunt supra modum Apóstoli, tametsi nihil sum. 2. *Cor.* 12.

Ant. 7. d. Secundùm revelatiónem mihi data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et quæ sit dispensátio sacramenti abscónditi à séculis. *Ephes.* 3.

Ant. 1. a. Signa Apostolátûs mei facta sunt in omni patiéntia, in signis, et prodígiis, et virtútibus. 2. *Cor.* 12.

Ant. 3. à. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, et áudiant omnes gentes. 2. *Tim.* 4.

Ant. 2. D. Abundántiùs ómnibus laborâvi; non ego autem, sed grátia Dei mecum. 1. *Cor.* 15

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Sic prædicávi Evangélium hoc, non ubi nominátus est Christus, ne super aliénum fundamentum ædificárem; sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiátum de eo, vidébunt; et qui non audiérunt, intélligent.

HYMNUS.

Sudore sat tuo fides,
Crucisque crevit glória;
Multoque per te fœnore
Impléta Christi pássio.
Per sacra sese jam tua
Impressa carni stígmata,
Suoque totum Spíritu
In te Magister éxprimit.
Sic, Paule, non vivis; loquens
Sed ipse Christus in tuo
Agensque vivit péctore:
Sat ergo, sat terris datum.
Audita quondam tértio
Arcána cœlo, nunc tibi
Fruenda se pleno palàm
De fonte produnt lúminis.
Hinc lacte verbi nos tui
Ciboque faxis créscere;
Christumque tritos, quà doces
Præisque, per calles sequi.
Hoc præstet almo cum Patre
Natoque nobis Spíritus,
Tres, Numen unum; cui decus,
Virtusque sit per sécula.
Amen.

℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus: ℟. Confiteantur *tibi pópuli* omnes. *Ps.* 66.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea, pro córpore ejus, quod est Ecclésia, cujus factus sum ego minister. *Coloss.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuisti: da, quæsumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus; Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. Oct. S. Joannis, Ant. A diébus. ℣. Docébo. *Collecta*, Deus, qui 424.

Posteà de sancto Petro.

Ant. Simon, ego rogávi pro te ut non defíciat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Luc.* 22.

℣. Pósui adjutórium in potente; ℟. Et exaltávi electum de plebe meâ. *Ps.* 88.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœlestis, ánimas ligandi atque solvendi pontifícium tradidisti; concéde ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis et regnas.

Ad Horas, *in fine Hymnorum, Doxologia:* Uni sit et Trino, etc., *suprà*, 441.

AD PRIMAM.

Ant. 5. a. Nihil.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Secundùm.

Capitulum. (2. *Cor.* 12.)

SCIO hóminem in Christo ante annos quatuórdecim sive in córpore néscio, sive extra corpus néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujúsmodi hóminem, sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit, quóniam raptus est in Paradísum, et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui.

℟. *br.* Ecce, Dómine, * Veritátem dilexisti. Ecce. ℣. Incerta et occulta sapiéntiæ tuæ * manifestasti mihi. * Veritátem. Glória. Ecce. *Ps.* 50.

℣. Introíbo in poténtias Dómini, ℟. Usque in altíssima quæ fecisti magnália. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Signa.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

HABEO glóriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim áudeo áliquid loqui eórum quæ per me non éfficit Christus in obediéntiam Géntium, verbo et factis, in virtúte signórum et prodigiórum, et in virtúte Spíritûs sancti; ita ut ab Jerúsalem per circúitum, usque ad Illyricum repléverim Evangélium Christi.

℟. *br.* Ecce cognóvi * Quóniam Deus meus es. Ecce cognóvi. ℣. In Deo laudábo verbum, * in Dómino laudábo sermónem; * Quóniam. Glória. Ecce. *Ps.* 55.

℣. Posuisti super me manum tuam, Dómine: ℟. Mirábilis facta est sciéntia tua. *Ps.* 138.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Abundántiùs.

Capitulum. (2. *Cor.* 11.)

EXISTIMO ni hil me minus fecisse à magnis Apóstolis. Nam etsi imperítus sermóne, sed non sciéntiâ; in ómnibus autem manifestáti sumus vobis.

℟. *br.* Benedixit Dóminus, * Et multiplicáti sunt nimis. Benedixit. ℣. Et pósuit * sicut oves famílias, * Et. Glória Patri. Benedixit. *Ps.* 106.

℣. Confitébor nómini tuo super misericórdia tua; ℟. Quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. *Ps.* 137.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. In defensiónem Evangélii pósitus sum: pro quo legatióne fungor in caténa; ita ut in ipso áudeam, proùt oportet me loqui. *Philipp.* 1. *Ephes.* 6.

Ant. 3. a. Quæ circa me sunt, magis ad profectum

venérunt Evangélii; ita ut víncula mea manifesta fíerent in omni prætório; et plures in Dómino confidentes víncullis meis, abundántiùs audérent sine timóre verbum Dei loqui. *Philip.* 1.

Ant. 4. *D.* Omnia sustíneo propter electos, ut ipsi salútem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlesti. 2. *Tim.* 2.

Ant. 5. C. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: míhi enim vívere Christus est, et mori lucrum. *Philipp.* 1.

Ant. 6. F. Responsum mortis in nobismetipsis habúimus; ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos. 2. *Cor.* 1.

Capitulum. (2. *Tim.* 4.)

EGO jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

Hymnus, Sat, Paule, 444.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum. ℟. Quando véniam et apparébo ante fáciem Dei! *Ps.* 41.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Quæ audístis et vidístis in me, hæc ágite; et Deus pacis erit vobiscum. *Philipp.* 4.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. diei Oct. S Joannis Bapt. Ant. Dico vobis quia Elías jam venit, et non cognovérunt eum; sed fecérunt in eo quæcumque voluérunt. *Matth.* 17.

℣. Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; ℟. Et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu. *Ps.* 74.

Collecta, Deus, qui beátum, *ut infrà*, 456.

Deinde S. Petri Apost.

Ant. Simon Joannis, amas me? Dómine tu ómnia nosti; tu scis quia amo te. Pasce oves meas. *Joan.* 21.

℣. Elégit eum Dóminus. ℟. Páscere hæreditátem suam.

Collecta, Deus, qui beáto Petro, *ut suprà*, 450.

FESTA JULII.

DIE I.

OCTAVA NATIVITATIS

S. JOANNIS BAPTISTÆ,

ET FESTUM,

DECOLLATIONIS EJUSDEM.

Duplex-minus.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DOMINUM qui dat voci suæ vocem virtútis, * Veníte, adorémus. *Ps.* 67.

Ps. 94. Venite, 150.

HYMNUS

ECCE, saltantis prétium puellæ,
Fertur in disco caput amputátum :
Hæc cruentátis nova proferuntur
Férculà mensis.
QUÆ rudes sylvis pópulos docébat,
Quæ Deum totâ resonábat aulâ,
Illa vox, eheu! gládio resecta,
Muta silébit.
OCCIDIT Vates, et adhuc timétur;
Vox silet Verbi, cruor ille clamat :
Sancta fraterni temeráta carpit
Fœdera lecti.
NUBE sub densa jubar involútum
Vénerat cæcis aperire seclis :
Sole matúro, velut umbra, cessit
Lúcifer Orbe.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo :
Et tibi compar, utriusque nexus
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Ant. 8. c. Dómine, in judícium posuisti eum; et fortem ut corríperet, fundasti eum. *Habac.* 1.

Ant. 3. a. Surrexit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48.

Ant. 7. d. In diébus suis non pertímuit príncipem, et poténtiâ nemo vicit illum, nec superávit illum verbum áliquod. *Eccli.* 48.

℣. Loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum; ℟. Et non confundébar. *Ps.* 118.

Lectio I de Scriptura occurrente; ex tribus fit una.

℟. Heródes dúxerat Herodíadem. Dicébat Joannes Heródi : * Non licet tibi habére uxórem fratris tui. ℣. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis

tui; Deus enim vindicans vindicábit: * Non licet tibi habére uxórem. *Marc.* 6. *Eccli.* 5.

LECTIO II.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 3. de Virgin. c. 6. n. 26.)

QUONIAM Joannis prænúntii Christi non strictim prætereunda est recordátio; interest ut quis, et à quibus, et quam ob causam, quo modo, et quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et à reis in júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deinde præmium saltatrícis, mors est Prophétæ. Postrémò (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia consummandæ crudelitátis profertur edictum; et à convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium, ferális flagítii circumfertur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina!

℟. Heródes cùm corriperétur à Joanne de Herodiáde uxóre fratris sui, et de ómnibus malis quæ fecit; * Adjécit et hoc super ómnia, et inclúsit Joannem in cárcere. ℣. Non récipit stultus verba prudéntiæ. Impius cùm in profundum vénerit peccatórum, contemnit. * Adjécit et hoc super ómnia. *Luc.* 3. *Prov.* 18.

LECTIO III.

(Num. 29 et 30.)

QUIS non, cùm è convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimitti? Quis, inquam, cùm audisset natálem esse Heródis, solemne convívium, puellæ optiónem eligendi quod vellet datum, missum ad Joannem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? Quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta, convíváli témpore, convíváli præcepto, quo non cúperet vel absolvi: perímitur gládio, caput ejus affertur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur. Intuére, rex acerbíssime, tuo spectácula digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid sævítiæ tuæ desit, ut inter dígitos tuos rivi défluant sancti cruóris. Et quóniam non exsaturári épulis fames, non restingui póculis pótuit inaudítæ sævítiæ sitis; bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exsecti cápitis profluentem. Cerne óculos in ipsa morte scéleris tui testes, aversantes conspectum deliciárum. Clauduntur lúmina, non tam mortis necessitáte, quam horrore luxúriæ. Os áureum illud exangue, cujus senténtiam

ferre non póteras, conticescit, et adhuc timétur.

℟. Heródias insidiabátur Joanni, et volébat occidére eum, nec póterat; * Heródes enim metuébat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum. ℣. Fortitúdo símplicis, via Dómini; et pavor his qui operantur malum. * Heródes. Glória. * Heródes. *Marc.* 6. *Prov.* 10.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Accípere ánimam meam consiliáti sunt; ℟. Ego autem in te speráví, Dómine. *Ps.* 30.

AD LAUDES.

Ant. 3. a. Heródes ténuit Joannem, et alligávit eum, et pósuit in cárcerem propter Herodiádem. *Matth.* 14.

Ant. 8. *G.* Die natális Heródis saltávit fília Herodiádis, et plácuit Heródi; unde cum juramento pollícitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. *Matth.* 14.

Ant. 7. d. Illa præmónita à matre sua, Da mihi, inquit, hîc in disco caput Joannis Baptistæ. *Matth.* 14.

Canticum, Super montem, *ut in Festo*, 423.

Ant. 6. *C.* Contristátus est rex, propter juramentum autem, et eos qui páriter recumbébant, jussit dari. *Matth.* 14.

Ant. 1. a. Misso spiculatóre, præcépit afferri caput ejus in disco. *Marc.* 6.

Capitulum. (*Jerem.* 1.)

Ego dedi te hódie in civitátem munítam, et in columnam férream, et in murum æreum super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terræ.

HYMNUS.

Omnibus manat cruor ecce venis:
Hinc sitim longam sátia, Tyranne,
Et cibos inter paterasque puro
Sánguine liba.
Ut caput vidit dápibus parátis
Triste fumanti natitáre tabo,
Hæsit, impastis fremuitque mensis
Fúneris auctor.
Non tamen frontis grávitas serénæ
Cessit immíti violáta ferro:
Dura mitescit plácido sub ore
Mortis imágo.
Sic suo rursum Deus hunc præíre
Núntium Christo jubet, inferisque
Ferre præcónem nova liberandi
Gáudia mundi.
Qui Deo plenus rígidis futúrum
Móribus Christum rudis exprimébat,
Débuit dirà quoque morte totum
Réddere Christum

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriusque nexus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Superbi iníquè agébant usquequáque: ℟. A lege autem tua non declinávi. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Misit Heródes, et decollávit Joannem in cárcere; et allátum est caput ejus in disco, et datum est puellæ; et puella dedit matri suæ. *Matth.* 14. *Marc.* 6.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui beátum Joannem Baptistam, et nascentis et morientis Fílii tui Præcursórem esse voluisti; concéde, ut sicut ille veritátis et justítiæ Martyr occúbuit; ita nos pro veritáte et justítia ad mortem usque certémus; Per eumdem.

Fit Commem. Oct. SS. Apostol. Petri et Pauli, Ant. Dei sumus. ℣. Constítues. *Collecta*, Deus, qui hodiernam, 441.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Heródes.

AD TERTIAM.

Ant. 8. *G.* Die natális.

Capitulum. (*Eccles.* 5.)

NE témerè quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermónem coram Deo, Deus enim in cœlo, et tu super terram.

℟. *br.* Deus, iníqui * Insurrexérunt super me. Deus. ℣. Et synagóga poténtium * quæsiérunt ánimam meam, * Insurrexérunt super me. Glória Patri. Deus, iníqui. *Ps.* 85.

℣. Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; ℟. Et qui laudábant me, adversùm me jurábant. *Ps.* 101.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Illa præmónita.

Capitulum. (*Is.* 4.)

VÆ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietátem: qui justificátis ímpium pro munéribus, et justítiam justi aufertis ab eo. Propter hoc sicut dévorat stípulam lingua ignis, et calor flammæ exúrit; sic radix eórum quasi favilla erit, et germen eórum ut pulvis ascendet.

℟. *br.* Adversùm me loquebantur, * Qui sedébant in porta. Adversùm. ℣. Et in me psallébant * qui bibébant vinum, * Qui sedébant. Glória Patri. Adversùm. *Ps.* 68.

℣. Deus, ne derelínquas me in cogitátu illórum; ℟. Et ánimæ irreverenti et infrunítæ ne tradas me. *Cant. Eccli.* 23.

AD NONAM.

Ant. 1 a. Misso.

Capitulum. (*Eccli.* 49.)

MALE tractavérunt illum, qui à ventre matris consecrátus est Prophéta, evértere, et erúere, et pérdere, et íterum ædificáre, et renováre.

℟. *br.* Príncipes * Persecúti sunt me gratìs. Príncipes. ℣. Et à verbis tuis formidávit cor meum. * Persecúti sunt. Glória. Príncipes. *Ps.* 118.

℣. Eripe me, Dómine, de operántibus iniquitátem : ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

VESPERÆ *de Festo sequenti.*

DIE II.

IN VISITATIONE
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Solemne-minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 1. g. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhæ, et thuris, et universi púlveris pigmentárii? *Cant.* 3.

Ant. 4. d. Quàm pulchri sunt gressus tui, Fília príncipis! *Cant.* 7.

Ant. 5. C. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis bonum! *Is.* 52.

Ant. 8. c. Arca fœderis Dómini véniat in médium nostrî, ut salvet nos. 1. *Reg.* 4.

Ant. 6. F. Descendisti, Dómine, et à fácie tua montes defluxérunt : óculus non vidit absque te, quæ præparasti expectántibus te. *Is.* 64.

Capitulum. (*Eccli.* 4.)

QUI tenúerint sapiéntiam, vitam hæreditábunt; et quò introíbit, benedícet Deus. Qui sérviunt ei, obsequentes erúnt Sancto; et eos qui díligunt illam, díligit Deus.

℟. Ecce dilectus meus venit, sáliens in móntibus, transíliens colles : * En ipse stat post parietem nostrum. ℣. Spíritus dicit, Veni : et qui audit, dicat, Veni. * En. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Cant.* 2. *Apoc.* 22.

HYMNUS.

QUO sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos ò Vírginum?
Quò tendis, et cito gradu
Conscendis alta móntium?
URGET sacer te Spíritus
Toto replétam Númine :
Matris Dei jam dígnitas
Nil caritáti détrahit.
TIBI propinquam sanguine
Matrem puella vísitas,
Concessa cui divínitùs
Gratáris alvi múnera.
O QUANTA matrum gáudia!
Stupente natúrâ gravem

Anima stupes, quæ Vírginem
Factam Deo te prædicat.

Abscondítum sub intimo
Cœli nube portábas sinu
Solem, suæ qui prótinus
Lustrábit orbem lúmine.

℣. Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre : nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

℣. Visíta nos in salutári tuo, Dómine. ℟. Ad videndum in bonitáte electórum tuórum. *Ps.* 105.

Ad Magníficat, Ant. 3. a. *Duplicanda.* Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel salvátor : in Dómino justificábitur et laudábitur omne semen Israel. *Is.* 45.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Fit Commem. Decollationis S. Joannis Bapt. Ant. Accedentes discípuli Joannis, tulérunt corpus ejus, et sepeliérunt illud. *Matt.* 4.

℣. Custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum : ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96.

Collecta, Deus, qui beátum, *ut suprà*, 456.

Deinde SS. Petri et Pauli. Ant. Príncipes et ínclyti. ℣. Dómini est, 444. *Oratio*, Deus, qui hodiernam, 441.

Ad Completorium, *ut in Psalterio. Hymnus*, Vírginis títulis, 167, *hodie et eras.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum, *
Veníte, adorémus. *Matth.* 1
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Mentes, superbum vértice,
Quà Virgo transit, súbdite,
Cui se libenter stérnerent
Vel ipsa cœli sídera.

Occulta quæ latet domi,
Audet foràs se pródere :
Semper sibi timens pudor
Se cavitáte prótegit.

Ir illa, non nectit moras,
Fugit vidéri, nec minàs
Fugit vidére, ne suo
Quídquam pudóri détrahat.

Beata quam pressit pede,
Tellus ! beáta sémita !
Colles beáti, qui simul
Cum matre sensistis Deum !

Beatiores hóspites,
Vos ô quibus cœléstia,
Loquente matre Vírgine
Audíre verba cóntigit !

Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre : nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus,
Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Concépit Elízabeth, et occultábat se ménsibus quinque, dicens : Quia respexit Dóminus áuferre oppróbrium meum. *Luc.* 1.

Ant. 8. G. In mense sexto missus est Angelus Gábriel à Deo ad Maríam vírginèm desponsátam Joseph. *Luc* 1.

Ant. 7. *d.* Ingressus Angelus ad eam, dixit : Ecce concípies in útero, et páries fílium; et vocábitur Altissimi Fílius. *Luc.* 1.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Tres de Lectiones Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Ecce Elízabeth cognáta tua concépit fílium in senectúte sua, et hic mensis sextus est illi quæ vocátur stérilis; * Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. ℣. Plantáti in domo Dómini, adhuc multiplicabuntur in senecta úberi; * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 91.

Post II Lect. ℟. Christi generátio sic erat : Mater ejus * María inventa est in útero habens de Spíritu sancto. ℣. Prope timentes Dóminum salutáre ipsíus. * Maria inventa est. *Matth.* 1. *Ps.* 84.

Post III Lect. ℟. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est : páriet autem fílium; * Ipse enim ✝ Salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. ℣. Partúriens páriet, et relíquiæ fratrum ejus convertentur; * Ipse enim. Glória Patri. ✝ Salvum fáciet. *Matth.* 1. *Mich.* c. 5.

IN II° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Ponam visitatiónem tuam, pacem, dicit Dóminus; et occupábit salus muros tuos. *Is.* 60.

Ant. 8. c. Effundam Spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam. *Is.* 44.

Ant. 1. a. Hódie salus dómui huic facta est; venit enim Fílius hóminis quærere, et salvum fácere quod perierat. *Luc.* 19.

℣. Visitasti terram, Deus salutáris noster : ℟. Multiplicasti locupletáre eam *Ps.* 64.

LECTIO IV.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

(In Luc. lib. 2, n. 19.)

MORALE est ómnibus ut qui fidem éxigunt, fidem ástruant. Et ídeò Angelus, cùm abscóndita nuntiáret, ut fides astruerétur exemplo, senióris féminæ sterílisque conceptum vírgini Maríæ nuntiávit, ut possíbile Deo omne quod ei placúerit assereret. Ubi audívit hoc María, non quasi incrédula de oráculo, nec quasi incerta de núntio, nec quasi dúbitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiósa pro offício, féstina prægáudio, in montána perrexit. Quò enim, jam Deo

plena, nisi ad superiòra, cum festinatióne conténderet? Nescit tarda molímina sancti Spíritûs grátia.

℣. Exurgens María ábiit in montána * Cum festinatióne, in civitátem Juda. ℣. En dilectus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, * Cum. *Luc.* 1. *Cant.* 2.

LECTIO V.

(N. 20, 21 et 22.)

In montána virgo cum festinatióne, Virgo officii memor, injúriæ immemor, affectu vigente, non sexu, relictâ perrexit domo. Díscite, vírgines, non circumcursáre per aliénas ædes, non demorári in platéis, non áliquos in público miscére sermónes. María in domo sera, festínat in público. Didicistis, vírgines, pudórem Maríæ; díscite humilitátem. Venit propinqua ad próximam, júnior ad seniórem; nec solùm venit, sed étiam prior salutávit: decet enim ut quantò cástior virgo, tantò humílior sit. Sit magistra humilitátis, in qua est profésio castitátis. Est et causa pietátis, est étiam norma doctrínæ. Contuendum est enim quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur: María ad Elízabeth, Christus ad Joannem.

℣. Intrávit María in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth, * Et exultávit infans in útero ejus. ℣. Factum est verbum tuum, Dómine, in gáudium et lætítiam cordis; * Et exultávit. *Luc.* 1. *Jerem.* 15.

LECTIO VI.

(N. 22 et 23.)

Citò quoque adventûs Maríæ, et præséntiæ Domínicæ beneficia declarantur. Simul enim ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus, et repléta est Spíritu sancto. Vide distinctiónem, singulorumque verbórum proprietátes. Vocem prior Elízabeth audívit, sed Joannes prior grátiam sensit. Illa natúræ órdine audívit, iste exultávit ratióne mystérii. Illa Maríæ, iste Dómini sensit adventum. Istæ grátiam loquuntur, illi intùs operantur, pietatisque mystérium maternis adoriuntur proféctibus, duplicique miráculo prophétant matres spíritu parvulórum. Exultávit infans, repléta est mater. Non priùs mater repléta, quàm fílius; sed cùm fílius esset replétus Spíritu sancto, replévit et matrem.

℣. Ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus; * Et repléta est Spíritu sancto Elízabeth. ℣. Benedixit Dóminus dómui ejus, et óm-

nibus quæ habébát : * Et. Glória. * Et. *Luc.* 1. 1. *Paral.* 13.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Venit mihi gáudium à Sancto super misericórdia quæ vénietab Æterno salutári nostro. *Baruch.* 4.

Ant. 4. d. Ecce Deus salvátor meus, et factus est mihi in salútem. *Is.* 12.

Ant. 1. g. Dixit mihi Dóminus : Servus meus es tu, et glorificátus sum in óculis Dómini, et factus est fortitúdo mea. *Is.* 49.

℣. De ventre matris meæ, ℟. Tu es protector meus. *Ps.* 70.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

EXURGENS María in diébus illis, ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda ; et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth. Et réliqua.

Homília sancti Benardi Abbátis.

(De 12 Prærog. B. M. V. n. 10, 11 et 12.)

IN omni textu quátuor Evangeliórum, si bene memínimus, nonnisi quater María loquens audítur. Primò quidem ad Angelum, sed cùm jam semel atque íterum allocútus eam fuisset : secundò ad Elízabeth, quando vox salutatiónis ejus Joannem exultáre fecit in útero, et eâ magnificante Maríam, ipsa magis Dóminum magnificáre curávit : tértiò ad Fílium, cùm jam esset annórum duódecim, quòd ipsa et pater ejus dolentes quæsissent eum : quartò in núptiis ad Fílium, et ministros. Si Maríam dilígitis, si conténditis ei placére, æmulámini modéstiam ejus. Nec in sola tamen Maríæ taciturnitáte commendátur humílitas, sed evidéntiùs résonat in sermóne. Audíerat, Quod ex te nascétur Sanctum, vocábitur fílius Dei; et nihil áliud quam ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elízabeth, et contínuò Vírginis glória singuláris eídem per Spíritum revelátur. Dénique et mirabátur persónam venientis, dicens : Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me ?

℟. Exclamávit Elízabeth voce magnâ, et dixit : * Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me ? ℣. Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus ? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ? * Et. *Luc.* 1. *Ps.* 8.

LECTIO VIII.

(N. 12.)

COMMENDABAT et vocem salutantis, adjíciens : Ut facta

est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo. Et beatificábat fidem credentis : Beáta, ínquiens, quæ credidisti; quóniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino. Magna quidem præcónia ; sed et devóta humílitas nihil sibi passa retinére, in eum magis universa refúdit, cujus in se benefícia laudabantur. Tu, inquit, magníficas matrem Dómini; sed, Magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea fílium pérhibes exultasse in gáudio; sed, Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo, et ipse quoque, tanquam amícus sponsi, gáudio gaudet ad vocem sponsi. Beátam esse dicis quæ credidisset; sed credulitátis et beatitúdinis causa respectus est supernæ pietátis, ut ex hoc magis beátam me dicant omnes generatiónes, quia ancillam húmilem et exíguam respexit Deus.

℟. Ait María : * Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. ℣. Veníte, audíte; et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ : * Magníficat. *Luc.* 1. *Ps.* 65.

LECTIO IX.

(N. 13.)

VERUMTAMEN numquid putámus, fratres, Elízabeth sanctam in eo quod per Spíritum útique loquebátur, errasse? Absit. Beáta plane quam respexit Deus, et beáta quæ crédidit. Hic enim magnus divínæ respectiónis éxtitit fructus. Ineffábili síquidem artifício Spíritûs supervenientis tantæ humilitáti magnanímitas tanta in secretário virgínei cordis accessit, ut hæ quoque nihilóminus fiant stellæ ex respectu mútuo clarióres; quòd vidélicet nec humílitas tanta mínuit magnanimitátem, nec magnanímitas tanta humilitátem. Agit hoc nimírùm in córdibus electórum grátiæ prærogatíva divínæ, ut eos nec humílitas pusillánimes fáciat, nec magnanímitas arrogantes; magis autem cooperentur sibi, ut non solùm nulla ex magnanimitáte subintret elátio, sed hinc máximè proveháture humílitas ; ut inveniantur eò ámpliùs timoráti, et largitóri múnerum non ingráti : ac vicissim ex occasióne humilitátis pusillanímitas nulla subrépat; sed quò minùs de sua quisque vel in mínimis præsúmere consuévit, eò ámpliùs étiam in magnis quibusque de divína virtúte confídat.

℟. Habitávit arca Dómini in domo Obédedom tribus ménsibus, * Et ✝ Benedixit Dóminus omnem domum ejus propter illam. ℣. Man-

sit María cum Elízabeth quasi ménsibus tribus. * Et. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. 2. *Reg.* 6. *Luc.* 1.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Laudábo nomen Dei cum cántico, ℟. Et magnificábo eum in laude. *Ps.* 68.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Vidérunt eam, et beatíssimam prædicavérunt, et laudavérunt eam. *Cant.* 6.

Ant. 4. A. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Ant. 5. a. Ecce ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo. *Luc.* 1.

Ant. 4. f. Amícus sponsi.

CANTICUM.

(Judith. 13.)

APERITE portas, quóniam nobiscum est Deus, * qui fecit virtútem in Israel.

Laudáte Dóminum Deum nostrum, * qui non deséruit sperantes in se.

Et in me ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam, * quam promísit dómui Israel.

Et interfécit in manu mea * hostemópuli sui.

Confitémini illi, omnes; quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Ant. Amícus sponsi qui audit eum, gáudio gaudet propter vocem sponsi. *Joan.* 14.

Ant. 7. c. Benedictus Dóminus Deus Israel, qui misit te; et benedictum elóquium tuum. 1. *Reg.* 25.

Capitulum. (*Prov.* 3.)

VIÆ sapiéntiæ, viæ pulchræ; et omnes sémitæ illíus pacíficæ: lignum vitæ est his qui apprehénderint eam; et qui tenúerit eam, beátus.

HYMNUS.

AD prima verba Vírginis,
Intùs movente Spíritu,
In matris alvo cónditus
Infans Joannes géstiit.

AGNOVIT infantem Deum:
Quem sensit, ardet pródere:
Vates et infans, quà potest,
Adesse Christum núntiat.

HIC jam Redemptóris vices,
Præcónis ille sústinet:
Materna claustra non vetant
Quin ambo munus ímpleant.

FELIX puer, felix parens,
Felix sacerdos, et domus,
Qui per parentem Vírginem
Deo fruuntur hóspite!

* MUNDO redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus
Amen.

℣. Benedixisti, Dómine,

terram tuam : ℟. Avertisti captivitátem Jacob. *Ps.* 84. *Ad* Benedictus, *Ant.* 1. D. Benedictus Dóminus Deus Israel, quia visitávit et fecit redemptónem plebis suæ. *Luc.* 1.

COLLECTA. Oremus.

ADESTO Ecclésiæ tuæ, misericors Deus, et filios adoptiónis júgiter in ejus sinu purifica, qui Maríæ clausus útero, Joannem in sinu Elizabeth sanctificasti; qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte Spiritûs sancti Deus.

Fit Commemoratio Octavæ SS. Petri et Pauli. Ant. Dei. ℣. Constitues. *Oratio*, Deus qui hodiernam, 448.

AD HORAS, *dicitur in fine Hymnorum doxol.* * Mundo redemptor qui venis, *ut suprà*, 463.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *f.* Vidérunt.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matt.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. benedicta tu.

Capitulum. (*Genes.* 22.)

BENEDICAM tibi, et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedisti voci meæ.

℟. *br.* Benedicentur in ipso * omnes tribus terræ, * Allelúia, allelúia. Benedicentur. ℣. Omnes gentes * magnificábunt eum, Allelúia. Glória. Benedicentur. *Ps.* 71.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum: ℟. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. *Ps.* 44.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Ecce.

Capitulum. (*Joel* 2.)

SCIETIS quia in médio Israel ego sum: et ego Dóminus Deus vester, et non est ámplius: et non confundétur pópulus meus in æternum. Et erit post hæc: Effundam Spíritum meum super omnem carnem; et prophetábunt filii vestri, et filiæ vestræ.

℟. *br.* Vox exultatiónis * et salútis, * Allelúia, allelúia. Vox exultatiónis. ℣. In tabernáculis * justórum, * Allel. Glória. Vox. *Ps.* 117.

℣. Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: ℟. Dedisti lætítiam in corde meo. *Ps.* 4.

AD NONAM.

Ant. 7. c. Benedictus.

Capitulum. (*Tob.* 12.)

BENEDICITE Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobiscum misericórdiam suam.

℟. *br.* In Dómino * laudábitur ánima mea, * Allelúia,

allelúia. In Dómino. ℣. Audiant mansuéti * et lætentur, * Allelúia. Glória Patri. In Dómino.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. C. Respexit Deus humilitátem ancillæ suæ: ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

Ant. 1. D. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Ant. 4. F. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1.

Ant. 5. C. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispersit superbos, et exaltávit húmiles. *Luc.* 1.

Ant. 8. G. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ, sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini ejus. *Luc.* 1.

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

Deus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis.

Allelúia, allelúia. ℣. Beáta quæ credidisti; perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. Allelúia. *Luc.* 1.

HYMNUS.

Ceteri nunquam, nisi vagiendo,
Primitùs vocem púeri Profundunt:
Unus in cunctis álacris Joannes
Prævenit ortum.
Hunc sibi nondum génitum sacrávit
Patris æterni Génitus Prophétam:
Spíritu gaudens canit hinc futúra
Utraque mater.
Ecce quàm fructu génitrix utróque
Digna! quàm fructu génitríce dignus
Hæc Deum Virgo, stérilis recondit
Illa Prophétam.
Fac tuos puris hódie clientes,
Virgo, collustret rádiis Redemptor
Ille, quem prodit nova nascitúro
Grátia Vati.
Det sequi certo pede quà præisti,
Dum Patris summi paritúra Prolem,
Vilis ancillæ títulum modesto
Péctore præfers.
Summa laus Patri, genitoque Verbo;
Et tibi compar, utriusque nexus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Exultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

Ad Magnificat, *Ant.* 7. G. *Duplicanda.* Mansit María cum Elízabeth quasi ménsibus tribus, et reversa est in domum suam. *Luc.* 1.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Martialis, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collect.* Deus, cujus, *ut infrà.*

Deindè SS. Apost. Petri et Pauli. Ant. Príncipes. ℣. Dómini, 444. *Collecta,* Deus, qui hodiernam diem, 441.

DIE III.

SANCTI MARTIALIS,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

MARTIALIS, ad disseminandam inter Gentes verbi divíni prædicatiónem, ordinátus Epíscopus, ab initio presbyteros duos Alpiniánum et Austricliniánum adjutóres hábuit, qui eum, ut refert Gregórius Turonensis, ab Oriente secúti, comitáti sunt in Galliárum regiónes, ad quas missus est à Románis Epíscopis. Hoc in múnere cùm álios sex Epíscopos collégas habéret, áliis ália loca peténtibus, ispe Aquitániæ Apostolátum cum Stremónio, qui apud Arvernos consédit, partítus est, et statim usque ad Bitúrigum civitátem, quam unus ex eórum discípulis aggressus est, efficacíssimo ópere fidem propagávit. Per ália quoque ejusdem provínciæ óppida jactis religiónis sanctæ fundamentis, tandem Lemóvicas advénit; quâ in urbe ut primùm prædicáre cœpit, crédidit ac professa est præ céteris Christi nomen Valéria Leocádii Senatóris fília, quæ virginitátem Deo vovit, et mox prima ómnium in Aquitánia sánguinem martyrio profúdit.

LECTIO III.

STATIM verò sedátâ illíus persecutiónis procellâ, ita deinceps in illa civitáte Martiális exemplo virtutibusque, salútis doctrína conváluit, ut ferè pópulus omnis, abjectis simulacrórum rítibus, ad cultum Dei sese conferret, nec ipse álibi sedem Episcopátûs sui collocandam dúceret. Non tamen ídeò vicínas Pictónum, Santonumque regiónes prorsus neglexit, in quibus Burdégalam usque palàm ac líberè annuntiasse tandem regnum Dei in senectúte tráditur. Demum post annos octo supra viginti ministério verbi impensos, felíciter migrávit ad Dóminum. Cónditum est corpus ejus in crypta, quam miráculis plúrimis suo témpore inclaruisse refert Gregórius Turonensis, ubi étiam duo Presbyteri qui ei ad mortem usque adhæserant, conjunctis túmulis, sepulti sunt.

ORATIO.

Deus, cujus ineffábili misericórdià beátus Póntifex Martiális in géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi : da nos ejus intercessióne créscere in sciéntia tua, et in omni ópere bono fructificantes, secundùm Evangélii veritátem coram te ambuláre; Per eumdem.

Fit Commemoratio, Oct. SS. Petri et Pauli.

Vesperæ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi Pontificum. Collecta,* Deus, qui pópulo tuo, *ut infrà,* 468.

Fit Commem. Octavæ SS. Apost. Ant. Príncipes. ℣. Dómini, 444. *Collecta,* Deus, qui hodiernam diem, 441.

Deindè S. Martialis, Episcopi. Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, xxviii. *Collect.* Deus, cujus, *ut suprà.*

DIE IV.

IN ORDINATIONE

ET TRANSLATIONE

SANCTI MARTINI,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

Martinus ab Hilário Pictaviensi Antístite ante ejusdem exílium baptizátus, ipsi post réditum ab exílio árctiùs adhæsit; et collocáto prope óppidum monastério, vicínis pópulis prædicáre exorsus est. Cùm verò duos mórtuos inter cétera virtútum insígnia suscitasset, ad Turonensem Episcopátum ex improvíso petítus, ne efúgere posset, Rurícii civis indústriâ à monastério suo avulsus est; et dispósitis in itínere cívium turmis, ad eam urbem deductus. Illicò congregátis cum Clero ac plebe Præsúlibus, unâ ómnium sententiâ renuntiátum est Martíno néminem esse Episcopátu digniórem. Objecta tamen ei fuit à plebéiis paucis, instinctu Defensóris Epíscopi, cum neglectu faciéi, squalor véstium, et crínium defórmitas. Sed hæc à sapiéntibus méritò irrísa, imò quasi divíno judício reprobári visa sunt. Hanc ordinatiónem anno Valentis et Valentiniáni octávo, quarto Nonas Júlii celebrátam, tanta intrà Gállias benedíctio secúta est, ut non majóres fructus ipsa Apostolórum prædicátio per várias orbis partes habúerit; nec, Sulpítio teste, cedat Gállia Græciæ quæ Paulum ipsum áudiit, postquàm illi datum est habére Martínum

LECTIO III.

Sedit Martínus in Episcopátu annos viginti sex, menses quátuor et dies viginti septem. Et consummáto cursu in Condatensi vico,

Turónos eâ ipsâ nocte relátus, honorífico túmulo sepultus est, quingentis infrà civitátem pássibus. Bríctius ejus in Episcopátu successor, párvulam Ecclésiam super illud sepulcrum extruxit. Post annos verò sexaginta quátuor, crebrescéntibus ibi miráculis, Perpétuus quintus à Martíno Epíscopus, Majórem et admirábilis fábricæ basílicam, prióre dirutâ, ædificávit; quam ut dedicáret, et corpus beáti Martíni è loco ubi fúerat sepultum, transferret, convocávit ad diem primam Júlii vicínos Epíscopos, et Abbátum et Clericórum non mínimam multitúdinem. Sed cùm eo die sancti Pontíficis corpus nullà vi movéri posset, admonente quodam Clérico natále ordinatiónis ejus in diem quartam incídere, translatiónem ad hanc diem dístulit Perpétuus. Post triduánas ergo preces et vigílias, pródiit médiâ in turbâ senex, qui Martínum à se vidéri affirmáret parátum ad opem astántibus ferendam. Is primus féretro manum appósuit, quod, réliquis adjuvántibus, nullo labóre levátum est, et in nova Ecclésia collocátum.

ORATIO.

Deus, qui pópulo tuo æternæ salútis beátum Martínum ministrum tribuisti: præsta, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

Fit commem. Oct. SS. Apost. Ant. Dei. ℣. Constítues. *Collecta*, Deus, qui hodiernam diem, 441.

Vesperæ, *à Capitulo de Octava, ut in II Vesperis Festi; omittitur* Allelúia, *cum* ℣.

Fit Commem. S. Martini, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, xxviii. *Collecta*, Deus, qui pópulo tuo, *ut suprà.*

Ad Complet. *Antiph. ut in die Festo.*

DIE V.

DE OCTAVA
SANCTORUM PETRI ET PAULI.
APOSTOLORUM.

Semiduplex.

Omnia ut in die, servato ritu Semiduplici.

Psalmi de Feria in toto Officio.

Ad Noct. *Tres Ant.* ℣. *et* RRR. *è tertio Nocturno Festi.*

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente; ex duabus ultimis fit una.

LECTIO III.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(Serm. in natali Apost. Petri et Pauli.)

Omnium quidem sanctárum solemnitátum, dilectíssimi,

totus mundus est párticeps; et uníus fídei píetas éxigit, ut quidquid pro salúte universórum gestum recólitur, commúnibus ubíquè gáudiis celebrétur. Verúmtamen hodierna festívitas præter illam reveréntiam quam toto terrárum orbe proméruit, speciáli et própriâ nostræ urbis exultatióne veneranda est; ut ubi præcipuórum apostolórum glorificátus est éxitus, ibi in die Martyrii eórum sit lætítiæ principátus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangélium Christi, Roma, resplénduit; et quæ eras magistra erróris, facta es discípula veritátis. Isti sunt Patres tui veríque pastóres, qui te regnis cœléstibus inserendam multò méliùs, multòque felíciùs condidérunt, quàm illi quorum stúdio prima mœnium tuórum fundamenta locáta sunt; ex quibus is qui tibi nomen dedit, fraternâ te cæde fœdávit. Isti sunt, qui te ad hanc glóriam provexérunt; ut gens sancta, pópulus electus, cívitas sacerdotális et régia, per sacram beáti Petri sedem caput orbis effecta, látiùs præsidéres religióne divínâ, quàm dominatióne terrénâ. Quamvis enim multis aucta victóriis, jus impérii tui terrâ maríque protúleris, minùs tamen est quod tibi béllicus labor súbdidit, quàm quod pax Christiána subjécit.

Ad Laudes, *Ant. sola* Obstupuérunt, *quarta de Laudibus Festi.*

Ad Horas, *omittitur* Allelúia *in* ℟℟. *br.*

Vesperæ *de sequenti.*

DIE VI.

OCTAVA SS. APOSTOLORUM

PETRI ET PAULI;

ET FESTUM

OMNIUM SS. PONTIFICUM

IN SEDE ROMANA BEATI PETRI SUCCESSORUM.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Ant. 8. G. Interrogábat discípulos suos Jesus dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? *Matth.* 16.

Ant. 3. a. Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. *Matth.* 16.

Ant. 1. D. Dixit ei Jesus: Beátus es, Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Matt.* 16.

Ant. 5. a. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. *Matth.* 16.

Ant. 4. D. Tibi dabo claves regni cœlórum: et quod-

cumque ligáveris super terram : erit ligátum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solútum et in cœlis. *Matth.* 16.

Capitulum. (1. *Par.* 17.)

Hæc dicit Dóminus : Ego tuli te, ut esses dux pópuli mei Israel : et fui tecum quocumque perrexisti. Annúntio ergo tibi quòd ædificatúrus sit tibi Dóminus Domum.

℟. Cùm impléveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, * Suscitábo post te de filiis tuis, et stabiliam, et firmábo in domo mea, in sempiternum : et thronus erit firmíssimus in perpétuum. ℣. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo. * Suscitábo. Glória. * Suscitábo. 1. *Paral.* 17. *Hebr.* 5.

HYMNUS

Petre, his seni caput es Senátûs ;
Tu gregis custos, oviumque pastor ;
Clávibus certis réseras supernæ
Páscua vitæ.
Ad sacræ lumen fídei vocátus
Déseris navim ; tua, teque subdis ;
Páuperem pauper Dóminum secútus
Díligis unum.
Dum latet summi déitas *magistri*
Véritas detaptâ tibi nube fulget ;
Et Deum vivo génitum fáteris
Númine Christum.
Fis lapis firmus, super hunc in ævum
Stabit æternum tua, Petre, sedes :
Fundat hanc auctor Deus, et perenni
Fœdere fulcit.
Roma, ditáris moriente Petro :
Fis potestátis potióris hæres :
Majus et bello tibi christiána
Pax decus addit.
Nostra te summum celébrent Parentem.
Ora te summo Génitum parente ;
Par sit, ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii ; ℟. Constítues eos príncipes super omnem terram. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Nunc ígitur, Dómine, sermo quem locútus es fámulo tuo, et super domum ejus, confirmétur in perpétuum, et fac sicut locútus es ; permaneatque et magnificétur nomen tuum usque in sempiternum. 1. *Paral.* 17.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Ad Completorium, *ut in Festo sanctorum Apostolorum*, 433.

AD OFFICIUM NOCT.

INVITATORIUM.

CAPUT Córporis Ecclésiæ Christum : * Veníte, adorémus. *Ephes.* 5.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

PER quos vera Dei Relligio stetit,
Justis Pontífices tollat honóribus :
Nobis illa dies læta renáscitur
Tot Patrum sacra glóriæ.
Hos non ambítio, non favor éxtulit,
Hos plebs, hos próceres Pontífices pétunt :
Tales ipse tibi, Christe, vicários,
Nobis próvidus éligis.
DUM per mille neces impíetas furens
Casto Christiádum sánguine páscitur,
Custódes fídei, magnánimi mori,
Fidas excúbias agunt.
ROMÆ Pontífices quos timet æmulos,
Cæsar multa fremens pérdere cógitat :
Vires hinc cápiunt, nec rénuunt graves,
Quas tinget cruor, ínsulas.
FACTI forma, Deo quem páriunt, gregis,
Non quærunt látebras, non próperant fugam :
Inter mille lupos, diræ ávidos necis
Jus Pastóris erat mori.
PASTOR pro grégibus qui caput óbjicit,
Respiráre greges dat sibi créditos;
Discunt indè mori : depósito metu,
Quo dux ánteit ádvolant.
SIT laus summa Patri, summaque Fílio :
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Per quem, Christe, tuam vox hóminum crucem
Terris éxtulit ómnibus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Laudémus viros gloriósos, et parentes nostros in generatióne sua. *Eccli.* 24.

Ant. 8. G. Primus Simon, quem Jesus cognominávit Petrum. *Matth.* 10. *Luc.* 6.

Ant. 7. d. Post eum stetérunt et defendérunt pópulum fortíssimi viri. 1. *Paral.* 11.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis : ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43.

Lect. de Script. occurr.

Post I Lect. ℟. Ait Dóminus Petro : Simon, Simon, ego rogávi pro te, ut non deficiat fides tua : * Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. ℣. Loquére ómnia quæ ego præcípio tibi : ne formídes, quia ego tecum sum. * Et tu. *Luc.* 22. *Jerem.* 1.

Post II. Lect. ℟. Dicit Si-

móni Petro Jesus; Simon Joannis diligis me? Dicit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei; * Pasce agnos meos. ℣. Tu pasces pópulum meum, et tu eris dux super eum. * Pasce. *Joan.* 21. 2. *Reg.* 5.

Post III Lect. ℟. Dixit Jesus tértiò: Simon Joannis, amas me? et dixit ei Petrus: Dómine, tu ómnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: * Pasce oves meas. ℣. Ego dedi te super omnem terram, régibus, princípibus, sacerdótibus, et pópulo * Pasce. Glória. * Pasce. *Joan.* 21. *Jerem.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Pastóres juxta cor meum, pascent vos sciéntiâ et doctrínâ. *Jerem.* 3.

Ant. 8. c. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum et pollútum, et inter mundum et immundum ostendent eis. *Ezech.* 44.

Ant. 1. a. Cùm fúerit controvérsia, stabunt in judíciis meis, et judicábunt. *Ezech.* 44.

℣. Nolíte tángere christos meos; ℟. Et in prophétis meis nolíte malignári. *Ps.* 104.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Irenæi, Epíscopi et Mártyris adversùs hæreses.

(Lib. 3, cap. 3.)

MAXIMÆ et antiquíssimæ, et ómnibus cógnitæ, à gloriossímis duóbus Apóstolis Petro et Paulo Romæ fundátæ et constitútæ Ecclésiæ, eam quam habet ab Apóstolis traditiónem, et annuntiátam homínibus fidem, per successiónes Episcopórum pervenientem usque ad nos indicantes, confúndimus omnes eos, qui quoquómodò, vel per suî placéntiam malam, vel vanam glóriam, vel per cæcitátem et malam senténtiam, præterquàm oportet, cólligunt. Ad hanc enim Ecclésiam, propter potiórem principalitátem, necesse est omnem conveníre Ecclésiam, hoc est, eos qui sunt úndique fidéles, in qua semper ab his qui sunt úndique, conserváta est ea quæ est ab Apóstolis tradítio.

℟. Audi, sacerdos magne, tu et amíci tui: * Judicábis domum meam, et custódies átria mea, et áuferam iniquitátem terræ. ℣. Oportet te prophetáre géntibus, et pópulis, et linguis, et régibus multis. * Judicábis. *Zach.* 3. *Apoc.* 10.

LECTIO V.

FUNDANTES ígitur et instruentes beáti Apóstoli Ecclésiam, Lino episcopátum administrandæ Ecclésiæ tradidérunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timótheum Epístolis méminit. Succédit autem ei Anacle-

tus : post eum tértio loco ab Apóstolis sortítur Clemens, qui et vidit ipsos Apóstolos, et cóntulit cum eis. Huic autem Clementi succédit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apóstolis constitútus est Sixtus, et ab hoc Telésphorus, qui étiam gloriosíssimè martyrium fecit : ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicétus. Cùm autem successisset Anicéto Soter, nunc duodécimo loco episcopátum ab Apóstolis habet Eleutherius. Hàc ordinatióne et successióne, ea quæ est ab Apóstolis in Ecclésia Tradítio, et veritátis præconátio pervénit usque ad nos.

℟. Si difficile et ambíguum apud te judícium esse perspéxeris : et judícum intra portas tuas víderis verba variári : * Surge, et ascende ad locum, quem elégerit Dóminus Deus tuus. ℣. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probáti sunt, manifesti fiant. * Surge. *Deut.* 17. 1. *Cor.* 11.

LECTIO VI.

Ex libro sancti Optáti Milevitáni Epíscopi, contra Parmeniánum.

(Lib. 2.)

NEGARE non potes, scire te in urbe Româ Petro primò Cáthedram esse collátam, in qua séderit ómnium Apostolórum caput Petrus; undè et Cephas appellátus est : in qua Cáthedra, únitas ab ómnibus servarétur; ne céteri Apóstoli síngulas sibi quisque defénderent : ut jam schismáticus et peccátor esset, qui contra singulárem Cáthedram, álteram collocáret. Ergo Cáthedram únicam, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Cletus, Cleto successit Clemens, Clementi Evaristus, Alexander, Sixtus, Telésphorus, Hyginus, Anicétus, Pius, Soter, Eleuthérius, Victor, Zephirínus, Calixtus, Urbánus, Pontiánus, Anterus, Fabiánus, Cornélius, Lúcius, Stéphanus, Sixtus, Dionysius, Felix, Caíus, Marcellínus, Marcellus, Eusébius, Miltíades, Sylvester, Marcus, Július, Libérius, Dámasus, Sirícius hódiè qui noster est sócius; cum quo nobiscum totus orbis commércio formatárum, in una Communiónis societáte concordat. Vestræ cáthedræ vos oríginem réddite, qui vobis vultis sanctam Ecclésiam vindicáre. Sed et habére vos in urbe Roma partém áliquam dícitis; ramus est vestri erróris, protextus de mendácio, non de radice veritátis.

℟. Fácies quodcumque díxerint qui præsunt loco, quem elégerit Dóminus, et docúerint te : * Qui autem

superbíerit, nolens obedíre Sacerdótis império et decréto, áuferes malum de Israel. ℣. Obedíte præpositis vestris, et subjacéte eis: ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris reddituri. * Qui. Glória. * Qui. *Deut.* 17. *Hebr.* 13.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. *Eccli.* 44.

Ant. 4. d. Ad eórum eruditiónem omnis Israel sanctificabátur Dómino. 2. *Paral.* 35.

Ant. 1. g. De vértice móntium clamábunt, ponent Dómino glóriam et honórem ejus in ínsulis nuntiábunt. *Ps.* 42.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei; ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 6.)

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

(Serm. 2, in anniv. assumpt. suæ.)

Cum, sicut Evangélicâ lectióne reserátum est, interrogasset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis diversa opinántibus) créderent; respondissetque beátus Petrus, dicens: Tu es Christus Fílius Dei vivi; Dóminus ait: Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam; et tibi dabo claves regni cœlórum, et quodcumque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis; et quodcumque sólveris super terram erit solútum et in cœlis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus in accepta fortitúdine petræ persevérans, suscepta Ecclésiæ gubernácula non réliquit.

℟. Ædificavérunt sancta, et átria sanctificavérunt: et * Tulérunt lápides contaminatiónis in locum immundum. ℣. In promptu habentes ulcisci omnem inobediéntiam. * Tulérunt. 1. *Mach.* 4. 2. *Cor.* 10.

LECTIO VIII.

Sic enim præ céteris est ordinátus, ut dum petra dícitur, dum fundamentum pronuntiátur, dum regni cœlórum jánitor constitúitur, dum ligandórum solven-

dorumque árbiter, mansúra étiam in cœlis judiciórum suórum definitióne præfícitur, qualis ipsi cum Christo esset socíetas, per ipsa appellatiónum ejus mystéria noscerémus. Qui nunc plénius et poténtius ea quæ sibi commissa sunt, péragit, et omnes partes officiórum atque curárum in ipso et cum ipso per quem est glorificátus, exéquitur. Si quid itáque à nobis rectè ágitur, rectèque discérnitur : si quid à misericórdia Dei quotidiánis supplicatiónibus obtinétur, illíus est óperum atque meritórum, cujus in sede sua vivit potestas et excellit auctóritas. Hoc enim obtínuit, dilectíssimi illa Conféssio, quæ à Deo patre apostólico inspiráta cordi, ómnia humanárum opiniónum incerta transcendit : et firmitátem petræ, quæ nullis impulsiónibus quaterétur accépit.

℟. Per fidem vicérunt regna : álii ludíbria et vérbera experti, insuper et víncula, et cárceres : * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. ℣. Quanta pro légibus et pro sanctis prælia, et angústias quales! horum grâtia periérunt. * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. 1. *Mach.* 13.

LECTIO IX.

In universa namque Ecclésia : Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit : et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbüitur. Hæc fides diábolum vincit et captivórum ejus víncula dissolvit. Hæc érutos mundo, ínserit cœlo, et portæ ínferi adversùs eam prævalére non possunt. Tantâ enim divínitùs soliditáte muníta est, ut eam neque hærética unquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His itáque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodierna festívitas ut in persóna humilitátis meæ, ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persévérat, et cujus étiam dígnitas in indigno hæréde non déficit.

℟. O fílii, æmulatóres estóte legis, et * Mementóte óperum Patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis, et † Accipiétis glóriam magnam, et nomen æternum. ℣. Fílii, obedíte paréntibus vestris in Dómino; hoc enim justum est. * Mementóte óperum. Glória. † Accipiétis. 1. *Mach.* 2. *Ephes.* 6.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* In justítia tua, Dómine, exaltabuntur, ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Ps.* 88.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Hi custodiérunt elóquium tuum, Dómine, et pactum tuum servavérunt; judícia tua, ô Jacob; et legem tuam, ô Israel. *Deut.* 33.

Ant. 4. A. Locútus es cum eis de cœlo, Dómine, et dedisti eis judícia recta et legem veritátis, ceremónias et præcepta bona. 2. *Esdr.* 9.

Ant. 5. a. Hómines dívites in virtúte, pacificantes in dómibus suis, in generatiónibus gentis suæ glóriam adepti sunt. *Eccli.* 44.

Canticum, ut in Festo SS. Apostolorum, 440.

Ant. 4. f. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia. *Eccli.* 44.

Ant. 7. c. Fílii eórum propter illos usque in æternum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. *Eccli.* 44.

Capitulum. (1. *Thess.* 2.)

FRATRES, quæ est nostra spes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? nonne vos ante Dóminum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis glória nostra et gáudium.

HYMNUS.

QUOS suis jussit grégibus præíre
Pastor æternus, Próceres canámus:
Dulce sit natis generósa Patrum
Facta referre.
SEDIS hærédes fideique Petri,
Una mens omnes agit, unus ardor,
Quâ patet tellus, Dómino fidélem
Fíngere plebem.
NON tument fastu; tríplici corónâ
Cincta frons pallet, grave pondus horrens;
Quam priùs Christus tulit, hirta spinis
Una placéret.
PRO Deo vitam cúpidi pacisci,
Otium duri sibi denegárunt;
Prælium Christi bene præliári
Sola voluptas.
CUM suis vertunt simulácra templis:
Hæreses contra nova monstra surgunt:
Nulla vis terret, pia vincit omnem
Cura labórem.
PAX tuos ergo manet alta fines,
Christe, jam liber tibi servit orbis;
Jam tuis latè tua Sponsa regnat
Tuta Ministris.
CHRISTE, pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut æternæ súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

℣. Benedícite sacerdótes Dómini Dómino; ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Dedit Christus pastóres, ad consummatiónem sanctórum, donec occurrámus omnes in unitátem fídei, ut non simus párvuli fluctuantes, et circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui suprà beáti Petri confessiónem ædificátam Ecclésiam, per ejus in Romána sede successóres gubernáre non désinis; præsta, ut eórum intercessióne, quos suprémæ ipsíus dignitátis hærédes, fídei incorruptæ defensóres, immarcessibilisque glóriæ partícipes effecisti, unitátis centro fírmiter adhærentes, ad te Príncipem Pastórum perveníre felíciter valeámus; Qui vivis et regnas.

AD HORAS. *Doxol.* Uni sit et trino Deo, *ut suprà*, 441.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Hi custodiérunt.

In ℟. *br.* ℣. Qui es caput Córporis Ecclésiæ. *Coloss.* 1.

CANON.

Ex sancto Cypriáno.

(Lib. de unitate Ecclesiæ.)

SUPER unum Petrum ædificávit Christus Ecclésiam suam, et illi pascendas mandat oves suas: et quamvis Apóstolis ómnibus post resurrectiónem suam parem potestátem tríbuat, tamen ut unitátem manifestáret, unam cáthedram constítuit, et unitátis oríginem ab uno incipientem suâ auctoritáte dispósuit.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Locútus es.

Capitulum. (1. *Thess.* 4.)

FRATRES, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepistis à nobis, quómodò opórteat vos ambuláre, et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

℟. *br.* Narrábunt fíliis suis; * Ut ponant in Deo spem suam. Narrábunt. ℣. Et non obliviscantur * óperum Dei; * Ut ponant. Glória. Narrábunt.

℣. Mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis: ℟. Ut cognoscat generátio áltera. *Ps.* 77.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Hómines.

Capitulum. (*Is.* 61.)

ÆDIFICABUNT deserta à século, et ruínas antíquas érigent, et instaurábunt civitátes dissipátas in generatiónem et generatiónem.

℟. *br.* Dóminus excelsus, * Subjécit pópulos nobis.

Dóminus. ℣. Et gentes * sub pédibus nostris * Subjécit. Glória. Dóminus. *Ps.* 46.

℣. Elégit nobis hæreditátem suam, ℟. Spéciem Jacob quam dilexit. *Ps.* 46.

AD NONAM.

Ant. 7. C. Filii.

Capitulum. (*Tob.* 2.)

Finem sanctórum sumus, et vitam illam expectámus, quam Deus dátúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

℟. *br.* Justítia illíus * In filios filiórum. Justítia. ℣. His qui servant * testamentum ejus. * In filios. Glória Patri. Justítia. *Ps.* 102.

℣. Benedícti vos à Dómino, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 113.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. C. In diébus suis ædificavérunt domum, et exaltavérunt templum sanctum Dómino. *Eccli.* 49.

Ant. 1. D. Persecúti sunt filios supérbiæ, et prosperátum est opus in mánibus eórum: et non dedérunt cornu peccatóri. 1. *Mach.* 2.

Ant. 4. E. Dixérunt: pugnémus pro sanctis nostris, quóniam mélius est nos mori, quàm vidére mala sanctórum. 1. *Mach.* 2.

Ant. 5. C. Fórtiter fecérunt, ut bárbaram multitúdinem fugárent, et civitátem liberárent, et leges, quæ abolítæ erant, restituerentur. 2. *Mach.* 2.

Ant. 8. G. Invocavérunt Dóminum misericordem, et sanctus Dóminus Deus audívit citò vocem ipsórum. *Eccli.* 48.

Capitulum. (*Hebr.* 13.)

Mementote præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuentes éxitum conversatiónis imitámini fidem.

Hymnus, Per quos, *in Officio Nocturno.*

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis: ℟. Deus Israel ipse dabit fortitúdinem plebi suæ. *Ps.* 67.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G Oráte Deum ómnium, qui magna fecit in omni terra, qui fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam: det fieri pacem in Israel per dies sempiternos. *Eccli.* 50.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. S. Thomæ, Episc. et Mart. Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta,* Omnípotens, *ut infra.*

DIE VII.

SANCTI THOMÆ,

CANTUAR. EPISC. ET MART.

Semiduplex.

Collecta, Omnípotens, *infrà.*

LECTIO II.

Thomas Londíni natus, ex Angliæ Cancellário Cantua-

riensis Epíscopus creátus est. In ea dignitáte pósitus, abdicáto Cancellárii múnere, vitam quam aliquándiu ad séculi génium égerat, ad severiórem disciplínam cœpit exígere. Magnátum in se véhemens ódium concitávit quòd opes Ecclésiæ, quas, inváserant, restítui fecisset. Henríco secundo, qui Epíscopos ad servandas regni consuetúdines júribus Ecclésiæ contrárias, sacramento præstito, volébat adígere, fórtiter réstitit. Quamobrem sede dejectus, in exílium pulsus est; advectusque in Fránciam, Pontiníaci primùm in diœcési Autissiodorensi, tum Sénonis, demumque Parísiis aliquándiu apud sanctum Victórem mansit, ubi ad fratrum preces hábitâ concióne, instantem labórum finem, propèque imminentem sibi agónem prænuntiávit. Nihilóminus agéntibus Alexandro tértio Pontífice, et Ludovíco septimo Francórum rege, in grátiam Henríci restitútus est, et Cantuáriam reversus. Sed cùm illic novis quotídie calúmniis impeterétur, conquestus est Henrícus rex per unum sacerdótem stare quóminùs pace fruerétur.

LECTIO III.

Aulici quátuor gratum se regi factúros rati, Thomam in Ecclésia vespertínis Horis óperam dantem aggrediuntur. Qui Clericis templi áditus præclúdere conántibus accurrens : Non est, inquit, Dei Ecclésia custodienda more castrórum; pro ipsa libenter mortem subíbo. Tum flexis génibus, se Deo, beátæ Maríæ, sanctis Ecclésiæ suæ Patrónis et Mártyri Dionysio commendans, caput ímpiis mánibus præcidendum óbtulit anno ætátis quinquagésimo secundo, Christi verò millésimo centésimo septuagésimo. Henrícus tam atróci facínore perculsus, tríduo ab omni penè cibo abstínuit, et per quadraginta dies pœniténtiam egit. Thomam pósteà miráculis insignem Alexander tértius Sanctis ascripsit.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui beáto Thomæ Pontífici et Martyri tuo usque ad mortem pro justítia certáre tribuisti : fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, et ad te qui solus vera vita es, perveníre; Qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus.

Vesperæ *à Capitulo de festo sequenti ut in Communi Doctorum.*

Fit Commem S. Thomæ, Ant. Justum. ℣. Posuisti, xiv. *Collecta,* Omnípotens, *ut suprà.*

DIE VIII.

SANCTI PROSPERI,

ECCLESIÆ DOCTORIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Prosper in Aquitánia natus, sanctitátis non minùs quàm doctrínæ laude refulsit. Dei nutu in Provínciam deductus est, ut Cathólicam de Grátia doctrínam à beáto Augustíno adversùs Pelagiános egrégiè assertam, contra Semipelagiános Massiliæ tùm pullulantes defénderet ac tuerétur. Celebratíssimam de eórum erróribus et querélis ad sanctum illum Doctórem Epístolam dedit; professus scríbere se fídei, quà Ecclésia vivit, affectu. Plura ália vulgávit, tum ut sincéram de Grátia fidem astrúeret, tum ut Massiliénsium in sanctum Augustínum, quem malè interpretabantur, calúmnias depelleret. Ipsórum conátus fórtiùs adhuc effríngere cúpiens, Cœlestínum Papam ádiit, qui célebri ad Galliæ Epíscopos datà Epístolà, præclárum judícii sui de Próspero testimónium impértiit, Augustinique famam magnífico encómio túitus est.

LECTIO III.

Redux in Gállias Prosper novis labóribus totum se dévovens, Semipelagianórum *erróres detégere* ac refellere non déstitit. Libris quos plures hunc in finem édidit, tanta vis inest, tantùm affulget lúminis, ut susceptum ab Augustíno debellandórum Pelagianórum opus gloriosíssimè perfecisse prædicétur. A sancto Leóne Magno, ubi primùm ad Ecclésiæ fastígium fuit evectus, accítus est Prosper et in Notárium assumptus, ut ejus óperâ; consíliis et doctrínâ uterétur in responsis ad quæstiónes Sedi Apostólicæ propósitas. Multis tandem præclárè pro fídei defensióne scriptis et gestis, Cathólicis ómnibus carus, toto orbe célebris, óbiit, ut créditur, paulò post médium quinti séculi.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Prósperum, exímium grátiæ Christi defensórem effecisti; ádjuva nos ejus intercessióne, ut in vácuum à nobis eádem grátia tua nunquàm recipiátur; Per eumdem.

Ad Vesp. *fit Commem. S. Ephrem, Monachi, Ant.* Reliquisti. ℣. In umbra, XLIII. *Collecta,* Omnípotens, XLVII.

DIE IX.

SANCTI EPHREM,

MONACHI.

Simplex.

LECTIO III.

Ephrem, Nísibi natus paréntibus génere quidem obscúris, sed gloriósà Christi

confessióne conspícuis, à juventúte monásticæ vitæ se trádidit. Apostólicæ paupertátis æmulus, vigíliis, jejúniis, et oratióni assíduus, nullâ unquam sénsuum voluptáte delectátus, véterem sic éxuit hóminem, ut, qui olim suprà modum, ex naturáli índole, iracundum se sénserat, à némine unquam, ex quo mónachum índuit, visus fúerit irasci. In eo invícta patiéntia, mira mansuetúdo, sincéra humílitas, juges compunctiónis lácrymæ, quibus non minùs quàm sermónum vehemèntiâ, quóslibet ad pœniténtiam excitábat. In Epíscopum aliquando electus, ne invítus assumerétur, mente se captum simulávit, et fúgiens támdiu delítuit, donec álius ordinarétur. Absque ullo magistro, ad eam pervénit eruditiónem, quam tanto in prétio hábuit antíquitas, ut, teste Hierónymo, in Ecclésiis quibusdam post Scriptúras sacras scripta ejus legerentur. Sanctitáte et doctrínâ célebris óbiit sub Valente Príncipe.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo et intercessióne beáti Ephrem, cujus hódie tránsitum celebrámus, temporália ómnia despícere, et ad æterna totâ mentis intentióne festináre; Per Dóminum.

VESPERÆ *de Psalterio; à Capitulo de sequenti.*

DIE X.

SS. SEPTEM FRATRUM, ET SANCTÆ FELICITATIS EORUM MATRIS, MARTYRUM.

Simplex.

De Communi plurium Martyrum.

LECTIO III.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 3. hab. in Basil. S. Felicitatis in ejus die Natali.)

BEATA Felícitas, cujus hódie Natalítia celebrámus, septem fílios sic post se tímuit vivos in carne relínquere, sicut carnáles parentes solent metúere ne mórtuos præmittant. In persecutiónis labóre deprehensa, filiórum corda in amóre supernæ pátriæ prædicando roborávit; et parturívit spíritu, quos carne pepérerat; ut prædicatióne páreret Deo, quos carne pepérerat mundo. Numquid ergo hanc féminam Mártyrem díxerim? Sed plusquàm Mártyrem, quæ septem pignóribus ad regnum præmissis, tóties ante se mórtua, ad pœnas prima venit, sed pervénit octáva. Optávit nullum post se relínquere, ne si quem habéret supérstitem, non posset habére consortem.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, miséricors Deus; unánimes in fide et dilectióne tua perseveráre, qui sanctos Mártyres tuos esse tribuisti sincérâ caritáte in vita concordes, et gloriósâ confessióne in morte conjunctos; Per Dóminum.

DIE XI.

SANCTI BENEDICTI,

ABBATIS.

Semiduplex.

In I Vesp. *Ant. sola,* Quid prodest, *de Communi Abbatum,* XLII.

LECTIO II.

Benedictus Núrsiæ in Sabínis claro génere ortus, relictis quibus Romæ instituebátur liberálibus disciplínis, ut totum se Christo daret, in altíssima spelunca eo loco qui Sublácus dícitur, per triénnium delítuit. Sed jam erumpente ex illis látebris famâ ejus sanctitátis, quidam mónachi se illi instituendos tradidérunt: qui póstea cùm regulárem ejus disciplínam ferre non possent, venénum ipsi miscére in potu constítuunt. Ille póculum oblátum crucis signo confrégit, ac relicto monastério, in solitúdinem se recépit. Sed cùm multi ad eum quotídie discípuli conflúerent, duódecim monastéria ædificávit. Póstea migrávit *ad Cassínum*, anno quingentésimo vigésimo nono, ubi simulácrum Apóllinis commínuit, et aram evertit: ibique sancti Joannis Baptistæ et sancti Martíni sacella construxit. Incolas autem christiánis præceptis ímbuit. Scripsit Monachórum régulam, quam sanctus Gregórius discretióne præcípuam, sermóne luculentam appellat.

LECTIO III.

Multa prophético spíritu ventúra prædixit. Aliquot ante ménsibus quàm è vita migráret, præmónuit discípulos quo die esset moritúrus; ac sepulcrum in quo suum corpus condi vellet, sex ante diébus quàm eò inferrétur, jussit aperíri. Sextoque die deferri vóluit in oratórium, ubi Domínici córporis et sánguinis perceptióne munítus, sublátis in cœlum mánibus orans, inter manus discipulórum ánimam efflávit, vigésimo primo die Mártii, anno salútis quingentésimo quadragésimo tértio. Sancti viri ossa, unà cum relíquiis sanctæ Scholásticæ soróris ejus, è Cassinensi monastério à sancto Aigulfo Mártyre in Gállias advecta, atque in in cœnóbium Floriacense, nunc sancti Benedicti ad Lígerim, circa annum sexcentésimum quinquagésimum tértium transláta sunt undecimâ die Júlii.

ORATIO.

Deus, qui beátum Benedictum abbátem, de ejus quæ in mundo est concupiscéntiæ corruptióne ereptum, Christo fidéliter adhærére fecisti: quæsumus, ut contrà seculi hujus illícebras tuâ virtúte roborati, brávium supernæ vocatiónis constantes persequi, et felíciter ássequi valeámus; Per eumdem.

DIE XIII

SANCTI SILÆ,

GENTIUM APOSTOLI.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Apost. præter ea quæ hic sunt propria.

In I. Vesp. *Ant. sola* Vocávit.

LECTIO II.

Silas, qui et Sylvánus, ab Apóstolis electus est, qui cum Juda epístolam perferret Antiochíam, et referret de gestis à Synodo Jerosolymitána. Quam Epístolam cùm legissent fratres, gavísi sunt super consolatióne. Judas autem et Silas, et ipsi cùm essent Prophétæ, consoláti sunt eos, et confirmavérunt. Indè Silas cum Paulo Apóstolo profectus, perambulávit Syriam et Cilíciam. Philippis comprehensi, virgis cæsi, multisque plagis affecti, missi sunt in cárcerem, strictis ligno pédibus.

LECTIO III.

Paulo et Silà Deum oránti-bus, aperta sunt óstia cárceris, et captivórum ómnium víncula solúta. Quo ingenti miráculo factum est, ut custos cárceris cum omni domo sua baptizarétur. Cùm autem perambulassent Amphípolim, Appollóniam, Berócam, ubíque prædicantes Evangélium Dei, Paulus Athénas profectus est, Silà et Timótheo remanéntibus; quos Paulus celériter ad se veníre præcépit. Cùmque ad eum de Macedónia Corinthum venissent, instábat verbo Paulus, ipsis adjuvántibus. Scripsérunt étiam, unà cum Paulo Silas et Timótheus utramque ad Thessalonicenses Epístolam. Silas déniquè consummáto Evangélicæ prædicatiónis múnere, in passióne sua Christum glorificans, requiévit

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui per beátum Silam, virum primum in frátribus, viam salútis Géntibus annuntiári voluisti, da Ecclésiæ tuæ, ut quem ministrum fidélem experta est, benignum apud te júgiter hábeat intercessórem; Per Dóminum.

Ad Vesp. *fit Commem. S. Bonaventuræ, Episcopi et Doct. Ant.* Beátus. ℣. Beátus, xxix. *Collecta* Omnípotens, xxxiii.

DIE XIV.

S. BONAVENTURÆ,

EPISCOPI ET DOCTORIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Bonaventura Balneorégii in Etrúria natus, anno ætátis vigésimo secundo in Ordinem Fratrum Minórum ascríbi vóluit; ubi Alexandro Alensi magistro usus, tantos progressus fecit, ut séptimo post anno libros Sententiárum Parísiis públicè interpretátus sit, et láuream doctorálem adeptus. Minister generális séptimus post sanctùm Franciscum electus, Ordinem in Província Custodiasque divísit, et singulárem in Ordinis administratióne prudéntiam ac sollicitúdinem adhíbuit. Archiepiscopátum Eboracensem in Anglia sibi à Clemente quarto oblátum recusávit. Hunc Grégorius décimus, Clementis successor, honóres licet fugientem, in Cardinálium collégium, et ab ipso inítio (quod dudum desuefactum erat) in Episcopórum órdinem coaptávit, propter exímias virtútes, novo, ut tùm visum est, exemplo præfíciens eumdem Ecclésiæ Albanensi, quæ nónnisi antiquióribus Cardinálibus jam à duóbus ferè séculis committi solébat.

LECTIO III.

Hac ille amplíssimâ dignitáte auctus, in propugnanda cathólica fide, et gerendis rebus difficíllimis, egrégiam in Concílio Lugdunensi generáli, quod secundum dícitur, præstitit óperam: pravas opiniónes acérrimè confutávit; ejusque prudéntiâ, doctrínâ et oratiónibus, subláto schísmatis dissídio, Míchael Palæólogus Græcórum Imperátor, orientalesque natiónes ad Apostólicæ Sedis communiónem rediérunt. Migrávit è vita in eódem Concílio quinquaginta tres annos natus, anno Christi millésimo ducentésimo septuagésimo quarto, décimâ-quartâ Júlii, et post óbitum cláruit miráculis. Mita scripsit, in quibus lectórem sic docendo áfficit, ut in íntimos ánimi recessus penetráre videátur. Eum Sixtus quartus in Sanctórum númerum rétulit.

Ad Vesp. *fit Commem. S. Henrici, Imperat. de Communi Just. Ant.* Qui confídunt. ℣. Sperent, L. *Collecta*, Deus, qui beátum, *infrà*

DIE XV.

SANCTI HENRICI,

IMPERATORIS.

Simplex.

LECTIO III.

Henricus è Duce Baváriæ Romanórum Imperátor, co-

gnomento Pius, Religióni amplificandæ studióse incumbens, Ecclésias ab Infidélibus destructas reparávit et locupletávit. Bambergensem Episcopátum hæreditáriis ópibus fundátum, beáto Petro vectigálem fecit: Benedictum octávum prófugum excépit, et suæ sedi restítuit. Ad tuendam Ecclésiam Románam, bellum adversùs Græcos suscépit. Divínâ protectus ope, bárbaras natiónes, précibus magis quàm armis expugnávit. Pannóniam adhuc infidélem, tráditâ Stéphano regi sóróre suâ in uxórem, eoque baptizáto, ad Christi fidem perduxit. Virginitátem matrimónio junxit, sanctamque Cunegundam, cónjugem suam, morti próximus, propinquis ejus illibátam restítuit. Illústribus dénique per Gálliam, Itáliam, et Germániam, régiæ prorsùs et religiósæ munificéntiæ vestígiis passim relictis, sanctitáte et miráculis clarus, ad regni cœlestis præmia vocátus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Henrícum de terréno império ad regnum æternum transtulísti; te súpplices exorámus, ut sicut illum grátiæ tuæ suavitáte illécebras sæculi superáre fecisti; ita nos fácias mundi blandimenta vitáre, et ad te puris méntibus pervenire; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XVII.

SANCTORUM SPERATI, ET SOCIORUM EJUS, MARTYRUM.

Simplex.

Oratio, Omnípotens sempiterne Deus, XIX.

LECTIO III.

Ex Actis Mártyrum Scillitanórum.

(Apud Baronium, anno 202.)

Carthagine præcepérunt Magistrátus astáre sibi Sperátum et Sócios ejus (qui Africánæ Ecclésiæ protomártyres esse creduntur.) Astántibus eis Saturnínus Proconsul dixit: Potestis véniam à dóminis nostris Imperatóribus Sevéro et Antoníno promeréri, si conversi fuéritis ad deos nostros. Sperátus dixit: Dóminum verum et regem adorámus. Saturnínus dixit: Jura per Génium regis nostri. Sperátus dixit: Ego Imperatóris mundi Génium néscio, sed cœlesti Deo meo sérvio. Sequenti die Saturnínus dixit Speráto: Persevéras ut Christiánus sis? Sperátus dixit: Etiam, persevéro. Audientes omnes qui cum illo retenti fúerant, consensérunt confessióni illíus. Proconsul dedit in eos

senténtiam per exceptórem, dicens sic: Sperátum, Nárzalem, Cittínum, Vetúrium, Felícem, Acyllínum, Lætántium, Januáriam, Generósam, Vestínam, Donátam et Secundam, Christiános se esse confitentes, et Imperatóri honórem dare recusantes, cápite truncári præcípimus. Hæc cùm essent ex tabella recitáta, Sperátus et qui cum eo erant omnes, dixérunt: Deo grátias conférimus. His dictis, truncáta sunt singulórum cápita mense Júlio, die décimo séptimo. Beáti Speráti membra Lugdúnum ex Africa Cároli Magni témpore deláta sanctus Ado in Martyrológio testátur.

VESPERÆ *de festo sequenti.*

DIE XVIII.

S. THOMÆ AQUINATIS,

ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Doctorum, XXVIII, *additis quæ sequuntur. Oratio,* Deus, qui Ecclésiam tuam, *infrà*, 487.

Lect. I. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

LECTIO IV.

THOMAS, Landulfo Cómite Aquináte, ac Theodórâ Cómitis Theatíni filiâ natus, quintum annum agens, Cassinátibus Mónachis pietáte et lítteris imbuendus tráditur. Inde Neápolim studiórum causâ missus, anno ætátis décimo-octávo, sancti Domínici Ordinem ingressus est. Quod cùm parentes indignè ferrent, Lutétiam Parisiórum míttitur. Verùm in itínere jussu fratrum per vim raptus, in castrum paternæ ditiónis deductus est. Ibi cùm à frátribus, tum à soróribus váriè exagitátus, quò sanctum mutáret propósitum, eárum álteri persuásit, ut, contemptis sæculi pompis, sacris se virgínibus adjúngeret. Mulierem quoque impudícam, quæ ad labefactandam ejus castitátem introducta fúerat, titióne fugávit. E castro per fenestram post biénnium ferè íntegrum emissus, Neápolim redúcitur: unde Romam, pósteà Parísios à Joanne Teutoníco Ordinis Generáli ductus, tùm Colóniam Agrippínam missus est, ut Alberto Magno doctóre uterétur. Parísios revocátus, post prælectas Petri Lombardi senténtias, gradum Magistérii obtínuit.

LECTIO III.

SUMMÆ eruditióni accessit summa vitæ sánctitas. Nunquam se lectióni aut scriptióni dabat, nisi post oratiónem, ad quam in exponendis difficilióribus Scriptúræ locis jejúnium adhibébat; dícere sólitus, quidquid sciret non tam se stúdio et

labóre suo reperisse, quàm divínitùs tráditum accepisse. Nullum penè fuit scriptórum genus, in quo non esset diligentíssimè versátus: ac ne ex rerum subtiliórum inquisitióne caritátis ardor tepésceret, collatiónes Patrum assídué pervolvébat. Scripta ejus, et multitúdine, et varietáte, ac in rebus étiam intricatíssimis perspicuitáte ádeò excellunt, ut eam ob causam Doctóris Angélici nomen adeptus sit. De sacrosancto potíssimùm Eucharístiæ sacramento multa piè non minùs quàm scitè conscripsit, ac præter cétera illud célebre Offícium, quod jussu Urbáni quarti ordinávit. Delátum sibi à Clemente quarto Archiepiscopátum Neapolitánum constanter recusávit. Missus à Gregório décimo ad Concílium Lugdunense, in itínere morbo correptus, divertit in monastérium Fossanovense Ordinis Cisterciensis in diœcési Terracinensi; et in ipso ingressu mortem præséntiens, ait: Hæc réquies mea in séculum séculi; hìc habitábo, quóniam elégi eam. Tum rogátus à frátribus, expósuit Cántica Canticórum. Deficiéntibus víribus, exhibéri sibi pétiit Ecclésiæ sacramenta: quibus débitâ veneratióne cum lacrymárum effusióne susceptis, tértio die obdormívit in Dómino, anno ætátis quadragésimo-nono, Christi verò millésimo ducentésimo septuagésimo quarto. Clarus miráculis, à Joanne vigésimo secundo Sanctis ascriptus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ doctóris mirâ eruditióne claríficas, et sanctâ operatióne fœcundas: da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intellectu conspícere, et quæ egit imitatióne complére: Per Dóminum.

Ad Vesperas, *fit à Capitulo de sequenti, cum Commem. præcedentis. Ant.* Qui docti. ℣. Beátus, xxxv. *Collecta*, Deus, qui, *ut suprà.*

DIE XIX.

S. VINCENTII A PAULO,

PRESBYTERI.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Presbyterorum.

Ad Noct. *Lectio I de Scriptura occurrente, è tribus fit una.*

LECTIO II.

Vincentius à Paulo Pódii non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitánia natus, à púero exímiâ in páuperes caritáte enituit. A custódia paterni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas tùm Tolósæ, tum Cæsaraugustæ dídicit. Sacerdótio initiátus, et Theológiæ láureâ insignítus, cùm

Angelis versabátur, et prióris vitæ delícias arctióris vitæ austeritáte, jejúniis, et contínuis lácrymis expiábat. His sè verbis semper interpellábat : Arséni, ad quid venisti? Locútum me fuisse, inquiébat, sæpè pœnituit, tacuisse nunquam. Annum agens nonagésimum quintum, cùm jam in extrémis pósitus fleret, ipsum interrogavérunt duo, quos habébat, discípuli, utrùm mortem formidáret? Et ille : Verè, inquit, et valdè formído; neque unquam, ex quo mónachum índui, hic à me abcessit timor. Sic méritis plenus et annis, vivendi finem fecit.

Collecta, Omnípotens, LXI.

Pro Commem. S. Arsenii, Ant. Pars mea. ℣. Clamávi. *Collecta*, Quæréntium, te Domine, XLVII.

VESPERÆ *à Capitulo de Sequenti, cum Commem. præcedentis.*

DIE XXI.

SANCTI VICTORIS,

MARTYRIS.

Semiduplex.

De Communi unius Mart. Collecta, Cóntere, *infrà.*

LECTIO II.

VICTOR milès, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni cùm idólis sacrificáre nollet, Præfectórum tribunálibus oblátus est; ibique Christum líberè confessus, quia vir nóbilis erat, Maximiniáni Imperatóris audiéntiæ reservátus est. Hic, frustrà tam blandítiis quàm terróribus adhíbitis, ut eum ad sacrifícia perurgéret, loris ligátum, retortis brachiis, et pedes fune constrictum, per médiam civitátem trahi præcépit. Tum ad tribunália Præfectórum reductus, dum alter álterum crudelitáte víncere nítitur, recedente Eutychio qui primus aggressus Mártyrem fúerat, Astérii jussu, cujus tandem est potestáti tráditus, fústibus crudelíssimè cæsus, deinde suspensus, et táureis cruciátus est. Denique cùm exhíbitam sibi aram in qua sacrificáret, calce excussisset, pedem ei Præses abscindi jussit. Cùm autem in confessióne constans permanéret, subjectus molæ pistrinariæ, atque ita contrítus, martyrium consummávit.

LECTIO III.

PASSI sunt cum eo tres mílites, Alexander, Feliciánus et Longínus. Hi dum eum noctu in cárcere custodírent, insólito fulgóre perculsi, quem illuc ventitantes Angeli emittébant, credidérunt in Christum, et eàdem nocte in mari baptizáti sunt; sequenti verò die ante consummatió-

nem beáti Mártyris, gládio juguláti. Quorum córpora una cum beáti Victóris córpore in mare demersa líttori réddita sunt, et à Christiánis sepulta. Eo in loco Cassiánus sancti Chrysóstomi discípulus, duo Monastéria, unum virórum, mulíerum álterum, sancti Victóris nómine construxit.

COLLECTA. Orémus.

CONTERE, Dómine, sátanam sub pédibus nostris, qui beáto Victóri Mártyri tuo in confessióne tui nóminis, cultum dæmoniórum calcáre tribuisti; Per Dóminum nostrum.

VESPERÆ *de Sequenti.*

DIE XXII.

SANCTÆ MARIÆ MAGDALENES.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 4. E. Jesus iter faciébat per civitátes et castella, prædicans et evangelízans regnum Dei; et duódecim cum illo. *Luc.* 8.

Ant. 2. D. Mulíeres, inter quas erat María Magdaléne, cùm esset Jesus in Galilæa, sequebantur eum. *Marc.* 15.

Ant. 7. d. Erant curátæ à spirítibus malignis et infirmitátibus; et ministrábant ei de facultátibus suis. *Luc.* 8.

Ant. 1. D. De María Magdaléne Jesus ejécerat septem dæmónia. *Marc.* 16.

Ant. 8. G. Ejiciébat spíritus verbo, ut adimplerétur quod dictum est: Ipse infirmitátes nostras accépit, et ægrotatiónes nostras portávit. *Matth.* 8.

Capitulum. (*Tob.* 11.)

BENEDICO te, Dómine, Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me.

℣. Egressus es in salútem pópuli tui; *Egressus es in salútem cum Christo tuo, Dómine: ✝ Maledixisti veniéntibus ut turbo, ad dispergendum me. ℣. In hoc appáruit Fílius Dei, ut dissolvat ópera diáboli. * Egressus es. Glória. ✝ Maledixisti. *Habac.* 3. 1. *Joan.* 3.

HYMNUS.

PROCUL maligni cédite spíritus,
Nunc imperanti cédite Númini,
Fessamque duris Magdalénam
Párcite nunc agitáre pœnis.
CHRISTI jubentis númine térriti
Fugére septem: mox sibi réddita
Te, Christe, consectátur unum,
Et mémori tibi mente servit.
QUIN et cruentâ de trabe péndulo

Christo litábat mille dolóribus :
Quàm vellet insontis Magistri
Sola graves toleráre pœnas !
Miscere fletus sánguinis æmulos
Non cessat, astans víctima víctimæ :
Christus silendo, nil rependit :
Quàm méliùs probat hinc amantem !
Laus summa Patri, summaque Fílio :
Sit summa puro laus quoque Flámini,
Afflante quo semper calescunt
Æthéreis pia corda flammis. Amen.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *C.* Quod est hoc verbum, quia in potestáte et virtúte imperat immundis Spirítibus, et éxeunt? *Luc.* 4.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. sancti Victoris, Ant. Justum. ℣. Posuisti, XIV. *Collect.* Cóntere, *suprà*, 491.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum qui manifestat se diligéntibus eum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 14.

Ps. 94. Veníte. 150.

HYMNUS.

Plagis Magistri sáucia
Dum mœsta largos fúnderet
María fletus, ácrior
Revixit in pœnis amor.
Non turba, non vetat crucis
Mortisque diræ scándalum,
Inter furentes quærere
Ligno peremptum mílites.
Quis tantus ignáram labor
Exercet? Extinctam doles
In morte vitam : quid gemis,
Mors ipsa cùm victrix cadit :
En ille quem luges amans,
Præsens resumpto córpore,
Notis amantem te redux
Primam salútat vócibus.
O si beátos tángere
O si tenére fas pedes!
Sed hic perennis non datur
Gustáre vitæ gáudia.
Impleta nunc Apóstolam
Promissa te primam choro
Apostolórum grándia
Jubent referre núntia.
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Sicut malus inter ligna sylvárum, sic dilectus meus inter fílios, *Cant.* 2.

Ant. 3. a. Sub umbra illius quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

Ant. 4. d. Surge, Aquilo; et veni, Auster: perfla hortum meum, et fluant arómata illíus. *Cant.* 4.

℣. Adhæsit ánima mea post te: ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Fortis est ut mors diléctio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum; * Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem. ℣. Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. * Aquæ. *Cant.* 8. *Joan.* 19.

Post II Lect. ℟. Aspícient ad me: et plangent planctu, quasi super unigénitum, et * Dolébunt super eum, ut in morte primogéniti. ℣. Jesus clamans, expirávit: erant autem de longè áspicientes María Magdaléne, et áliæ quæ cum eo ascénderant Jerosólymam. * Dolébunt super eum. *Zach.* 12. *Marc.* 15.

Post. III Lect. ℟. Accepto Joseph córpore Jesu, pósuit illud in monumento suo novo, et ábiit: * Erat ibi María Magdaléne, et áltera María, sedentes contra sepulcrum. ℣. Abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. * Erat ibi. Glória Patri. * Erat ibi María Magdaléne, et áltera María. *Matt.* 27. *Thren.* 2.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 3. à. Num quem díligit ánima mea vidistis? quæsívi illum, et non invéni. *Cant.* 3.

Ant. 5. C. Fíliæ Jerúsalem, si invenéritis dilectum, nuntiáte ei quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

Ant. 7. a. Quò declinávit dilectus tuus? et quærémus eum tecum. *Cant.* 5.

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte; ℟. Dum dicitur mihi. Ubi est Deus tuus? *Ps.* 41.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(Homil. 25, in Evang. N. 1.)

MARIA Magdaléne, postquàm venit ad monumentum, ibique corpus Domínicum non invénit, sublátum crédidit, atque discípulis nuntiávit. Qui venientes, vidérunt; atque ita esse ut múlier díxerat, credidérunt. Et de eis prótinus scriptum est: Abiérunt ergo discípuli ad semetipsos. Ac deinde subjúngitur: María autem stabat ad monumentum foris, plorans. Quà in re pensandum est hujus mulíeris mentem quanta vis amóris accénderat, quæ à monumento Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat. Exquirébat quem non invénerat: flebat inquirendo, et amóris sui igne

succensa, ejus quem sublátum crédidit, ardébat desidério. Unde cóntigit ut eum sola tunc vidéret, quæ remánserat ut quæreret: quia nimirùm virtus boni óperis, perseverántia est; et voce Veritátis dícitur: Qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

℟. Unâ sábbati María Magdaléne * Venit mane, cùm adhuc ténebræ essent, ad monumentum, et vidit lápidem sublátum à monumento. ℣. Bene consurgit dilúculo, qui quærit bona: * Venit mane, cùm adhuc ténebræ essent, ad monumentum. *Joan.* 20. *Prov.* 11.

LECTIO V.

(N. 2.)

Sed María cùm fleret, inclinávit se, et prospexit in monumentum. Certè jam monumentum vácuum víderat, jam sublátum Dóminum nuntiáverat: quid est quòd se iterùm inclínat, íterùm vidére desíderat? Sed amanti semel aspexisse non súfficit; quia vis amóris intentiónem multíplicat inquisitiónis. Quæsívit ergo priùs, et mínimè invénit: perseverávit ut quæreret, unde et cóntigit ut inveníret: actumque est ut desidéria diláta crescerent, et crescéntia cáperent quod invenissent. Sancta enim desidéria dilatióne *crescunt; si* autem dilatióne defíciunt, desidéria non fuérunt. Hoc amóre arsit quisquis ad veritátem pertíngere pótuit. Hinc Ecclésia in Cánticis Canticórum dicit: Vulneráta caritáte ego sum. Hinc rursus ait: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locútus est.

℟. Cucurrit ad Petrum María Magdaléne, et ad alium discípulum quem amábat Jesus, et dicit illis: Tulérunt Dóminum de monumento, * Et nescímus ubi posuérunt eum. ℣. Quæsívi quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni: * Et nescímus. *Joan.* 20. *Cant.* 3.

LECTIO VI.

(N. 2 et 3.)

Mens namque hóminis, Conditóris sui spéciem non quærentis, malè dura est; quia in semetipsa rémanet frígida. At si ardére jam ex desidério cœperit ad sequendum quem díligit, liquefacta per ignem amóris currit. Fit desidério ánxia: vilescunt in século cuncta quæ placébant: nihil est quod extra Conditórem líbeat; et quæ priùs delectábant ánimum, fiunt póstmodùm vehementer onerósa. Nihil ejus mœstítiam consolátur, quousque adhuc qui desiderátur, non aspícitur. Mœret mens, lux ipsa fastídio est. Ista ítaque quæ sic amat, se ad monu-

m quod perspéxerat, ı inclínat.

Exiit Petrus, et ille discípulus, et vené- d monumentum : Ma- em * Stabat ad monu- m foris, plorans. ℣. propinquet, non con- tur; et non discédet, Altíssimus aspíciat. * :. Glória Patri. * Sta- ıan. 20. *Eccli.* 35.

℣ III.° NOCTURNO.

. 3. c. Páululùm cùm nsissem eos, invéni díligit ánima mea. 3.

. 6. F. Ego dilecto et ad me convérsio *Cant.* 7.

'. 8. c. Anima mea li- :ta est, ut dilectus locútus est. *Cant.* 5.

Defécit caro mea et cor : ℟. Deus cordis mei, ıs mea Deus in æter- *Ps.* 72.

LECTIO VII.

ı sancti Evangélii se- ındùm Joannem.

(Cap. 20.)

ı témpore; María sta- monumentum foris ıs. Et réliqua.

ília sancti Augustíni Epíscopi.

oan. Tract. 121, n. 1.)

ıTUM esse Dóminum de mento discípulis ejus áverat María Magdalé- ne : quò illi venientes, invenérunt sola linteámina quibus corpus fúerat involútum. Abiérunt ergo ad semetipsos discípuli, id est, ubi habitábant, et unde ad monumentum cucúrrerant. María autem stabat ad monumentum foris, plorans; viris enim recedéntibus, infirmiórem sexum in eódem loco fórtior figébat affectus; et óculi qui Dóminum quæsíerant, et non invénerant, lácrymis jam vacábant, ámpliùs dolentes quòd fúerat de monumento ablátus, quàm quòd fúerat in ligno occísus; quóniam magistri tanti, cujus eis vita subtracta fúerat, nec memória remanébat. Tenébat ítaque ad monumentum jam dolor iste mulíerem.

℟. Dum fleret María, * Inclinávit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. ℣. Præ sollicitúdine quiéscere non pótuit. * Inclinávit se, et prospexit in monumentum. *Joan.* 20. *Jerem.* 49.

LECTIO VIII.

(N. 3.)

Dicit ei Jesus : Noli me tángere. Aut sic dictum est, Noli me tángere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; ut in illa fémina fi-

gurarétur Ecclésia de Géntibus, quæ in Christum non crédidit, nisi cùm ascendisset ad Patrem : aut sic in se credi vóluit Jesus, hoc est, sic se spirituáliter tangi, quòd ipse et Pater unum sint. Ejus quippe íntimis sénsibus quodámmodò ascendit ad Patrem, qui sic in eo profécerit ut Patri agnoscat æquálem. Aliter non rectè tángitur, id est, áliter non rectè in eum créditur.

℟. Dicunt ei Angeli : Múlier, quid ploras? Dicit eis : * Quia tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum. ℣. Idcirco ego plorans, et óculus meus dedúcens aquas ; * Quia tulérunt Dóminum meum. *Joan.* 20. *Thren.* 1.

LECTIO IX.

Poterat autem sic crédere María, ut eum putáret ímparem Patri : quod útique prohibétur, cùm ei dícitur, Noli me tángere ; id est, Noli in me sic crédere, quemádmodùm adhuc sapis. Quómodò enim non carnáliter adhuc in eum credébat, quem sicut hóminem flebat? Nondum enim ascendi, inquit, ad Patrem meum. Ibi me tanges, quando me credíderis Patri non ímparem Deum.

℟. In simplicitáte cordis quærite Dóminum ; * Quóniam † Invenítur ab his qui non tentant eum : appáret autem eis qui fidem habent in illum. ℣. Conversa est María retrorsùm, et vidit Jesum stantem ; * Quóniam invenítur ab his qui non tentant eum. Glória Patri. † Invenítur. *Sap.* 1. *Joan.* 20.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo : ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

AD LAUDES.

Ant. 6. F. Vidit Jesum María, et non sciébat quia Jesus est ; et dicit ei : Múlier, quid ploras? quem quæris? *Joan.* 20.

Ant 3. à. María exístimans quia hortulánus esset, dicit ei : Dómine, si tu sustulisti eum, dícito mihi ubi posuisti eum ; et ego eum tollam. *Joan.* 20.

Ant. 5. a. Dicit ei Jesus : María. Conversa illa, dicit ei : Rabbóni, quod dícitur, Magister. *Joan.* 20.

Ant. 8. *G.* Dicit ei Jesus : Noli me tángere ; nondùm enim ascendi ad Patrem meum. *Joan.* 20.

Ant. 7. ç. Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum ; Deum meum, et Deum vestrum. *Joan.* 20.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Ego diligentes me díligo ; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

HYMNUS.

MARIA sacro sáucia vulnere,
Non jam dolendum quid Dóminum doles?
Semper renascens hic amóris
Unde tibi violentus ardor?
QUEM quæris ipso fúneris in sinu,
Victor triumphat fúnere clárior.
Vivit : retecto jam sepulcro,
Ecce jacent revolúta saxa.
MYRRHAM quid affers, vanaque bálsama?
Hæc luce functis débita múnera :
Mox ille donandos Olympo
Non eget his redivívus artus.
INGENS amantem te dolor índicat;
Amans vicissim se Deus óbtulit :
Agnosce vocem tu Magistri
Nómine te próprio vocantis.
Tu prima testis, primaque núntia,
Velox in urbem prótinus ádvola;
Christique nutantes Ministros
Plena Deo propióre firma.
LAUS summa Patri, summaque Fílio :
Sit summa puro laus quoque Flámini,
Afflante quo semper calescunt
Æthéreis pia corda flammis.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. *D.* Appáruit Jesus primò Maríæ Magdalénæ. Illa vadens, nuntiávit his qui cum eo fúerant, lugéntibus et fléntibus. *Maro.* 16.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, cujus Unigénitus post resurrectiónem suam primò Maríæ Magdalénæ appáruit : præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne eumdem in déxtera tua sedentem vidére mereámur Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit et regnat.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Vidit Jesum.

AD TERTIAM.

Ant. 3. à. María.

Capitulum. (*Cant.* 3.)

SURGAM, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea.

℟. *br.* Deus, Deus meus, * Ad te de luce vígilo. Deus.
℣. Sitívit in te * ánima mea : * Ad te. Glória. Deus. *Ps.* 62.
℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Dicit ei Jesus.

Capitulum. (*Sap.* 6.)

SAPIENTIA fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, et invenítur ab his qui quærunt illam. Præóccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

℟. *br.* Exquisívi Dóminum, * Et exaudívit me. Exquisívi. ℣. Et ex ómnibus tribulatiónibus meis * erípuit me, * Et. Glória Patri. Exquisívi. *Ps.* 33.

℣. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Ps.* 93.

AD NONAM.

Ant. 7. ç. Vade.

Capitulum. (*Tob.* 12.)

SACRAMENTUM regis abscóndere bonum est; ópera autem Dei reveláre et confitéri honorífícum est.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. Confitébor. ℣. Narrábo * ómnia mirabília tua, * In. Glória. Confitébor. *Ps.* 9.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo: ℟. Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. *f.* Regressæ muliéres à monumento, nuntiavérunt Undecim ómnia quæ víderant; erat autem María Magdaléne, et Joanna, et céteræ quæ cum eis erant. *Luc.* 24.

Ant. 3. a. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avéte. Illæ autem accessêrunt, et tenuérunt pedes ejus, et adoravérunt eum. *Matt.* 28.

Ant. 4. E. Ait illis Jesus: Nolíte timére: ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me vidébunt. *Matth.* 28.

Ant. 5. C. Audiérunt Apóstoli quòd víveret Dóminus, et visus esset à María. *Marc.* 16.

Ant. 6. F. Venit María Magdaléne annúntians discípulis, Quia vidi Dóminum. *Joan.* 20.

Capitulum. (*Act.* 10.)

QUEM occidérunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitávit tértiâ die, et dedit eum manifestum fieri.

Hymnus, María sacro, *suprà*, 497.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. *G.* Erant Apóstoli perseverantes unanímiter in oratióne cum muliéribus; et repléti sunt omnes Spíritu sancto. *Act.* 1.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. sancti Joannis, Cassiani, Abbatis. Ant. Egrédere. ℣. Potens, XLIII. *Collecta*, Deus, qui, *infrà*.

Deindè sancti Apollinaris, Episcopi et Martyris. Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta*, Deus, qui hunc diem, *infrà*.

DIE XXIII.

S. JOANNIS CASSIANI,

ABBATIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Joannes Cassiánus, quem è Scythia oriundum scribit Gennádius, in monastério Bethlehemitáno ab infántia institútus, ibi monásticam vitam professus est. Ætáte matúrior perrexit in Ægyptum cum Germáno quem idem perfectiónis desidérium accendébat, simulque célebres illos ac sanctíssimos eremórum istárum íncolas invisérunt, quorum exemplis et collóquiis ita profecérunt, ut in omni virtútum génere consummáti viderentur. Exactis in Ægypti solitudínibus septem annis, Béthlehem reversi sunt, undè Constantinópolim profecti adhæsérunt sancto Joanni Chrysóstomo à quo Cassiánus Diáconus ordinátus est. Missus ad Innocéntium summum Pontíficem, ejusdem sancti Chrysóstomi causam acérrimè propugnávit. Indè in Gállias tránsiens, Massíliam se recépit, ubi presbyter factus, célebre sancti Victóris monastérium fundávit, cui sapientíssimè præfuit. Latíno idiómate quod Romæ ápprimè didícerat exímium institutiónum monasticárum libróum scripsit, cui adjunxit patrum collatiónes quarum septem prióres sancto Leóntio Forojuliensi Epíscopo nuncupávit. Ad petitiónem sancti Leónis, de Verbi Incarnatióne contra Nestórium tractátum édidit. Demùm post multa præclaraque sanctitátis testimónia, sénio et labóribus confectus óbiit, sepultusque est in Monastério sancti Victóris.

De S. Apollinari.

LECTIO III.

Beatus Apollináris primo sacerdótio solus hanc Ecclésiam Ravennátem vernáculo atque ínclyto martyrii honóre decorávit. Nec eum quisquam Confessóris vocábulo, minórem credat esse quàm Mártyrem, quem Dei nutu quotidiánum et multíplicem reversum cónspicit ad agónem. Audi Paulum dicentem, Quotídie mórior. Semel mori parum est eum qui potest Regi suo gloriósam sæpè de hóstibus referre victóriam. Non tam mors, quàm fides et devótio, Mártyrem facit: et sicut virtútis est in ácie, in conflictu pro re amáta succúmbere; ita perfectæ virtútis est diu ágere, et consummáre certámina. Injécit tela quæ pótuit, et ómnia armórum suórum génera cállidus exégit inimícus; nec tamen fortíssimi ductóris movére mentem pótuit, aut temeráre cons-

tántiam. Festinábat Christus ad Mártyrem; Martyr suum festinábat ad Regem. Sed ut propugnatórem suum sibi Ecclésia sancta retinéret, Christo vehementer occurrit; ut vincenti justítiæ reserváret corónam; et sibi, belli témpore, præliatóris sui præséntiam condonáret. Fundébat sæpe Confessor sánguinem suum; suisque vulnéribus, fide mentis suæ testabátur auctórem. Cœlum suspíciens, carnem despiciébat et terram. Vicit tamen, ténuit, et à suo desidério retardári Mártyrem ténera adhuc Ecclésiæ impetrávit infántia. Et quid plura, fratres? Egit, egit Ecclésia sancta mater, ut nusquam à suo separarétur Antístite. Ecce vivit, ecce ut bonus pastor suo médius assistit in grege; nec unquam separátur spíritu, qui córpore præcessit ad tempus. Præcessit, dico, hábitu: céterùm ipsâ inter nos córporis sui habitatióne quiescit. Extinctus est diábolus, persecútor occúbuit: ecce regnat et vivit qui pro Rege suo desideráv it occídi.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Cassiáno Abbáti in via perfectiónis evangélicæ incédere, et álios dedúcere tribuisti: ejus intercessióne gressus nostros dírige secundùm elóquium tuum; ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus; Per Dóminum.

Fit Commem. S. Apollinaris, Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII.

COLLECTA. Oremus.

Deus, qui hunc diem beáti Apollináris Sacerdótis tui martyrio consecrasti: tríbue nobis fámulis tuis, ut cujus venerandam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur; Per.

DIE XXV.

S. JACOBI, (Zebed.)

APOSTOLI.

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apostolorum, præter ea quæ hic habentur.

In I. Vesp. *post Hymnum,* ℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℣. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

Pridie ad Magníficat, *Ant.* J. Procédens Jesus, vidit Jacóbum et Joannem fratrem ejus in navi, cum Zebedæo patre eórum, reficientes rétia sua; et vocávit eos. Illi autem, relictis rétibus et patre, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

Collecta, Omnípotens, *infrà ad Laudes,* 503.

Fit Commem. S. Christophori, Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Collecta,* Adesto, XII.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Jacobus Zebedæi fílius, Joannis Apóstoli frater, natióne Galilæus, vocátus à Christo cum fratre, relicto patre cum mercenáriis et rétibus, secútus est Dóminum; qui impósuit utríque nomen Boanerges, quod est, Fílii tonítrui. Is unus fuit ex tribus Apóstolis quos Salvátor máximè dilexit, voluitque interesse miráculo, cùm Jáiri Archisynagógi fíliam à mórtuis excitávit. Eum étiam cum Petro et Joanne assumpsit Christus testem suæ Transfiguratiónis. Ambitiósæ illíus petitiónis occasióne, quà fratres ambo Dóminum rogábant, ut alter ad dexteram ejus, alter ad sinistram in glória sedéret, suam Christus eorumque passiónem prædixit his verbis: Cálicem quem ego bibo, bibétis; et baptismo quo ego baptízor, baptizabímini.

LECTIO V.

Jacobum quoque cum Petro et Joanne assumpsit Christus, cùm éxiit in montem Olivéti, Patrem rogatúrus ántequàm à Judæis apprehenderétur; et post Resurrectiónem appáruit eídem cum Petro, et áliquot áliis piscántibus ad mare Tiberíadis. Quamvis autem hos tres, Petrum, Jacóbum et Joannem, Dóminus per tot signa céteris prætulisset, non tamen, inquit Clemens Alexandrínus, post Servatóris ascensum de primo honóris gradu inter se contendérunt; sed Jacóbum, cognómine Justum, Hierosolymórum Epíscopum elegérunt. Duódecim verò tríbubus quæ erant in dispersióne, Jácobus Zebedæi prædicátor destinátus fuisse tráditur. Sed ántequàm ab Hierosólymis discéderet, Heródes, ut Judæis se gratum exhibéret, Jacóbum in civitáte Evangélium Christi prædicantem, in ipso azymórum die, cápitis condemnávit. Hunc in virginitáte usque ad mortem permansisse refert Epiphánius. Ejus corpus Compostellam in Hispánia translátum magnâ veneratióne cólitur; conveniéntibus eò, religiónis et voti causâ, ex toto terrárum orbe peregrínis. Céterùm memória ipsíus natális hodierno die, qui Translatiónis dies est, ab Ecclésia celebrátur; cùm ipse, circa Festum Paschæ, primus Apostolórum, Hierosólymis profúso sánguine testimónium Jesu Christo déderit.

LECTIO VI.

Ex libro séptimo Hypotypóseon sancti Clementis Prèsbyteri Alexandríni.

(Eus. hist. Eccl. Lib. 2, c. 9.)

Is qui Jacóbum judício ob-

túlerat, cùm illum vidisset Christi fidem líberè confitentem, commótus viri constántiâ, se quoque Christiánum esse affirmávit. Ambo ígitur simul ad supplícium ducti sunt. Cùmque inter eumdem rogasset Jacóbum comes, ut sibi véniam daret, paulisper morátus Jacóbus: Pax tibi, inquit; statimque illum osculátus est. Ita simul ambo cápite truncáti, interiére.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 20.)

In illo témpore; Accessit ad Jesum mater filiórum Zebedæi, cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(33, de petit. filior. Zeb. N. 5.)

Duo sunt quæ ínnuit Christus, dicens: Nescítis quid petátis: unum, quod de regno loquantur de quo sermónem Christus non institúerat; non enim de terréno annuntiátum erat: álterum, quòd dum sedis prærogatívam et céteris clarióres vidéri contendunt, ádmodùm intempestívè ista quærant; tempus enim illud non coronárum aut præmiórum, sed certáminum, luctárum, labórum, sudórum, stadiórum atque præliórum fuit. Hoc ígitur sibi vult illud quod ait, Nescítis quid petátis; dum de his apud me verba fácitis, cùm necdum labóres ullos exantlavéritis, cùm incorrectus adhuc máneat orbis terrárum; nondum è carcéribus exiliistis, nondum ad ineunda luctámina vos exuistis.* Potestis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum, et baptismo quo ego baptízor baptizári? cálicem hoc loco et baptismum, crucem suam et mortem appellans: cálicem quidem, quóniam cum voluptáte illam adíbat: baptismum autem, quia per illam orbem terrárum expurgábat. Quod autem dicit, est hujúsmodi: Potestis occídi et mortem oppétere? horum enim nunc tempus est, fúnerum, periculórum, labórum. Verùm illi, Póssumus, ínquiunt; cùm nec intélligant quid affirment, sed adducti spe impetrandi postuláta, promittant.

LECTIO VIII.

At illis ait: Cálicem quidem meum bibétis, et baptismo quo ego baptízor baptizabímini; mortem sic appellans: nam et Jacóbo gládio caput abscissum; et multóties mórtuus est Joannes. Sedére autem ad déxteram meam et ad sinistram

non est meum dare, sed quibus parátum est. Quod hìc dicit, est ejúsmodi : Vos quidem moriémini, occidémini, et honórem martyrii obtinébitis; sed ut ómnium primi sitis, non est meum dare, sed eórum qui decertant, accípere, ob majus nempè stúdium, ob majórem ánimi alacritátem. Id enim præstandum habet certáminum árbiter, ut non témerè, aut quoquómodò præmia largiátur, sed honórem fortitúdini déferat: hoc nimírum et Christus facit; et ita locútus est, ut indicáret non ipsíus esse solíus dare, sed eórum qui decertant, accípere. Nam si solíus esset ipsíus, omnes hómines salvi fíerent, et ad agnitiónem veritátis venírent : si solíus esset ipsíus, differentes honóres non essent; omnes enim ipse cóndidit, et æquáliter est illi cura de ómnibus.

[*Ubi fit absque Commemoratione, Lect. VII dividitur ad hæc verba* * Potestis bíbere.]

De sancto Christophoro.

LECTIO IX.

CHRISTOPHORUS Martyr, tam Græcis quàm latínis celebérrimus, sub Décio Imperatóre passus in Lycia fuisse créditur. Ejus ossa in Hispánias, Tolétum transláta fuisse légitur in antiquíssimis illíus Ecclésiæ monumentis. Sub ejus invocatióne extitisse Oratória et sacras ædes testes sunt sanctus Gregórius Magnus et sanctus Eulógius Présbyter et Martyr. Quantâ religióne sanctum Mártyrem Galliárum Ecclésiæ colúerint, indè collígitur quòd nulla apud nos província reperiátur in qua cultûs illíus monumenta vetustíssima non extent.

AD LAUDES, *post Hymnum.*

℣. Cálicem salutáris accípiam, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Cálicem quem ego bibo, bibétis; et baptismo quo ego baptízor, baptizabímini. *Marc.* 10.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Apostolórum tuórum primítias beáti Jacóbi sánguine dedicasti : da, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, ejus semper et confessióne firmári, et patrociniis confovéri; Per Dóminum.

Pro Comm. S. Christophori, Ant. Bonum. ℣. Adjútor. *Oratio,* Adesto, XII.

AD II. VESP. *Post Hymnum.*

℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. *Ps.* 43.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. D. Misit Heródes rex manus,

ut afflígeret quosdam de Ecclésia; occídit autem Jacóbum fratrem Joannis gládio. *Act.* 12.

Collecta, Omnípotens, *ut suprà.*

Fit Commem. SS. Joachim et Annæ, Ant. Egrediétur. ℣. Jurávi, *infrà. Collecta*, Deus, qui beátis Joachim. *infrà*, 509.

DIE XXVI.

SS. JOACHIM ET ANNÆ, PARENTUM B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex-majus.

[*Si alicubi habeat I Vesperas.*

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 6. F. Ego Dóminus qui appárui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente: recordátus sum pacti mei. *Exod.* 6.

Ant. 8. *G.* Ego ero vobis in Deum; ut súscitem juramentum quod juráví pátribus vestris. *Jerem.* 11.

Ant. 3. a. Abraham patrem vestrum unum vocávi, et benedixi ei, et multiplicávi eum. *Is.* 51.

Ant. 7. c. Respíciam vos et créscere fáciam: et firmábo pactum meum vobiscum. *Levit.* 26.

Ant. 1. *f.* Germináre fáciam David germen justítiæ: multiplicábo semen David servi mei. *Jerem.* 33.

Capitulum. (*Is.* 55.)

Inclinate aurem vestram, et veníte ad me: audíte, et vivet ánima vestra; et fériam vobiscum pactum sempiternum, misericórdias David fidéles.

℟. Ecce dies veniunt, dicit Dóminus: et * Suscitábo David germen justum; et regnábit rex, et † Fáciet judícium et justítiam in terra. ℣. Dabo vobis sancta David fidélia: * Suscitábo. Glória. † Fáciet *Jerem.* 23. *Act.* 13.

HYMNUS.

Regale Davídis genus,
Et cónjugum par nóbile,
Mundo datúri Vírginem,
Matrem futúram Núminis:

Qui sacra nectit víncula,
Vos jungit ínnocens amor;
Piosque sensus áppróbans
Divínus aspírat favor.

Virtute solà dívites
Non vos opum fallax decus,
Sed corde fervens cáritas,
Et casta commendat fides.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Jurávi in sancto meo, si David méntiar: ℟. Semen ejus in æternum manébit. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g.

Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet, et requiescet super eum Spíritus Dómini. *Is.* 11.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Fit Commem. S. Jacobi, per Ant. ℣. et Collectam ut suprà.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CHRISTUM factum ex sémine David secundùm carnem, * Veníte, adorémus. *Rom.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

PROMISSA mundo gáudia
Jam sperat humánum genus;
Adsunt beáti cónjuges,
Orbique Christum præparant.

HUNC Anna votis ádvocans,
Summi parentem Núminis,
Thori fidélis præmium,
Favente cœlo, cóncipit.

FŒCUNDA radix púllulans
Florem tenellum próferet,
Qui lætus optáto dabit
Fructum salútis gérmine.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Dóminus testificátus est inter te et uxórem: et hæc párticeps tua, et uxor fœderis tui. *Malach.* 2.

Ant. 3. à. Fáciat Dóminus hanc mulíerem quæ ingrédi ditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificavérunt domum Israel. *Ruth.* 4.

Ant. 4. E. Fiat domus tua sicut domus Phares, ex sémine quod tibi déderit Dóminus ex hac puella. *Ruth.* 4.

℣. Benedicti vos à Dómino, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 113.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Tu, Dómine Deus, elegísti Abraham, et invenisti cor ejus fidéle coram te, et percussisti cum eo fœdus, et implesti verba tua; * Quóniam justus es. ℣. Ex fide sunt fílii Abrahæ, benedícentur cum fidéli Abraham; * Quóniam. 2. *Esdr.* 9. *Galat.* 3.

Post II Lect. ℟. Quærite Dóminum, et confirmámini; quærite fáciem ejus semper: * Mementóte mirabílium ejus, semen Abraham servi ejus. ℣. Fílii Dei estis per fidem, semen Abraham estis, secundùm promissiónem hærédes: * Mementóte. *Ps.* 104. *Galat.* 3.

Post III Lect. ℟. Deus memínerit testamenti sui quod locútus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servórum suórum fidélium; * Et ✝ Exáudiat oratiónes vestrás. ℣. Vos Dóminus multíplicet, et abundáre fáciat caritátem vestram in ínvicem, * Et exáudiat. Glo-

ria Patri. ✝ Exáudiat. 2. *Mach.* 1. 1. *Thess.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Erant ambo incedentes in ómnibus mandátis et justificatiónibus Dómini sine queréla. *Luc.* 1.

Ant. 8. c. Exauditæ sunt preces ambórum in conspectu glóriæ summi Dei. *Tob.* 3.

Ant. 1. a. Dóminus amávit eos, elegitque semen eórum post eos. *Deut.* 10.

℣. Oculi Dómini super justos, ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Ps.* 33.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Damascéni.

(Orat. 1 de Nat. Virg. Mariæ. N. 2.)

QUONIAM futúrum erat ut Dei génitrix Virgo ex Anna nascerétur, natúra grátiæ germen antevértere non ausa est; sed mansit fructûs expers, donec grátia fructum éderet. Nasci síquidem primogénitam oportébat, ex qua nascitúrus esset omnis creatúræ primogénitus, in quo ómnia constant. O par beátum Joáchim et Anna! vobis omnis creatúra obstricta est. Per vos enim donum ómnium donórum præstantíssimum Creatóri óbtulit, nempe castam matrem quæ sola Creatóre digna erat.

℟. Ex toto corde suo: * Orábant Deum ut visitáret pópulum suum Israel. ℣. Expectábant redemptiónem Israel: * Orábant. *Judith.* 4. *Luc.* 2.

LECTIO V.

(N. 4 et 5.)

EXULTA, Jóachim, quóniam ex fília tua Puer natus est nobis, et Fílius datus est nobis; et vocábitur nomen ejus, magni consílii, hoc est, salútis universi mundi, Angelus, Deus, Fortis. Nestórius erubescat, et ori manum impónat. Puer iste Deus est: qui ergo puérpéram Dei genitrícem negas? Si quis sanctam Vírginem Dei genitrícem non confitétur, aliénus est à Deitáte. Non meum hoc dictum est, etsi meus est sermo: hanc enim divinissimam hæreditátem à Theólogo patre Gregório accépi. O beátum par Jóachim et Anna, immaculatíssimum prorsus! Ex fructu ventris vestri cognoscímini, velut alícubi Dóminus ait: Ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Utì Deo gratum erat, atque eâ dignum quæ ex vobis orta est, vitæ vestræ ratiónes instituistis. Castâ enim et sanctâ conversatióne vestrâ virginitátis moníle protulistis.

℟. Tulit uxórem: et dedit illi Dóminus ut concíperet et páreret. Dixeruntque mu-

Benedictus Dóminus, on est passus ut defí- ımíliæ tuæ nomen in ℣. Deus Israel ad am misericórdiam ıátribus nostris, èt ári testamenti sui Non. *Ruth.* 4. *Luc.* 1.

LECTIO VI.

(N. 6.)

ISSIMUM rationálium ım par Jóachim et vos castitátem, quam lex præscríbit con- tes, ea quæ natúram nt, divínitùs estis úti : mundo quippe trem viri nésciam pe- s. Vos piè et sanctè mána natúra vitam ı, fíliam Angelis su- ;m, nuncque Angeló- óminam edidistis. O ıíssima dulcissimaque O lílium inter spínas, erosíssima, et máxi- ɔilíssima, ac máximè adíce Davídicâ pro- n! O rosa quæ ex spi- ıdæis scílicet, orta inoque odóre cuncta isti! O filia Adámi, mater! Beátæ ulnæ : gestavérunt; lábia ıuibus castis ósculis ıi concessum est!

ùm essent justi, *Eru- t fíliam suam secun- ;gem Móysi. ℣. Coæ- ı nobiscum sortíti n justítia Dei nostri atóris, * Erudiérunt. Glória. * Erudiérunt. *Dan.* 13. 2. *Petr.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. In sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te; nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. *Is.* 26.

Ant. 7. d. Nunc, Dómine Deus Israel, firmentur verba tua quæ locútus es servo tuo David. 3. *Reg.* 8.

Ant. 6. F. Dabis veritátem Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurasti pátribus nostris à diébus antíquis. *Mich.* 7.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 3.)

IN illo tempóre; Jesus erat incípiens quasi annórum triginta, ut putabátur, fílius Joseph, qui fuit Heli. Et réliqua.

Homília sancti Irenæi, Episcopi et Mártyris.

(Lib. 3. adv. hæres. C. 33.)

LUCAS genealógiam quæ est à generatióne Dómini nostri usque ad Adam, septuaginta duas generatiónes habére ostendit finem conjugens inítio, et significans quo-

nisum ipse est qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas, et universas linguas, et generatiónes hóminum cum ipso Adam in semetipso recapitulátus est. Unde et à Paulo typus futúri dictus est ipse Adam.

℣. Qui sanctíficat, et qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre; * Nusquam enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. ℣. Quid est homo, quòd mèmor es ejus? aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuísti eum paulò minùs ab Angelis. * Nusquam. *Hebr.* 2. *Ps.* 8.

LECTIO VIII.

PROPHETA dicit: Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Primogénitus enim mortuórum natus Dóminus in sinum suum recípiens prístinos patres, regenerávit eos in vitam Dei, ipse inítium vivéntium factus, quóniam Adam inítium moriéntium factus est. Propter hoc et Lucas inítium generatiónis à Dómino inchoans in Adam rétulit, significans quóniam non illi hunc, sed hic illos in Evangélium vitæ regenerávit. Sic autem et Evæ inobediéntiæ nodus solutiónem accépit per obediéntiam Maríæ: quod enim alligávit virgo Eva per incredulitátem, hoc virgo María solvit per fidem.

℣. Misericórdia Dómini ab æterno et usque in æternum super timéntes eum; * Et justítia illius in fílios filiórum, his qui servant testamentum ejus. ℣. Misericórdia Dómini à progénie in progénies timéntibus eum; * Et justítia. *Ps.* 102. *Luc.* 1.

LECTIO IX.

NECESSE ergo fuit Dóminum ad pérditam ovem venientem, et tantæ dispositiónis recapitulatiónem facientem, et suum plasma requirentem, illum ipsum hóminem salváre qui factus fúerat secundum imáginem ant similitúdinem ejus, id est, Adam, adimplentem témpora ejus condemnatiónis quæ facta fúerat propter inobediéntiam, quæ Pater pósuit in sua potestáte: quóniam et omnis dispositio salútis quæ circa hóminem fuit, secundùm plácitum fiébat Patris, uti non vincerétur Deus, neque infirmarétur ars ejus. Si enim qui factus fúerat à Deo homo, ut víveret, hic amittens vitam, læsus à serpente qui depraváverat eum, jam non reverterétur ad vitam, sed in totum projectus esset morti, victus esset Deus, et superasset serpentis nequítia voluntátem Dei: sed quóniam Deus invictus et magnánimus est, magnánimum quidem se exhíbuit ad cor-

rectiónem hóminis; et probatiónem ómnium. Per secundum autem hóminem alligávit fortem, dirípuit vasa ejus, et evacuávit mortem vivíficans eum hóminem qui fúerat mortificátus.

℟. Deus Israel jusjurandum jurávit ad Abraham patrem nostrum, datúrum se nobis, ut sine timóre serviámus illi * In sanctitáte et justítia coram ipso, ✝ Omnibus diébus nostris. ℣. Fílii sanctórum sumus; et vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. * In. Glória. ✝ Omnibus. *Luc.* 1. *Tob.* 2.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Qui timétis Dóminum, laudáte eum: ℟. Universum semen Jacob, glorificáte eum. *Ps.* 21.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Laudémus gloriósos parentes in generatióne sua, quorum pietátes non defuérunt. *Eccli.* 44.

Ant. 2. D. Semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis. *Is.* 65.

Ant. 4. A. Dívites virtúte glóriam adepti sunt, et in diébus suis habentur in láudibus. *Eccli.* 44.

Ant. 6. C. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrandi laudes eórum. *Eccli.* 44.

Ant. 8. G. Cum sémine eórum pérmanent bona: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. *Eccli.* 44.

Capitulum. (*Rom.* 9.)

Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israélitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii; sed in Isaac vocábitur tibi semen. Id est, non qui fílii carnis, hi fílii Dei; sed qui fílii sunt promissiónis, æstimantur in sémine.

Hymnus, Regále Dávidis genus, 504.

℣. Dóminus fáciens misericórdiam Christo suo David, ℟. Et sémini ejus usque in séculum. *Ps.* 17.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Benedictus Dóminus Deus Israel; quia erexit cornu salútis nobis in domo David púeri sui. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátis Jóachim et Annæ tantam grátiam conferre dignátus es, ut ex eis unigéniti Fílii tui mater nascerétur: concede propítius, ut quorum festivitátem celebrámus, eórum précibus promissam in Christo salútem consequámur; Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Laudémus.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Semen.

℟.

Capitulum. (*Act.* 3.)

Vos estis filii Prophetárum, et testamenti, quod dispósuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicentur omnes famílias terræ.

℟. *br.* Beáta gens * Cujus est Dóminus Deus ejus. Beáta gens. ℣. Pópulus quem elégit * in hæreditátem sibi, * Cujus. Glória. Beáta. *Ps.* 32.

℣. Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, ℟. Et testamentum ipsíus ut manifestétur illis. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

Ant. 4. A. Dívites virtúte.

Capitulum. (*Eccli.* 10.)

Semen hóminum honorábitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorábitur, quod præterit mandáta Dómini.

℟. *br.* Custodiébant * Testimónia ejus. Custodiébant. ℣. Et præceptum quod dedit illis, * Testimónia ejus. Glória. Custodiébant. *Ps.* 98.

℣. In nómine tuo exultábunt totâ die; ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Ps.* 88.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Cum sémine.

Capitulum. (*Prov.* 17.)

Corona senum fílii filiórum; et glória filiórum patres eórum.

℟. *br.* Hæc est generátio * Quæréntium Dóminum. Hæc est generátio. ℣. Quæréntium * fáciem Dei Jacob, * Quæréntium. Glória. Hæc est. *Ps.* 23.

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt. *Ps.* 91.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Excelsus jurejurando dedit Abrahæ glóriam in gente sua, et ut stellas exaltáre semen ejus. *Eccli.* 44.

Ant. 1. D. In Isaac eódem modo fecit: benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testamentum confirmávit super caput Jacob. *Eccli.* 44.

Ant. 4. d. Quæ ad patres repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit fíliis. *Act* 13.

Ant. 8. c. Státuit testamentum David regi fílio Jesse de tribu Juda: hæréditas ipsi et sémini ejus. *Eccli.* 45.

Ant. 6. F. Hujus Deus ex sémine secundùm promissiónem eduxit Israel salvatórem Jesum. *Act.* 13.

Capitulum. (*Rom.* 9.)

Sunt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, et glória, et testamentum, et legislátio, et obséquium, et promissa; quorum patres, et ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super ómnia Deus benedic-

tus in sécula. Amen. ℟. Deo grátias.

Hymnus, Promissa, 505.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Suscépit Deus Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ, sicut locútus est ad patres nostros, Abraham, et sémini ejus in sécula. *Luc.* 1.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Fit Comm. S. Pantaleonis, Martyris, Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta*, Da nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto Pantaleóne, XII.

DIE XXVII.

SANCTI PANTALEONIS,

MARTYRIS.

Simplex.

LECTIO III.

PANTALEON áliàs Pantaleémon, pátriâ Nicomediensis, Eustórgii senatóris filius, professióne médicus, ab Hermoláo sanctíssimo sene et póstea Mártyre, Christiánæ fídei mystériis imbútus est. Sacro tinctus lavácro insígnia édidit mirácula, vários Christi virtúte sanans languóres. Verùm cùm ab idolórum cultu ad Christiánam religiónem plúrimos revocáret, Maximiáni imperatóris jussu diversímodè cruciátus, tandem cápitis obtruncatióne Martyrii corónam accépit. Sacræ ejus relíquiæ ex Nicomediensi urbe Constantinópolim translátæ sunt, et in eo loco collocátæ, ubi hábitum est Cóncílium secundùm Œcuménicum. Caput ejus Lugdúnum asportátum, ibi in Ecclésia Primatiáli religiósè asservátur.

Collecta, Da nobis, quæsumus, Dómine, XII.

DIE XXIX.

SANCTI LUPI,

EPISCOPI.

Semiduplex.

IN I VESP. *Ant. sola*, Suscitábo, *ut in Communi Pontíficum.*

LECTIO II.

LUPUS Tulli Leucórum nóbili famílià natus, uxórem duxit Pœmeníolam, sancti Hilárii Arelatensis sorórem. Qui cùm séptimo conjúgii anno réliquum vitæ in continéntia dégere decrevissent, Lupus ad beátum Honorátum Lirinensem Abbátem se cóntulit: unde post annum cùm Matiscónem venisset, ut quod sibi de facultátibus supérerat, paupéribus erogáret, improvíso ad Trecensem Episcopátum raptus est. Biénnio post electus est à Synodo Gallicána, qui cum

sancto Germáno Autissiodorensi in Británniam majórem ad expugnandam Pelagiánam hæresim proficiscerétur. Unde Trecas reversus, Hunnis in Gálliam effúsis, suis précibus urbem ab iis servávit incólumem, ipsumque Attilam eórum ducem in suî veneratiónem convertit.

LECTIO III.

Annis círciter viginti, tábulâ pro lecto usus est, cilício pro interióre túnica; in oratióne alternis nóctibus pérvigil, in jejúniis assíduus, solo pane hordeáceo sábbato víctitans, census suos alendis paupéribus, captivisque redimendis impéndere sólitus. Discípulos hábuit sanctos Episcopos Polychrónium Virdunensem, Sevérum Trevirensem, et Alpínum Catalaunensem: ipse, ob exímias virtútes, Pontíficum Gallicanórum dictus fácilé princeps. Cùm autem annis quinquaginta duóbus sacerdótio functus fuisset, clarus miráculis ábiit ad Dóminum.

Collecta, Deus, qui pópulis, XXVI.

Vesperæ *à Cap. de S. Ignatio, ut in Communi SS. Presbyterorum. Collecta*, Deus, qui in Ecclésiæ, XL.

Fit Commem. S. Lupi Ant. Sacerdótes. ℣, Salvum fecit, XXVIII. *Collecta,* Deus, qui pópulis, XXVI

DIE XXX.

S. IGNATII LOYOLÆ,

PRESBYTERI.

Semiduplex.

LECTIO II.

Ignatius in Diœcési Pompelonensi nobílibus paréntibus natus est. Adolescens à milítia seculári ex lectióne piórum librórum ad Deum conversus, factâ in monte Serráto ómnium delictórum exomologési, apud Minorissam inter egénos quibus vilíssima étiam obséquia exhibébat, vitam ásperam egit. Hinc Romam, dein Jerosolymam se cóntulit; perlustratisque sacris locis, in Hispániam reversus, tricésimum jam agens annum, Grammáticis, Philosóphicis, atque Theológicis óperam dedit. Parísios ádiens, stúdia illa repétiit, eleemósynis ínterim víctitans, non intermissis caritátis et pœniténtiæ opéribus.

LECTIO III.

Dum Lutétiæ Parisiórum dégeret Ignátius, sócios sibi adjunxit Parisiensis Académiæ grádibus insignes, qui in inferióri Ecclésia Montis-Mártyrum sese omnes in próximi auxílium devovérunt: et hæc fuêre Societátis Jesu incunábula; quam pósteà, áddito ad tria religiónis vota de Missióni-

bus quarto, Ignátius instítuit; et à Paulo tértio confirmátam, in Præpósitum generálem electus, summâ cum prudéntiâ rexit. Præcípua illi cura erat, ut rudes et púeri doctrínam christiánam perdíscerent, carcéribus inclúsi levarentur, Sacramentórum usus et frequéntior esset et sánctior. Non eum ab opéribus caritátis difficultátes, non contuméliæ aut irrisiónes deterrébant. Ad Deum ómnia referébat, his verbis, Ad majórem Dei glóriam, velut symbolo uti sólitus. Romæ obdormívit in Dómino; eumque Gregórius décimusquintus Sanctis ascrípsit.

Collecta, Deus, qui in Ecclésiæ, XL.

VESPERÆ *à Capitulo de S. Germano, Episc. ut in Communi Pontificum.*

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. S. Ignatii. Ant. Ubi sum. ℣. Dómine, XLII. *Collecta,* Deus, qui in Ecclésiæ, XL.

DIE XXXI.

SANCTI GERMANI,

AUTISSIODORENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

GERMANUS nóbili génere Autissiodóri natus, post auditória Gallicána, Romæ juris perítiam adeptus, causas egit; ibique uxórem duxit. Provínciæ suæ visitátor constitútus, in Gálliam rédiit: ubi venatióni nímiùm déditus, ab Amatóre Autissiodorensi Episcopo reprehensus est. Sed ubi Germánum sibi successórem futúrum divínitùs cómperit Amátor, Augustodúnum se cóntulit, ut Germáni in Clerum asciscendi potestátem à Júlio Præfecto impetráret. Quod ut obtínuit, Germánum, rescisso capillítio, clericáli veste índuit. Creátus Episcopus, súbitò mutátur in virum álterum: exinde namque cœpit séculi pompam aspernári, uxórem habére pro soróre, vitam ásperam dúcere, cilício carnem domáre, vilem indúere hábitum, sua paupéribus erogáre, ómnibus sine personárum acceptióne hospítium præbére, oratiónem vix unquam intermíttere. Cùm autem Pelagiána hæresis in Británnia majóre grassarétur, ad eam extirpandam Gálliæ Episcopi, rogántibus Britannis, misérunt Germánum cum Lupo Trecensi qui ínsulam purgárent ab erróre. Quo in itínere, concitátam in mari tempestátem oratióne suâ compéscuit. In ínsula tùm multis, tùm insígnibus miráculis cathólici dógmatis verítatem asséruit.

LECTIO III.

IN Gálliam redux, Germá-

nus cùm accepisset civitátem suam tribútis, aliisque calamitátibus ádmodùm premi, Arelátem se cóntulit ad Auxiliárem Gálliæ præfectum, pro vexáta plebe intercessúrus. Auxiliáris Germáni précibus ultrò ánnuit, et vicissim à Germáno grátiam recépit; quippè qui uxórem ejus quartánâ febre dudùm laborantem prístinæ réddidit sanitáti. Rogátus à Britannis, ut quod cœperat opus absólveret, adjuncto sibi cómite Sevéro Trevírensi, in ínsulam ítérùm profectus, renascentem Pelagiánam hærésim prorsùs extinxit. Alanórum regem Eocharícum, cum exércitu in Aremóricos rebelles ab Aétio patrício missum, manu ad habénas equi injectâ, avocávit. Indè expetítâ Ravennâ, ut à Valentiniáno Imperatóre véniam ipsis pétéret, ab ipso ejusque matre Placídia, summo honóre acceptus, cùm æqua ómnia et placabília invenáret, mórtuo sub aulæ ipsius óculis suscitáto, morbo correptus est, et intra paucos dies decessit. Corpus ejus honorífico comitátu Autissiodórum relátum est.

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, Dómine, in hac sancti Germáni festivitáte, cœlestis grátiæ, quam ille verbis, opéribus, et miráculis asséruit, præsens adésse præsídium; ut dum tanti Præsulis exempla mirámur et cólimus, ejus étiam fidem et actiónes imitémur; Per Dóminum nostrum.

VESPERÆ *de Sequenti*.

FESTA AUGUSTI.

DIE I.

S. PETRI, APOSTOLI, AD VINCULA.

Duplex-minus.

Psalmi de Feria in toto Officio.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. ç. Dabo te pópulo huic in murum æreum, et bellábunt adversùm te, et non prævalébunt. *Jerem.* 15.

Ant. 4. *D.* Ne tímeas, serve meus, neque páveas; quia ecce ego salvábo te. *Jerem.* 30.

Ant. 1. g. Liberábo te; éruens liberábo te, et gládio non cades. *Jerem.* 39.

Ant. 2. D. In die illa cónteram jugum de collo tuo, et víncula dirumpam. *Jerem.* 30.

Ant. 8. *G.* Ego ante te ibo, et gloriósos terræ humiliábo: portas æreas cónteram, et vectes férreos confringam. *Is.* 45.

Capitulum. (*Jerem.* 1.)

Ego dedi te hódie in civitátem munítam, et in columnam férream, et in murum æreum super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terræ; et belláhunt adversùm te, et non prævaléhunt, quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

HYMNUS.

Qui Christiáno gloriantur nómine,
Ahéna frustrà vincla captívos tenent;
Frustrà satelles servat insomnis fores:
Inter caténas mente stant libérrimâ,
Ornant revinctos invidendæ cómpedes;
Nec ponderósæ, quas amor leves facit:
Non densa tetri cárceris nox óbsidet,
Æterna summo quos manet cœlo dies.
Dulces caténæ! quæ reum non árguunt,
Sed Christi amantem quæ probant Apóstolum:
Regum corónis, áureis monílibus,
Vos sacra pluris æstimámus víncula.
Patri suprémo sit suprêma glória;
Tibique laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, splendor æterni Patris:
Compar sit almo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Dómine Deus meus, in te speráví; ℟. Salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me. *Ps.* 7.

Ad Magnificat, *Ant.* 3. a. Dóminus Deus auxiliátor meus, et scio quia non confundar. *Is.* 50.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Fit Commem. sancti Germani, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Deindè SS. Machabæorum, Ant. Paráti sumus mori magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

℣. Iníquè non égimus in testamento tuo, Dómine; ℟. Et non recessit retrò cor nostrum. *Ps.* 43.

Collecta, Fraterna nos, Dómine, *infrà*, 519.

AD OFFICIUM NOCT.

INVITATORIUM.

Dominum qui solvit compedítos, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Qui Christiáno, *suprà*.

Ant. 2. D. Loquéntibus Petro et Joanne, supervenérunt Sacerdótes, et injecérunt in eos manus. *Act.* 4.

Ant. 1. *D.* Posuérunt eos in custódiam: multi autem credidérunt, et factus est

númerus virórum quinque míllia. *Act.* 4.

Ant. 4. E. Factum est in crástinum, ut congregarentur príncipes, et senióres, et Scribæ; et statuentes eos in médio, interrogábant. *Act.* 4.

℣. Auxit Dóminus pópulum suum vehementer; ℟. Et firmávit eum super inimícos ejus. *Ps.* 104.

Lectio I, de Scriptura occurrenta, tribus in unam junctis.

℟. Replétus Spíritu sancto Petrus, dixit: Si nos hódie dijudicámur in benefacto, * Notum sit omni plebi Israel, quia in nómine Jesu Christi iste astat coram vobis sanus. ℣. Qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum; ego autem adjíciam, ut annúntiem poténtiam tuam: * Notum. *Act.* 4. *Ps.* 70.

LECTIO II.

Petrus Apóstolus propter nomen Dómini Jesu víncula et cárceres, non unâ vice, nec uno in loco expertus est. Nam primò quidem statim à Pentecoste, claudo ad portam templi sanáto, dum pópulum cum Joanne allóquitur, invídià Sacerdótum in custódiam detrúsus est; unde productus in crástinum, tantam ostendit constántiam, ut ipsi príncipes satis admirári non possent intérritam hóminis illiteráti libertátem; et número credéntium, auctà ex ipsis Apóstoli víncula fidúciâ, ad quinque millia accréscerat. Non ita multò post cùm solâ Petri præterquatis umbrâ omnis cujusque morbi spécies sanarétur, rursus per Pontíficem et Sadducæos ipse cum céteris Apóstolis in cárcerem públicum adductus est, et póstea flagellis cæsus, quòd ob hóminum interdicta, jussa Dei à se contemni non posse respondisset. Tértiâ vice, occíso Jacóbo, cùm Heródes hæc cædem Judæis non ingrátam esse perspíceret, Petrum ítidem in cárcerem trudi, et caténis duábus vinctum, per quátuor mílitum quaterniónes asservári præcépit; unde nihilóminùs per Angelum mirabíliter eductus est. Ultimò, Romæ cùm martyrium pértulit, in custódia Mamertíni asservátus, et Nerónis jussu caténis constrictus fuisse tráditur, quæ in Romána Ecclésia speciáli honóre à primis séculis hábitæ sunt. Scribit autem Arátor, ejusdem Ecclésiæ sexto século Subdiáconus, étiam ex Jerosólymis Petri caténas, aut certè unam ex iis quibus illic vinctus fúerat, jam Romæ suâ ætáte servátas fuisse: unde non mediócriter aucta est illárum venerátio; structâ præsertim, ut ex áliis Ecclésiæ Románæ monumentis per-

spícitur, per juniórem Eudóxiam Valentiniáni tértii uxórem in monte Esquilíno Basílicâ, nómine sancti Petri ad Víncula. Quæ cùm Calendis Augusti dedicáta esset, ejus memóriæ dies festus institútus est.

℟. Princeps Sacerdótum, et ómnes qui cum illo erant, posuérunt Apóstolos in custódia pública. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, dixit: Ite, * Et stantes loquímini in templo verba vitæ hujus. ℣. Exultáte in conspectu ejus qui edúcit vinctos in fortitúdine; * Et stantes. *Act.* 5. *Ps.* 67.

De SS. Machabæis,

LECTIO II.

MACHABÆI fratres septem quorum memória Calendis Augusti consignáta est in Martyrológiis, ante Christi témpora pro pátriis légibus ab Antíocho Epíphane váriis suppliciórum genéribus tentáti, fórtiter sánguinem fudérunt. Horum diem natálem jam à quarto século solemnem in Ecclésia fuisse, testes sunt Gregórius Nazianzénus aliique sancti Patres, qui eo die sermónes ad pópulum habuérunt, in quibus eórum triumphos eo potíssimùm nómine magnificéntiùs éfferunt, quòd qui nondum propósito Christi exemplo, tantam constántiam ostendérunt, multò fortióres fuissent, si post passiónem Christi illos in certámen descéndere contigisset, quamvis ómnibus Dei amatóribus semper fuisse persuásum testentur némineni eórum qui ante adventum Christi martyrio consummáti sunt, id sine fide in Christum cónsequi potuisse.

℟. Præcipiendo præcépimus vobis ne docerétis in nómine isto; et ecce replestis Jerúsalem doctrínâ vestrâ. Respondens Petrus, et Apóstoli, dixérunt: * Obedíre oportet Deo magis quàm homínibus. ℣. Est Dóminus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit. * Obedíre oportet Glória Patri. * Obedíre. *Act.* 5. 2. *Machab.* 15.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Laudábilem invocábo Dóminum, ℟. Et ab inimícis meis salvus ero. 2. *Reg.* 22.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Misit Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia; appósuit autem ut apprehénderet et Petrum, quem misit in cárcerem. *Act.* 12.

Ant. 3. c. Petrus servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo. *Act.* 12.

Ant. 6. F. Cùm productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dór-

miens inter duos milites, vinctus caténis duábus. *Act.* 12.

Ant. Angelus Dómini ástitit, et lumen refulsit in habitáculo, percussoque látere Petri, excitávit eum: et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. *Act.* 12.

Ant. 5. a. Dixit Angelus ad eum: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequére me. Et éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est quod fiébat per Angelum. *Act.* 12.

Capitulum. (*Sap.* 10.)

SAPIENTIA justum non derelíquit, sed à peccatóribus liberávit eum; descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum.

HYMNUS.

PETRUM, tyranne, quid caténis óbruis,
Jubesque condi cárceris nigro specu?
Quid trux satelles ante limen éxcubat?
Carcer, satelles, vincla non Petrum tenent.
FULGENS ab alto venit Ales æthere;
Recédit horror; et fugat noctem dies:
Jubente Christo, rupta vincla concídunt;
Panduntur ultro clausa ferro límina.
CŒLESTIS ille ductor ostendit viam:
It Petrus; atque sómnium quod fit, putat:
Verùm, receptâ mente, victrícem Dei
Sum salútis certus agnoscit manum.
LUX nostra, Christe, nostra libertas, vides
Quibus caténis vínciant nos crímina,
Et quanta nostris incubet nox méntibus:
Cæcis diem fer, rumpe vinctis víncula.
PATRI suprémo sit suprema glória;
Tibique laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, splendor æterni Patris:
Compar sit almo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Dirupisti víncula mea:
℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Ps.* 115.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judæórum. *Act.* 12.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui beátum Petrum Apóstolum, à vínculis absolútum, illæsum abíre fecisti: nostrórum, quæsumus, absolve víncula peccatórum; ut ab eórum néxibus expediti, viam mandatórum tuórum líberâ mente currámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro Commem. SS. Machabæorum,

Ant. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit. 2. *Machab.* 7.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, ℟. Et in servis suis deprecábitur. *Ps.* 134.

COLLECTA. Orémus.

FRATERNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet, quæ et fídei nostræ præbeant incrementa virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur; Per Christum Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Misit.

AD TERTIAM.

Ant. 3. c. Petrus.

Capitulum. (*Jac.* 5.)

ORATE pro ínvicem, ut salvémini; multùm enim valet deprecátio justi assídua.

℟. *br.* Clamavérunt justi, * Et Dóminus exaudívit eos. Clamavérunt. ℣. Et ex ómnibus tribulatiónibus eórum * liberávit eos, * Et. Glória Patri. Clam vérunt. *Ps.* 33.

℣. Exaudívit páuperes Dóminus, ℟. Et vinctos suos non despexit. *Ps.* 68.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Cùm productúrus.

Capitulum. (*Jerem.* 17.)

ECCE ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Dómini? véniat. Et ego non sum turbátus, te pastórem sequens; et diem hóminis non desideráví.

℟. *br.* In pace in idipsum * Dórmiam et requiescam. In pace. ℣. Quóniam tu, Dómine, * singuláriter in spe constituisti me, * Dórmiam. Glória. In pace. *Ps.* 4.

℣. Deus meus, in te confído, non erubescam; ℟. Neque irrídeant me inimíci. mei. *Ps.* 24.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Dixit Angelus.

Capitulum. (*Genes.* 49.)

DISSOLUTA sunt víncula brachiórum et mánuum illíus per manus Potentis Jacob.

℟. *br.* Misit de cœlo Dóminus, * Et liberávit me. Misit. ℣. Dedit in oppróbrium * conculcantes me * Et liberávit me. Glória Patri. Misit. *Ps.* 56.

℣. Salvum me fecit Dóminus, ℟. Quóniam vóluit me *Ps.* 17.

AD II VESPERAS.

Ant. 8. *G.* Usque ad mortem periclitátus sum, et liberátus sum grátiâ Dei. *Eccli.* 34.

Ant. 5. C. Dóminus mihi ástitit, et liberátus sum de ore leónis. 2. *Tim.* 4.

Ant. 6. F. Factus es mihi adjútor, Dómine, et liberasti me à rege iníquo. *Eccli.* 51.

Ant. 1. g. Liberasti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, de mánibus quæréntium ánimam meam. *Eccli.* 51.

Ant. 3. a. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. *Jer.* 20.

Capitulum. (2. *Reg.* 22.)

PRÆVENIT me in die afflictiónis meæ, et factus est Dóminus firmamentum meum; et eduxit me in latitúdinem: liberávit me, quia complácui ei.

Hymnus, Petrum, 515.

℣. Deus, edúcis me ab inimícis meis; ℟. Proptéreà confitébor tibi in géntibus. 2. *Reg.* 22.

Ad Magníf. *Ant.* 4. *D.* Narrávit Petrus quómodò Dóminus eduxisset eum de cárcere, dixitque: Nuntiáte Jacóbo et frátribus hæc; et egressus ábiit in álium locum. *Act.* 12.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Stephani, Papæ et Martyris. Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta*, Deus, cujus grátia, XIII.

DIE II

SANCTI STEPHANI,

PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

LECTIO III.

STEPHANUS post Lúcium, successórem Cornélii, Románam rexit Ecclésiam. Grassabátur his tempóribus Novatianórum hæresis, quæ pœniténtibus lenitátis paternæ solátia claudébat sine spe pacis et communicatiónis. His cùm se Marciánus Arelatensis adjunxisset, Stéphanus primùm à Faustíno Lugdunensi, subinde à sancto Cypriáno mónitus est in hunc modum: Dirigantur in Provínciam et ad plebem Areláte consistentem à te lítteræ, quibus abstento Marciáno, álius in locum ejus subsituátur; et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipátus et vulnerátus contémnitur, colligátur. Ecclésiæ tamen discissæ, ad unitátem reversæ sunt: et rédditam insperátò pacem ipsi Stéphano per lítteras gratulátus est sanctus Dionysius Alexandrínus. Alia non minor exorta est controvérsia, utrùm baptizáti ab hæréticis ad Ecclésiam redeuntes, dénuò essent baptizandi; de qua ad Cypriánum ita scripsit Stéphanus: Nihil innovétur nisi quod tráditum est. Demum post administrátam per tres annos Ecclésiam, in persecutióne Valeriáni Martyr occúbuit.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beátum Stéphanum Apostólici Principátûs prærogátivà conspícuum

Martyrii corónâ illustriórem effecísti; da Ecclésiæ tuæ ejus patrocíniis adjuvári cujus labóribus occulta flóruit, et sánguine crevit fœcundáta; Per Dóminum.

VESPERÆ *de Sequenti.*

DIE III.

IN INVENTIONE CORPORIS

SANCTI STEPHANI,

PROTOMARTYRIS.

Duplex – minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Ant. 1. D. Timenti Dóminum benè erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur. *Eccli.* 1.

Ant. 2. D. Protegétur sub tégmine sapiéntiæ à fervóre, et in glória ejus requiescet. *Eccli.* 14.

Ant. 3. a. Absque terróre requiescet, et abundántiâ perfruétur, timóre malórum subláto. *Prov.* 1.

Ant. 4. E. Si senúerit in terra radix ejus, et in púlvere emórtuus fúerit truncus illíus, germinábit. *Job* 14.

Ant. 5. a. Germinábit sicut lílium, et erumpet radix ejus ut Líbani. *Osee* 14.

Capitulum. (*Is.* 66.)

HÆC dicit Dóminus: Consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra sicut herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

HYMNUS.

QUIS Luciáno, dum plácidus sopor
Restaurat artus, se venerábili
Splendens senectâ, nunc videndum
Sydéreâ dat ab arce Princeps?
TU missus astas, sancte Gamáliel,
Tu clara primi pígnora Martyris,
Tellúre monstras sub profundâ,
Quo láteant inhonóra saxo.
PRÆSUL Joannes, non semel éditis,
Per noctis umbras, admónitus sonis
Accédat; et pandat sepulcrum,
Et Stéphani sacra tollat ossa.
HUC et sacráti, cúrrite, Præsules;
Huc urbe læti de Sólyma greges:
Hìc veste candentes Ministri,
Æthéreos celebráte plausus.
O POMPA felix! ô nova gáudia!
Quantis retectum spirat odóribus
Justi feretrum! quàm salúbres
Exúvias pia turba novit!

LAUS tanta, Martyr, te decet; en diù
Raptos honóres réddere tunc juvat,
Et sancta neglectis tot annos
Templa Sion decoráre gemmis.
LAUS summa Patri, summaque Fílio,
Sit, sancte, compar laus tibi, Spíritus,
Quo, morte jam victâ, triumphat
Magníficis Stéphanus trophæis. Amen.

℣. Dabis, Deus, gáudium et lætítiam; ℟. Et exultábunt ossa humiliáta. *Ps.* 50.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Revélat Deus de ténebris, et prodúcit in lucem umbram mortis. *Job* 12.

Collecta, Omnípotens, *infrà*.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DOMINUM custodientem ossa Sanctórum suórum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 33.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Quis Luciáno, *suprà*.

Ant. 7. *d.* Erit quasi olíva glória ejus, et odor ejus ut Líbani. *Osee* 14.

Ant. 8. *G.* Memória ejus in compositiónem odóris facta, opus pigmentárii. *Eccli.* 49.

Ant. 3. *a.* In séculum memória ejus in benedictióne, et nominátus est usque ad novíssimum terræ. 1. *Mach.* 3.

℣. In memória æterna erit justus; ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Ps.* 111.

Lectio I de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

℟. Concurrébat multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferentes ægros, qui * Curabantur omnes. ℣. Vénient et cónfluent ad bona Dómini, et consolabor eos, et lætificábo eos à dolóre suo. * Curabantur. *Act.* 5. *Jerem.* 31.

LECTIO II.

CORPORA sanctórum Stéphani protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi et Abibónis, quæ diù latúerant, Luciáno presbytero divínitùs admónito, inventa sunt prope Jerosólymam, Theodósio junióre et Honório imperántibus. Cujus rei famâ magna hóminum multitúdo commóta, eò convénit; pluresque váriis morbis affecti, sani rediérunt. Sacræ relíquiæ summâ celebritáte in sanctam Ecclésiam Sion illátæ sunt; ex quibus váriæ partículæ in Africam, Gálliam, aliasque orbis partes delátæ, multis claruérunt miráculis.

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per eum, ita ut super lánguidos deferrentur à córpore ejus sudária et

semicínctia, * Et recedébant ab eis languóres. ℣. Tu es, Deus, qui facis mirabília; notam fecisti in pópulis virtútem tuam. * Et. *Act.* 19. *Ps.* 76.

LECTIO III.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 318, de Mart. Steph.)

AUDISTIS, cùm passiónis Stéphani léctio legerétur de libro canónico Actuum Apostolórum, quemádmodùm lapidátus sit á Judæis, quemádmodùm Dómino commendáverit spíritum suum, quemádmodùm étiam in extrémo, génibus fixis, oráverit pro lapidatóribus suis. Hujus corpus ex illo usque ad ista témpora látuit. Nuper autem appáruit, sicut solent apparére sanctórum Mártyrum córpora, revelatióne Dei, quando plácuit Creatóri. Præcedéntibus enim signis, locus demonstrátus est; et quómodò fúerat revelátum, sic et inventum est. Multi inde relíquias accepérunt, quia Deus vóluit; et huc venérunt. Commendátur ergo caritáti vestræ et locus et dies; utrumque celebrandum in honórem Dei, quem confessus est Stéphanus. Nos enim in isto loco non aram fécimus Stéphano, sed de relíquiis Stéphani aram Deo.

℟. Amplificátus est in mirabílibus suís, mórtuum prophetávit corpus ejus: * In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. ℣. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? * In vita sua fecit monstra. Glória Patri. * In vita. *Eccli.* 48. 1. *Cor.* 15.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Mirábilis Deus in sanctis suis: ℟. Ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ. *Ps.* 67.

AD LAUDES.

Ant. 6. F. Ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49.

Ant. 5. F. Orávit; et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. *Jac.* 5.

Ant. 3. a. Adducunt cæcum, et cœpit vidére; et restitútus est, ita ut clarè vidéret ómnia. *Luc.* 8.

Ant. 4. *E.* Conveniébant turbæ multæ, ut sanarentur ab infirmitátibus suis, et virtus Dómini erat ad sanandum eos. *Luc.* 5.

Ant. 1. D. Cùm tetigisset cadáver ossa ejus revixit homo, et stetit super pedes suos. 4. *Reg.* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 45.)

SIMILEM illum fecit Dóminus in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et ostendit illi glóriam suam.

HYMNUS.

MOLE contrítus lápidum cruentà,
Prodit obscúro Stéphanus sepulcro :
Orbis assurgat; redivíva virtus
Ossibus exit.
NON latet Gallos; scit et Afra tellus,
Occídens et sol, Oriensque clamat
Quid necis claræ monumenta largo
Múnere præstent.
CÆCUS exultat, recipitque lumen;
Claudus incédit pede liber æquo.
Mors et admótam fugitíva sentit
Mártyris arcam.
TRANSIT in pannos tunicasque virtus;
Si quis in templo pia vota fundat,
Et sacros supplex cíneres honóret,
Vota reportat.
CORPORI quærant álii medélam;
Cáritas nostrum trahit omne votum,
Quæ bonis vincit mala, gratiamque
Hóstibus orat.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus,
Qui salutárem Stéphani sepulcro
Spargis odórem. Amen.

℣. Narráte ómnia mirabília Dómini; ℟. Laudámini in nómine sancto ejus. *Ps.* 104.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Stéphanus faciébat prodígia et signa magna in pópulo. *Act.* 6.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui sacrum beatíssimi Proto-Mártyris Stéphani corpus fidélibus tuis reveláre dignátus es : concéde, ejus intercessiónis auxílio, nos ab instántibus tribulatiónibus liberári, et æternis consolatiónibus adimpléri; Per Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Ossa ipsíus.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Orávit.

Capitulum. (2. *Paral.* 7.)

AIT Dóminus : Si cláusero cœlum, et plúvia non flúxerit : conversus autem pópulus deprecátus me fúerit : ego exáudiam de cœlo, et sanábo terram eórum.

℟. *br.* Præcínite Dómino * In confessióne. Præcínite. ℣. Psállite Deo nostro * in cíthara. * In. Glória. Præcínite.

℣. Qui óperit cœlum núbibus, ℟. Et parat terræ plúviam. *Ps.* 146.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Addúcunt.

Capitulum. (*Ephes.* 1.)

DEUS Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det vobis illuminátos óculos cordis, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in sanctis.

℟. *br.* Accédite ad eum, * Et illuminámini. Accédite. ℣. Et fácies vestræ * non confundentur. * Et illuminámini. Glória. Accédite. *Ps.* 33.

℣. Illúmina, Dómine, óculos meos, ℟. Ne unquàm obdórmiam in morte. *Ps.* 12.

AD NONAM

Ant. 1. D. Cùm tetigisset.

Capitulum. (*Eccli.* 48.)

QUIS potest simíliter sic gloriári tibi? qui sustulisti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei.

℟. *br.* Dóminus mortíficat, * Et vivíficat. Dóminus. ℣. Dedúcit ad ínferos, * et redúcit. * Et vivíficat. Glória. Dóminus. 1. *Reg.* 2.

℣. Deus virtútum, vivificábis nos, ℟. Et nomen tuum invocábimus. *Ps.* 79.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. Mórtui estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. *Col.* 3.

Ant. 2. D. Habentes spíritum fídei, crédimus; scientes quóniam qui suscitávit Jesum à mórtuis, et nos cum Jesu suscitábit. 2. *Cor.* 4.

Ant. 3. E. Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitantem spíritum ejus in vobis. *Rom.* 8.

Ant. 4. E. Scimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. *Cor.* 1.

Ant. 5. C. Primítias Spíritûs habentes, intrà nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis nostri. *Rom.* 8.

Capitulum. (*Philip.* 3.)

NOSTRA conversátio in cœlis est, undè étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

HYMNUS.

OBSCUROS ténebris, Christe, vetas premi,
Clarâ qui, púgiles, te nece prædicant;
Quæ sub nocte jacent, tempóribus suis
Hæc pleno rétegis die,
QUÆ celáta diu pulvéreo situ,
Monstras ossa tui spléndida Mártyris,

Ad cujus cineres cúrritur,
et suus
Siccis est honor óssibus.
FLORES è túmulo vim médicam trahunt;
Et cæco súbitum restítuunt diem,
Qui dux ipse sui jam répetit domum
Cœli múnere lætior.
ULTOR nempè Deus, non méritæ necis,
Sacris oppróbrium pensat honóribus:
Claros prodígiis, ac venerábiles
Ipsos vel túmulos facit.
PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus præsídio prælia sústinent
Fuso sánguine Mártyres.
Amen.

℣. Cor meum et caro mea exultavérunt ℟. In Deum vivum. *Ps.* 83.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Novos cœlos et novam terram, secundùm promissa Dómini, expectámus, in quibus justítia hábitat; propter quod hæc expectantes, satágite immaculáti et invioláti ei inveníri in pace. 2. *Petr.* 3.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. S. Dominici, Presb. Ant. Quasi thus. ℣. Stabit, XXXVI. *Collecta*, Deus, qui Ecclésiam tuam, *infrà*.

DIE IV.

SANCTI DOMINICI,

PRESBYTERI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Presbyterorum, additis quæ sequuntur.

LECTIÓ II.

DOMINICUS Calárogæ in Hispánia ex nóbili Gusmannórum família natus est. Hunc mater dum útero gestáret, quædam vidisse per quiétem tráditur, ex quibus conjícere pronum esset, eum quem paritúra erat, splendóre sanctitátis et doctrínæ multos ad pietátem christiánam inflammatúrum. Paléntiæ liberálibus disciplínis ac Theológiæ óperam dedit. Quo in stúdio cùm plúrimùm profecisset, annos natus viginti novem inter Canónicos Reguláres Uxamensis Ecclésiæ cooptátus est. Hujus ingénium et virtus maxímè enítuit, tum in impietáte Mahumetanórum expugnanda, tum præcípuè in evertendis Albigénsibus hæréticis qui Tolosátes pervértere conabantur. Huic óperi, non sine crebro vitæ discrímine per annos novem, verbo, précibus, et miráculis incúbuit.

LECTIO III.

FIDEI propagandæ stúdio semper incensus instituit

Prædicatórum Ordinem, cujus confirmatiónem ab Innocéntio tértio dilátam, ne recens Concílii Lateranensis decrétum de novis ordínibus non instituendis statim infringi viderétur, póstmodum sub sancti Augustíni régula impetrávit ab Honório tértio Innocéntii successóre. Tandem anno Christi ducentésimo vigésimo primo supra millésimum, ætátis quinquagésimo primo, Bonóniæ febre correptus, caritátem, humilitátem, et paupertátem frátribus testamento relinquens, obdormívit in Dómino sextâ die Augusti : quem pósteà Gregórius nonus in Sanctórum númerum rétulit.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat incrementis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Ad Vesperas, *fit à Capitulo de sequenti, ut in Communi unius Mart. Collecta,* Omnipotens, *infrà.*

Fit Commemoratio S. Dominici. Ant. Ubi sum. ℣. Dómine, XLII. *Collecta,* Deus, qui, *suprà.*

DIE V.

SANCTI XYSTI,

PAPÆ ET MARTYRIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Xystus secundus Stéphano successit in Sede Romána. Ad eum Dionysius Alexandrínus scripsit epístolam de Baptísmate, quâ étiam eum commonefécit de exorta apud Ptolemáidem Pentapóleos urbem Sabellianórum hæresi. Sed et in ália epistola senténtiam ejus expétiit de ímpio quodam hæreticórum baptismo, quem se dudum suscepisse quidam fidélis asserébat. Cùm autem, acriori adversùs Christiános persecutióne decrétâ, Valeriánus inter ália, rescripto ad Senátum dato, edixisset ut Episcopi, Presbyteri et Diácones incontinenti animadverterentur; Xystus, simul cum Quarto, sextâ die Augusti in cœmetério animadversus est.

LECTIO III.

Quem cùm sanctus Laurentius ad martyrium duci cérneret, in has voces flens erúpit : Quò progréderis sine fílio, Pater? quò, Sacerdos sancte, sine ministro próperas? Cui Xystus : Non ego te désero, fili : majóra te manent certámina; post tríduum me sequé-

ris. Gloriósam Xysti mortem sanctus Cypriánus Epíscopis Africæ per Successum illórum collégam significári vóluit; quò suos quisque corroboráret, ut gaudérent magis quàm timèrent in hac confessióne, in qua scirent Christi mílites non périmi, sed coronári.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui beátum Xystum Apostólici principátûs prærogatívâ conspícuum, Martyrii corónâ illustriórem effecisti; da Ecclésiæ tuæ ejus patrocínio adjuvári, cujus labóribus exculta flóruit, et sánguine crevit fœcundáta; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

VESPERÆ *de sequenti.*

DIE VI.

IN FESTO
TRANSFIGURATIONIS
DOMINI.

SOLEMNE - MINUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 5. C. Magnália sapiéntiæ suæ decorávit Dóminus. Quàm desiderabília sunt! et quis satiábitur videns glóriam ejus? *Eccli.* 42.

Ant. 1. g. Laudis ejus plena est terra: splendor ejus ut lúxerit. *Habac.* 3.

Ant. 2. D. Confundétur sol, cùm regnáverit Dóminus in monte, et in conspectu senum suórum fúerit glorificátus. *Is.* 24.

Ant. 3. a. Ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. *Is.* 35.

Ant. 6. F. Cánticum erit et lætítia cordis, et audítam fáciet Dóminus glóriam vocis suæ. *Is.* 30.

Capitulum. (*Is.* 4.)

In die illa erit germen Dómini in magnificéntia et glória, et fructus terræ sublímis, et exultátio his qui salváti fúerint de Israel.

℟. Dicébat Jesus discípulis suis: Amen dico vobis; sunt de hic stántibus, qui * Non gustábunt mortem, donec vídeant regnum Dei véniens in virtúte. ℣. Pósuit óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália óperum suórum: * Non gustábunt mortem, donec vídeant. Glória Patri. *Repetit.* ℟. *usque ad* ℣. *Marc.* 8. *Eccli.* 17.

HYMNUS.

Hoc jussa quondam rúmpimus
Festo die siléntia:
Celáta dudum jam decet
Vulgáre nos mystéria.
Montis sub alto vértice,
Tribus vocátis téstibus,
O Christe, visus háctenus
Terris homo, pates Deus.
Tuæ latens lucis jubar
Sacros in artus éffluit:
Vestis tuo te númine,
Tibique totus rédderis.
Cœlo tonante, prótinus
Audíta summi vox Patris:
Te, nube ruptâ, Fílium,
Quo gloriátur, ásserit.

Hic est Magíster ómnium,
Quem pronus orbis audiat.
Silléte, mortáles; Deus
Qui nos docet, fatur Deus.
* Qui, nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibique Nato; nec minor
Laus utriusque Flámini.
Amen.

℣. Apud te est, Dómine, fons vitæ; ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

Ad Magnificat, *Ant.* 7. G. *Duplicanda.* A século non audiérant, neque áuribus percepérant; óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectántibus te. *Is.* 64.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. S. Xysti, Ant. Justum. ℣. Posuisti, XIV. *Collecta*, Omnípotens, *ut suprà.*

Ad Completorium, *in fine Hymni, Doxologia,* * Qui, nube ruptâ, te psallam, *ut suprà.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Splendorem glóriæ Dei Christum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 1.

Ps 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Quam nos potenter állicis!
Te, Christe, quando déte-
gis,
Te quando celas, próvidus
Nobis peræquè cónsulis.
Hic nos adoptat fílios
Qui te vocávit Fílium;
Sponsor futúræ glóriæ
Dat certa nobis pígnora.
E nube quid, Pater, probas?
De monte, Fili, quid doces?
Umbris procul cedéntibus,
Restábat una véritas.
Ut jussa Patris ímpleas
Mactanda mundo víctima,
Formam resúmens prístinam,
Mortalitáti rédderis.
Fac, Christe, qui nobis lates,
Obscúra dum regit fides,
Fracto solútos córpore
Nos te vidére, te frui.
Qui, nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibique Nato; nec minor
Laus utriusque Flámini.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. *D.* Assumpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem, et ascendit in montem ut oráret. *Luc.* 9.

Ant. 2. D. Ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfigurátus est coram ipsi. *Marc.* 9.

Ant. 3. c. Facta est, dum oráret, spécies vultûs ejus áltera; et resplénduit fácies ejus sicut sol. *Luc.* 9. *Matth.* 17.

℣. Speciósus formâ præ fíliis hóminum: ℟. Diffúsa

est grátia in lábiis tuis. *Ps.* 44.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Date Dómino glóriam nómini ejus: * Veníte in conspectu ejus, et adoráte Dóminum in decóre sancto. ℣. Deus Patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum. * Veníte in conspectu. 1. *Paral.* 16. *Act.* 3.

Post II Lect. ℟. Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer: * Confessiónem et decórem induisti, amictus lúmine sicut vestimento. ℣. Vestimenta facta sunt splendéntia et cándida nimis. * Confessiónem et decórem. *Ps.* 103. *Marc.* 7.

Post III Lect. ℟. Deus qui glorificátur in concílio sanctórum, * Magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt. ℣. Notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et præséntiam, speculatóres facti illíus magnitúdinis. * Magnus et terríbilis super omnes. Glória. * Magnus. *Ps.* 88. 2. *Petr.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Erat spécies glóriæ Dómini quasi ignis ardens, super vérticem montis. *Exod.* 24.

Ant. 8. G. Petrus, et qui cum illo erant, graváti erant somno; et evigilantes, vidérunt majestátem ejus. *Luc.* 9.

Ant. 4. E. Ecce apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquentes. *Matth.* 17.

℣. In concílio justórum et congregatióne, ℟. Magna ópera Dómini. *Ps.* 110.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Tom. V. Serm. 78. N. 1 et 2.)

INSPICIENDA nobis et tractanda est, caríssimi, vísio ista quam Dóminus demonstrávit in monte. Ipsa est enim de qua díxerat: Amen, dico vobis, quia sunt hic quidam de circumstántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium hóminis in regno suo. Post dies sex assumpsit tres discípulos, Petrum, Joannem et Jacóbum, et ascendit in montem. Ipsi tres erant quidem de quibus díxerat: Sunt hic qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium hóminis ín regno suo. Regnum suum dicit, quod multis locis appellat regnum cœlórum. Regnum autem cœlórum est regnum sanctórum. Hoc ut ostenderétur, vidéte quid factum est. Dóminus ipse Jesus resplénduit sicut sol; vestimenta ejus facta sunt cándida sicut nix; et loquebantur cum eo Móyses et Elías. Ipse Jesus quidem, ipse splénduit sicut sol, se lumen esse signí-

ficans, quod illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. Quod est iste sol óculis carnis, hoc ille óculis cordis; et quod iste cárnibus, hoc ille córdibus.

℟. Ecce duo viri loquebantur cum Jesu. * Erant autem Móyses et Elías visi in majestáte, et dicébant excessum ejus quem completúrus erat in Jerúsalem. ℣. Dóminus ortus est, appáruit de monte; sancti in manu illíus sunt. * Erant autem Móyses et Elías visi in majestáte. *Luc.* 9. *Deut.* 33.

LECTIO V.

(Serm. 79.)

Vestimenta ejus facta sunt cándida sicut nix. Hoc significat Ecclésiæ mundatiónem, cui dictum est per Prophétam : Etsi fúerint peccáta vestra sicut phœnícium, tanquam nivem dealbábo. Elías et Móyses colloquebantur ei, quia Evangélii grátia testimónium habet à Lege et Prophétis. In Móyse Lex, in Elía Prophétæ. Plácuit Petro tria fíeri tabernácula, Moysi unum, Elíæ unum, et Christo unum, Delectábat eum montis solitúdo : tædium patiebátur à tumultu rerum humanárum. Sed tria tabernácula quare quærébat, nisi quia unitátem Legis, Prophetíæ, *et Evangélii* nondum sciébat? Dénique nube emendátus est. Hæc eo loquente, inquit, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Ecce unum tabernáculum nubes fecit : tu tria quare quærébas?

℟. Factum est, cùm discéderent Móyses et Elías ab illo, ait Petrus ad Jesum : * Præceptor, bonum est nos hìc esse. ℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondisti timéntibus te! * Præceptor, bonum est nos hìc esse. *Luc.* 9. *Ps.* 30.

LECTIO VI.

(Serm. 78. N. 3, 4, 5 et 6.)

Verbum Dei Christus, verbum Dei in Lege, verbum in Prophétis. Quid, Petre, quæris divídere? magìs oportet adjúngere. Tria quæris, intéllige et unum. Nube ergo obumbrante omnes, sónuit et vox de nube, dicens : Hic est Fílius meus dilectus. Ibi erat Móyses, ibi Elías; non est dictum : Hi sunt fílii mei dilecti. Aliud est enim únicus, áliud adoptáti. Ille commendabátur, unde Lex et Prophétæ gloriabantur. Hoc audíto, illi cecidérunt in terram. Jam demonstrátur nobis in Ecclésia regnum Dei. Hìc Dóminus, hìc Lex et Prophétæ : sed Dóminus, tanquam Dóminus; Lex in Móyse; Prophetía in Elía : sed ipsi tanquam servi, tan-

quam ministri. Ipsi tanquam vasa, ipse tanquam fons. Móyses et Prophétæ dicébant et scribébant : sed de illo implebantur, quando fundébant. Dóminus autem porrexit manum, et excitávit jacentes. Deinde néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Quando eos Dóminus erexit, resurrectiónem significávit. Post resurrectiónem ut quid tibi Lex? ut quid tibi Prophetía? Ideò non appáret Elías, non appáret Móyses. Rémanet tibi, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Descende, Petre : requiéscere cupiébas in monte; descende laboráre : habe caritátem, prædica veritátem; tunc pervénies ad æternitátem, ubi invénies securitátem.

℟. Erant timóre extérriti, et ait Petrus : * Si vis, faciámus hìc tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. ℣. Mélior est dies una in átriis tuis super míllia. * Si vis, faciámus hìc tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Glória Patri. * Si vis. *Marc.* 9. *Matth.* 17. *Ps.* 89.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Adhuc Petro loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. *Matth.* 17.

Ant. 5. a. Opéruit nubes montem, et habitávit glória Dómini tegens illum nube. *Exod.* 24.

Ant. 1. a. Petrus, et qui cum illo erant, timuérunt, intrántibus illis in nubem; et vox facta est de nube. *Luc.* 9.

℣. Intónuit de cœlo Dóminus, ℟. Et Altíssimus dedit vocem suam. *Ps.* 17.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 17.)

In illo témpore; Assúmit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum; et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

(Serm. 94, de Transfig. c. 6.)

Præsens quidem erat in Fílio Pater : et in illa Dómini claritáte quam ad discipulórum temperárat aspectum, non separabátur ab Unigénito Genitóris esséntia, sed ad commendandam proprietátem utriusque persónæ, sicut vísui significávit Fílium splendor ex córpore, sic auditui Patrem vox nuntiávit ex nube. Quâ voce acceptâ, discípuli quòd in fáciem cecidérunt, et timuérunt, valde, non de Patris tantùm, sed et de Fílii majestáte tremuérunt : altióri enim sensu unam utriusque

intellexérunt deitátem; et quia in fide non erat hæsitátio, non fuit in timóre discrétio. Látum ergo illud et múltiplex testimónium fuit, et plus in verbórum virtúte quàm in sono vocis audítum est. Dicente enim Patre: Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi bene complácui, ipsum audíte; nonne evidenter audítum est, Hic est Fílius meus, cui ex me et mecum esse sine témpore est? quia nec Génitor Génito prior, nec Génitus est Genitóre postérior. Hic est Fílius meus, quem à me non séparat déitas, non dívidit potestas, non discernit ætérnitas: qui eam quam mecum habet æqualitátem, non rapínâ appétiit, nec usurpatióne præsumpsit; sed manens in forma glóriæ meæ, ut ad reparandum genus humánum exequerétur commúne consílium, usque ad formam servílem inclinávit incommutábilem deitátem.

℟. Ecce vox de nube dicens: Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi bene complácui; * Ipsum audíte. ℣. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus; * Ipsum. *Matth.* 17. *Is.* 55.

LECTIO VIII.

(Cap. 7.)

Hunc ergo, in quo mihi bene per ómnia pláceo, et cujus prædicatióne manifestor, cujus humilitáte clarificor, incunctanter audíte: quia ipse est véritas et vita; ipse virtus mea atque sapiéntia. Ipsum audíte, quem legis mystéria prænuntiavérunt, quem Prophetárum ora cecinérunt. Ipsum audíte, qui sánguine suo mundum rédimit, qui diábolum ligat, et vasa ejus rapit; qui peccáti chirógraphum et prævaricatiónis pacta dirumpit. Ipsum audíte, qui viam áperit ad cœlum, et per crucis supplícium gradus vobis ascensiónis parat ad regnum. Quid trepidátis rédimi? Quid pavétis áucii liberári? Fiat quod, me volente, vult Christus. Abjícite carnálem formídinem, et fidéli vos armáte constántiâ: indignum est enim ut in Salvatóris passióne timeátis, quod ipsíus múnere nec in vestro fine metuétis.

℟. Dum fíeret vox, inventus est Jesus solus: * Et audientes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Dixitque eis Jesus: Súrgite, et nolíte timére. ℣. Deus majestátis intónuit: vox Dómini in virtúte, vox Dómini in magnificéntia. * Et. *Luc.* 9. *Matth.* 17. *Ps.* 28.

LECTIO IX.

(Cap. 8.)

Hæc, dilectíssimi, non ad illórum tantùm utilitátem dicta sunt, qui ea própriis

áuribus audiérunt; sed in illis tribus Apóstolis, universa Ecclésia dídicit quidquid eórum et aspectus vidit, et audítus accépit. Confirmétur ergo secundùm prædicatiónem sacratíssimi Evangélii ómnium fides, et nemo de Christi cruce per quam mundus redemptus est, erubescat. Nec ídeò quisquam aut pati pro justítia métuat, aut de promissiónum retributióne diffídat; quia per labórem ad réquiem, et per mortem transítur ad vitam: cùm omnem humilitátis nostræ infirmitátem ille suscéperit, in quo, si in confessióne et in dilectióne ipsíus permaneámus, et quod vicit víncimus, et quod promísit accípimus Quia sive ad facienda mandáta, sive ad toleranda adversa, præmissa Patris vox debet semper áuribus nostris intonáre, dicentis: Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi bene complácui, ipsum audíte.

℟. Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, * Ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Christi Jesu. ℣. Ecce ostendit nobis Dóminus Deus noster majestátem et magnitúdinem suam: vocem ejus audívimus. * Ipse. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. 2. *Cor.* 4. *Deut.* 5.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt; ℟. Et in nómine tuo exultábunt totâ die. *Ps.* 88.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Fílii Sion, exultáte, et lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis doctórem justítiæ. *Joel.* 2.

Ant. 8. c. Vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm essémus cum ipso in monte sancto. 2. *Petr.* 1.

Ant. 5. a. Venit vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus caríssimus, audíte illum. *Marc.* 9.

Ant. 7. d. Ipsum.

CANTICUM.

(Baruch 3.)

MAGNUS est Dóminus, et non habet finem; * excelsus et immensus.

Hic est Deus noster, * et non æstimábitur álius adversùs eum.

Hic adinvénit omnem viam disciplínæ: * et trádidit illam Jacob púero suo, et Israel dilecto suo.

Post hæc in terris visus est, * et cum homínibus conversátus est.

Ant. Ipsum audiétis, juxta ómnia quæcumque locútus fúerit. *Act.* 3.

Ant. 3. *à.* Omnis ánima quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. *Act.* 3.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

VIDETE ne recusétis loquentem : si enim illi non effugérunt, recusantes eum qui super terram loquebátur; multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avértimus.

HYMNUS.

JESU dulcédo córdium,
Fons vivus, lumen méntium,
Excédens omne gáudium
Et omne desidérium.

MANE nobiscum Dómine,
Et nos illustra lúmine,
Pulsâ mentis caligine,
Mundum replens dulcédine.

QUANDO cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei véritas :
Mundi vilescit vánitas,
Et intùs fervet cáritas.

JESU mi bone, séntiam
Amóris tui cópiam :
Da mihi per præséntiam
Tuam vidére glóriam.

QUEM tuus amor ébriat,
Novit quid Jesus sápiat :
Quàm felix est quem sátiat!
Non est ultrà quod cúpiat.

TU fons misericórdiæ,
Tu verè lumen pátriæ,
Pelle nubem tristítiæ,
Dans nobis lucem glóriæ.

Amen.

℣. Glóriâ et honóre coronasti eum, Dómine, ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

Ad Benedictus, *Ant.* J. *Duplic.* Amplióris glóriæ Jesus præ Móyse dignus est hábitus, quantò amplióremhonórem habet domûs qui fabricávit illam. *Hebr.* 3.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui fídei sacramenta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne, patrum testimónio roborasti; et adoptiónem filiórum perfectam, voce delapsa, in nube lúcida mirabíliter præsignasti : concéde propítius ut ipsíus Regis glóriæ nos cohæredes effícias, et ejusdem glóriæ tribuas esse consortes; Per eumdem.

AD HORAS, *in fine Hymnorum dicitur Doxologia :*

Qui, nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibique Nato : nec minor
Laus utriusque Flámini.

Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Fílii Sion.

In ℟. *br.* ℣. Qui accepisti à Deo Patre * honórem et glóriam. 2. *Petr.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Vocem.

Capitulum. (1. *Joan.* 5.)

SI testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est; quóniam hoc est testimónium Dei, quod majus est, quóniam testificátus est de Fílio suo.

℟. *br.* Fílii hóminum, *

úsquequò gravi corde?* Allelúia, allelúia. Fílii. ℣. Scitóte quóniam mirificávit Dóminus * Sanctum suum. * Allel. Glória. Filii. *Ps.* 4.

℣. Accédite ad eum, et illuminámini; ℟. Et fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Venit vox.

Capitulum. (*Is.* 42.)

Ecce servus meus, suscípiam eum; electus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi Spíritum meum super eum; judícium géntibus próferet.

℟. *br.* Ipse invocábit me: * Pater meus es tu, * Allelúia, allelúia. Ipse. ℣. Deus meus, * et susceptor salútis meæ, * Allelúia. Glória Patri. Ipse. *Ps.* 88.

℣. Hódie si vocem ejus audiéritis, ℟. Nolíte obdurâre corda vestra. *Ps.* 94.

AD NONAM.

Ant. 3. à. Omnis ánima.

Capitulum. (*Hebr.* 2.)

Propterea abundántiùs oportet observâre nos ea quæ audívimus, ne fortè perefluámus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricátio et inobediéntia accépit justam mercédis retributiónem; quómodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem?

℟. *br.* Audiam quid loquátur in me * Dóminus Deus, * Allelúia, allelúia. Audiam ℣. Quóniam loquétur pacem * in plebem suam, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Audiam quid loquátur. *Ps.* 84.

℣. Notas mihi fecisti vias vitæ: ℟. Adimplébis me lætítia cum vultu tuo, Dómine. *Ps.* 15.

AD II. VESPERAS.

Ant. 7. ç. Vocávit nos Deus vocatióne suâ sanctâ, secundùm grátiam quæ manisfestáta est nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. 2. *Tim.* 1.

Ant. 6. F. Appáruit grátia ejus erúdiens nos, ut abnegantes impietátem et seculária desidéria, sóbriè, et justè, et piè vivámus, expectantes adventum glóriæ ejus. *Tit.* 2.

Ant. 4. E. In ipso edocti estis, depónere vos véterem hóminem qui corrúmpitur secundùm desidéria erróris. *Ephes.* 4.

Ant. 3. a. Quos præscívit Deus, et prædestinávit conformes fieri imáginis Fílii sui; ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. *Rom.* c. 8.

Ant. 1. f. Nondum appáruit quid érimus: scimus quóniam, cùm apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est. 1. *Joan.* 3.

Capitulum. (1. *Cor.* 15.)

PRIMUS homo de terra, terrénus; secundus homo de cœlo, cœlestis: qualis terrénus, tales et terréni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portávimus imáginem terréni, pòrtémus et imáginem cœlestis.

Allelúia, allel. ℣. Concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. Allelúia.

Hymnus, Hoc, jussa quondam, 529.

℣. Satiábor, Dómine, ℟. Cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. G. *Dupl.* Nostra conversátio in cœlis est, unde Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. *Philip.* 3.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Donati, Episc. et Mart. Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta,* Deus, cujus grátia, XIII.

DIE VII.

SANCTI DONATI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

DONATUS, paréntibus Christiánis, qui étiam pro Christo sánguinem fúndere meruérunt, natus, Romæ líteras et fídei mystéria dídicit à Pigménio presbytero, qui pósteà in persecutióne Diocletiáni aut Maxéntii, martyrio coronátus est. Tam altas in corde Donáti radíces égerat Religiónis amor, quem ex pii Præceptóris documentis háuserat; ut quamvis ipso, adhuc júvenis, orbátus esset, nullis unquam tentatiónibus à Christo colendo dimovéri potúerit. Datâ Ecclésiæ pace, à Sátyro Arrétii in Etrária Episcopo présbyter ordinátus, in ejus pósteà locum Canónico suffrágio electus et consecrátus est. Quam Ecclésiam cùm multis annis sanctíssimè rexisset recrudescente sub Juliáno Apóstata persecutióne, vehementer cruciátus, gládio tandem percussus intériit. De eo refert sanctus Gregórius Papa, quòd fractum cálicem divínâ virtúte prístinæ incolumitáti restitúerit. Célebris est et antíqua sancti Mártyris memória in plúribus hujusce diœcésis locis.

LECTIO III.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(In Nat. Mart. 334.)

OMNIUM quidem bonórum fidélium Christianórum, máximè tam gloriosórum Mártyrum est vox ista: Si

Deus pro nobis, quis contrà nos? Fremébat mundus adversùs eos, pópuli meditabantur ináníia, príncipes conveniébant in unum: excogitabantur novi cruciátus, et pœnas incredíbiles inveniébat ingeniósa crudélitas. Obruebantur oppróbriis, falsis arguebantur crimínibus, custódiis íntolerabílibus includebantur, úngulis exarabantur, ferro perimebantur, béstiis tradebantur, equúlei subrigebantur, ígnibus cremabantur, et dicébant Mártyres Christi: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dic mihi, beáte Martyr; Corpus tuum laniátur, et tu dicis: Nihil ad me pértinet? Etiam dixi. Quare? Quia Dóminus susceptor est ánimæ meæ. Et quid mihi obest, cùm sit Dóminus susceptor ánimæ meæ, quòd mundus interfector est córporis mei? Quid pérdidi? Quid amísi? Quando Dóminus susceptor est ánimæ meæ, erit et restitútor córporis mei.

Collecta, Deus, cujus grátia, XIII.

DIE IX.

SANCTI ROMANI,

MARTYRIS.

Simplex.

De Communi unius Mart.

LECTIO III.

ROMANUS miles unus fuit ex his quibus commissa fúerat sancti Lauréntii custódia. Invictâ hujus Mártyris inter immaníssimos cruciátus constántiâ ita percussus fuit, ut jam indè sat probátam habúerit religiónis Christiánæ veritátem. Lauréntio post tormenta in cárcerem remisso, Románus ab eo postulávit fídei documenta sanctumque baptismum. Ab ipso non discessit, nisi quantùm satis fuit ad petendam aquam, quâ, ministrante sancto Diácono, statim baptizátus est. Hunc magistrum et ducem mox ipse præcessit in glória cœlesti: ipso namque die, Christi nomen ante persecutóres confidenter professus, cápite damnátus est, et ante noctem percussus, vix uno die ante ipsíus Lauréntii consummátum cursum. Cultus ejus Romæ célebris, indè ferè cunctas per Ecclésias Occidentis pervásit.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, cujus múnere sanctus Románus fidem mirábili victórià propugnávit, da infirmitáti nostræ ejus intercessióne virtútem, ut fidem quam voce profitémur, ópere exequámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritùs sancti Deus, per ómnia.

VESPERÆ *de sequenti.*

DIE X.

SANCTI LAURENTII,

DIACONI ET MARTYRIS.

Duplex-majus.

Omnia de Communi unius Mart. exceptis quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. (1. *Cor.* 4.)

Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei: hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur.

℟. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem; * In die mala liberábit eum Dóminus. † Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. * In die. Glória. † Dóminus. *Ps.* 40. 2. *Cor* 9

HYMNUS.

Beate, quò tendis, Pater?
Quò, sancte, pergis, Póntifex?
Offerre temet víctimam,
Me non ministro, quid paras?
Levita, qui jussu tuo
Christi propínat sánguinem,
Litáre promptus et suum,
Ibit comes Lauréntius.
Audiris: è cœlo Deus
Majóra spondet prælia.
Brevi ducem nec dégener
Patrem sequéris filius.
Oblata Christo múnera,
Opes sibi tot créditas,
Quas rex avárus éxigit,
Custos fidélis dénegat.
Addit preces, addit minas;
Minæ, precesque nil movent:
Non hos profánas in manus
Veníre thesauros sinet.
Monstrans egentûm squállidos
Quos ipse pascébat greges;
Hæc turba, dixit, quas sitis
Opes Olympo tránstulit.
Sit laus Patri, laus Filio,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Quo roborante Mártyres
Victis triumphant hóstibus. Amen.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemósyna resistit peccátis: et Deus prospector est ejus qui reddit grátiam. *Eccli.* 3.

Collect. ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Hymnus, Beáte, *ut suprà in I Vesperis.*

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(83, in nat. S. Laurentii.)

Cum furor gentílium potes-

tátum in electíssima quæque Christi membra sævíret, ac præcípuè eos qui órdinis erant sacerdotális impéteret; in Levítam Lauréntium, qui non solùm in ministério sacramentórum, sed étiam dispensatióne ecclesiásticæ substántiæ præeminébat, ímpius persecútor efférbuit, dúplicem sibi prædam de uníus viri comprehensióne promittens; quem si fecisset sacræ pecúniæ traditórem, fáceret étiam veræ religiónis exortem. Armátur ítaque géminâ face homo pecúniæ cúpidus, et veritátis inimícus: avarítiâ, ut rápiat aurum; impietáte, ut áuferat Christum. Póstulat sibi ab immaculáto sacrárii præsule opes ecclesiásticas, quibus avidíssimus inhiábat, inferri. Cui Levíta castíssimus, ubi eas repósitas habéret ostendens, numerosíssimos sanctórum páuperum óbtulit greges, in quorum victu atque vestítu inamissíbiles condíderat facultátes; quæ tantò intégriùs erant salvæ, quantò sánctiùs probabantur expensæ.

LECTIO V.

Fremit ergo prædo frustrátus; et in ódium religiónis quæ talem divitiárum usum instituisset ardescens direptiónem thesauri potióris aggréditur, apud quem nullam denariórum substántiam reperisset ut illud depósitum, quo sacrátiùs erat dives, auferret. Renuntiáre Christo Lauréntium jubet, et solidíssimam illam Levítici ánimi fortitúdinem diris parat urgére supplíciis: quorum ubi prima nihil óbtinent, vehementióra succédunt. Láceros artus, et multâ vérberum sectióne conscissos subjecto præcipitigne torréri; ut per cratem férream, quæ jam de fervóre contínuo vim in se habéret urendi, conversórum alternâ mutatióne membrórum, fieret cruciátus vehementior, et pœna productior.

LECTIO VI.

Nihil óbtines, nihil próficis, sæva crudélitas. Subtráhitur inventis tuis matéria mortális; et Lauréntio in cœlos abeunte, tu déficis. Flammis tuis superári caritátis Christi flamma non pótuit; et ségnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intùs accendit. Sævisti, persecútor, in Mártyrem; sævisti, et auxisti palmam, dum ággeras pœnam. Nam quid non ad victóriæ glóriam ingénium tuum réperit, quando in honórem transiérunt triumphi étiam instrumenta supplícii? Gaudeámus ígitur, dilectíssimi, gáudio spiritáli; et de felicíssimo ínclyti viri fine gloriémur in Dómino, qui est mirábilis in Sanctis suis, in quibus nobis et præsídium constítuit et exemplum; at-

que ita per universum mundum clarificávit glóriam suam, ut à solis ortu usque ad occásum, Leviticórum lúminum coruscante fulgóre quàm clarificáta est Jerosólyma Stéphano, tam illustris fíeret Roma Laurántio.

IN III.° NOCTURNO

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 12.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis; nisi granum frumenti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 305 ad 26, è XL à Sirm. editis)

Agnoscit fides vestra granum quod in terram cécidit, et mórtuum multiplicátum est. Agnoscit, inquam, hoc granum fides vestra; quia ipsum hábitat in mente vestra. Hoc enim quod de seipso díxerit Christus, nullus ámbigit Christiánus. Sed planè illo mórtuo grano et multiplicáto, multa grana sunt sparsa in terram, ex quibus est et beátus Laurántius, cujus seminatiónem hódie celebrámus.

LECTIO VIII.

De illis autem granis sparsis toto orbe terrárum quantia pullulávérit seges vidémus, gaudémus, sumus; si tamen et nos per illíus grátiam ad hórreum pertinémus. Neque enim ad hórreum pértinet quidquid in ségete est. Eadem quippe plúvia, útilis et nutritória, et tríticum pascit et páleam. Absit ut simul utrumque in hórreo recondátur, quamvis simul utrumque in agro nutriátur, et simul utrumque in área triturétur.

LECTIO IX.

Nunc tempus eligendi est. Antequàm véniat ventilátio fiat morum separátio; sicut in área granum adhuc mundatióne discérnitur, non dum ventilábro último separátur. Audíte me, grana sancta; imò, audíte primum granum per me. Non amétis in hoc século ánimas vestras. Nolíte amáre, si amátis; ut non amando servétis, quia non amando plus amátis. Qui amat in hoc século ánimam suam, perdet eam. Granum lóquitur; granum quod in terram cécidit, et mortificátum est ut multiplicarétur, lóquitur: audiátur, quia non mentítur. Quod admónuit, ipse fecit: instruxit præcepto, præcessit exemplo.

AD LAUDES.

Capitulum. (*Is.* 43.)

Cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te; quia ego Dóminus Deus tuus, sanctus Israel, Salvátor tuus, dicit Dóminus.

HYMNUS.

Frustra parantur cómpedes,
Armáta plumbo vérbera,
Et rubra crates ígnibus,
Ardens cubíle stérnitur.
Christi pugil, lætus mori,
Pœnisque magnis débitus,
Hanc irretorto lúmine,
Pompam dolórum résplcit.
Nudos in artus sæviunt,
Scissæ flagris carnes volant:
Tortóris ad fastídium
Truncus jacens relínquitur.
Sed ille fracto córpore
Serváre pectus íntegrum;
Suo cruóre tíngitur
Lustranda flammis víctima.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Testi fidéli, quo duce
Tormenta vincunt Mártyres.
Sit et tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Introíbo in domum tuam in holocaustis; ℟. Reddam tibi vota mea. *Ps.* 65.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Cutis mea denigráta est super me, et ossa mea aruérunt præ cáumate. *Job* 30.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuisti tormentórum suórum incéndia superáre; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD II. VESPERAS.

Capitulum. (1. *Joan.* 4.)

Quisquis confessus fúerit quóniam Jesus est Fílius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.

HYMNUS.

Nondum satis dignum Deo
Christi probasti mílitem,
Tyranne, cruda sint tui
Furóris hæc prælúdia.
Imposta membra crátibus
Ardente prunâ férvidis
Despectat exultans, suo
Et ipse plaudit fúneri.
Altis medullis íntimus
Tostos per artus it dolor;
Menti Deus sed íntimæ
Præsens dolórem témperat.
Dum corpus in flammas abit
Mens intùs ardet fórtior,
Sacris profános comprimens
Ignes retundit ígnibus.
Corpus perustum Mártyris
Horret vel ipse cárnifex
Sed thuris instar, dum perit,
Deo litátur grátius.

Flammis in ipsis, ceu rosis
Visus sibi quiéscere,
Versa, Tyranne, páscere,
Assáta, dixit, víscera.
Quid inter ardentes rogos
Sensum dolóris ábstulit?
Te nempè potus ébrium
Sanguis Dei jam fécerat.
O pura, quæ Deo places,
Igni probáta víctima!
Fac nos sacris urat Deus,
Quibus flagrábas, ígnibus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Testi fidéli, quo duce
Tormenta vincunt Mártyres;
Sit et tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Igne me examinasti, Dómine; ℟. Et non est inventa in me iníquitas. *Ps.* 16.

Ad Magnificat, *Ant.* 6. F. Confitébor tibi, Dómine, quóniam liberasti me, secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, à pressúra flammæ quæ circúmdedit me. *Eccli.* 51.

Collecta, Da nobis, *ut suprà.*

Fit Commem. S. Claræ, Virginis.

Ant. Complácuit Dómino in te: et gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: ℟. Oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. *Ps.* 44.

Collecta, Tríbue, quæsumus, *infrà*

DIE XI.

SANCTÆ CLARÆ,

VIRG. CLARISSAR. ABBATISSÆ.

Semiduplex.

De Communi Virginum.

LECTIO II.

Clara nóblili génere Assísii in Umbria nata, facultátibus in páuperes erogátis, sancti Francisci adhortatiónibus permóta, sæculo renuntiávit. Plures ejusdem institúti sócias, ac præ cáteris Hortulánam matrem et soróres sibi adjunxit. Arctiórem vitæ ratiónem ampléxa, aut nudo solo, aut sarmentis interdum pro léctulo utebátur, stípite pro cervicáli. Unâ túnicâ cum pállio ex vili panno, adhíbito frequenter ad carnem cilício, induebátur. Per multos annos, Fériis secundâ, quartâ et sextâ, nihil pénitus alimenti; réliquis diébus parcíssimum capiébat cibum. Cùm per octo et viginti annos præ infirmitáte è léctulo súrgere non posset, ótium fúgiens, corporália ex lino, in sacrifícii usum, quæ váriis largirétur Ecclésiis, conficiébat. Paupertátis ádeò amans fuit, ut ne monastérium possessiónes habéret, ipsi étiam Gregório nono sufficientes réditus assignáre volenti obstíterit.

LECTIO III.

Saracenis jussu Frederí-

ci Imperatóris, Assísium obsidéntibus, et cœnóbium cui illa præerat jamjam invasúris, infirma ad portam duci vóluit, atque hóstibus óbjici, simul et præferri cápsulam argénteam ébore inclúsam, in qua sacratíssima Eucharístia servabátur. Cùmque coram Christo prostráta oráret ut soróres tutarétur, vocem quasi púeri audívit: Ego vos semper custódiam. Iterùmque pro civitáte precáta, eamdem vocem audívit dicentem: Gravámina sustinébit, sed múnere meo defendétur. Tuncque Saracéni divínitùs térriti, per ipsos quos conscénderant muros fugérunt. Tandem cùm quadraginta duóbus annis monastérium rexisset, instante morte, Viáticum à Cardináli Ostiensi accépit. Ejus exéquiis intérfuit Innocéntius quartus, qui ægrotantem invíserat, et supplíciter petenti peccatórum indulgéntiam fúerat impertítus. Alexander quartus, Innocéntii successor, eam inter sanctas Vírgines rétulit.

COLLECTA. Orémus.

TRIBUE, quæsumus, virtútum cœléstium Deus, ut hæc sanctæ Claræ vírginis tuæ sacra solémnia, terréna contémnere nos éxcitent, et bona ambíre sempíterna; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

VESPERÆ *à Capitulo de Sequenti, ut in Communi plurium Mart. Collecta*, Deus, qui, *infrà*.

DIE XII.

SANCTI PORCARII,

ABBATIS, ET SOCIORUM, MARTYRUM.

Semiduplex.

LECTIO II.

CELEBRI Lirinensi monastério præerat Porcárius, cùm anno septingentésimo trigésimo primo illuc appulérunt Saracéni ab Arelátis obsidióne depulsi. Ut primùm audívit venerandus Abbas Bárbaros mox insulam invasúros, fratres convocávit, ac vehementer hortátus est, ut pacti sui mémores, Christo, étiam própriæ vitæ dispéndio, fidem servárent. Interim sacras relíquias abscondi curávit; et séxdecim adolescentes qui in monastério instituebantur, cum triginta sex junióribus mónachis in partes Itáliæ misit, véritus ne fortè blandítiis aut terróribus devicti céderent. Céteros omnes cùm in propósito moriendi pro Christo constantes reperisset, ipsos ad martyrium sacrâ Eucharístiâ munívit. Duo tamen júvenes Columbus et Eleuthérius, nímiùm tímidi, à frátribus mœrentes discessérunt, et in spelunca littori

próxima latuérunt, áliis, número círciter quingentis, sancto Abbáti fírmiter adhæréntibus.

LECTIO III.

Insulam vix ingressi infidéles, in ódium Christiánæ religiónis ómnia devastant. Déstruunt Ecclésias, cruces confringunt, altária et quæcumque sacra ímpiè profánant et conculcant. Mox júvenes mónachos ségregant à senióribus quos primùm crudéliter mactant cum sanctíssimo Abbáte Porcário, ut eórum auxílio destitúti junióres, supplíciis facílius céderent et sic fidem ejurárent. Verùm cùm isti nec blandítiis, nec minis moverentur, in furórem versi Saracéni, omnes váriis tormentis affectos trucidárunt, quátuor tantùm servantes ex illa sancta caterva quos secum abdúcerent. Intéreà Columbus, qui ex loco ubi delitescébat, certáminis et triumphi fratrum suórum testis erat, cítiús accurrens, sócium se eis adjunxit. Expletis tot cædibus cùm venissent bárbari ad locum qui Agathon dicebátur, aufugientes per sylvárum condensa quátuor júvenes captívi, paucis post diébus Lirínum rediérunt, ubi cum Eleuthério sanctórum Mártyrum córpora sepultúræ mandárunt. Advocátis deinde qui missi fúerant in Itáliam frátribus, monastérium pro víribus restituérunt, cui Abbas præpósitus est Eleuthérius.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Porcário et Sóciis ejus, non tantùm propter te ómnia relínquere, sed et sánguinem fúndere tribuisti; concéde, propítius, ut eórum exemplo et intercessióne, mundum sive blandientem, sive sævientem, pro tui nóminis amóre, despiciámus; Per.

Vesperæ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi sanctarum Mulierum. Collecta,* Deus, cujus, *infrà.*

Fit Commem. sancti Porcarii et Sociorum Martyr. Ant. Datæ sunt. ℣. In æternum, xxi. *Collecta,* Deus, qui, *ut suprà.*

DIE XIII.

SANCTÆ RADEGUNDIS,

VIDUÆ, FRANCORUM REG.

Semiduplex.

LECTIO II.

Radegundis, fília Berthárii Turingórum príncipis, Clotárii primi ex captíva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigílias statas, et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem cum régia dignitáte conjunxit. Occíso fratre jussu Clotárii, ipso permitten-

te, ad aula discedens, sanctum Medardum ádiit; cùmque monásticam vestem suscepisset, in Diáconissam ab eo benedicta est. Pictávos profecta, ibi ex munificéntia Regis, monastérium Vírginum sub régula sancti Gæsárii Arelatensis cóndidit; impetravitque pósteà à Concílio Turonensi secundo Congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem.

LECTIO III.

Cœnobio sorórem Agnétem Abbatissam præfécit, quam consecrávit sanctus Germánus Parisiensis. Eà autem pietáte Radegundis sacrifícium Eucharístiæ prosequebátur, ut in illíus usum panes própriis mánibus confíceret, quos diversis suppeditábat Ecclésiis: ac, præter cétera pietátis offícia, id illi máximè curæ erat, ut pro Régibus indesinenter preces fierent in monastério. Abiit ad Dóminum anno quingentésimo octogésimo séptimo Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonensis, occupáto in Diœcési obeunda Merovéo Pictavensi; cui tamen reservátum est, ut reversus Missam celebráret, tumuloque opérculum impóneret.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus amóre, beáta Radegundis ex aulæ tumultu, spretis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit; tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere et amáre cœléstia; Per.

DIE XIV.

IN VIGILIA

ASSUMPTIONIS

BEATÆ MARIÆ.

[*Si venerit in Dominica, Offic. fit de Dominica, usque ad versiculum tertii Nocturni exclusivè: reliqua de Vigilia, id est, septima et octava Lect. de Evangelio Vigiliæ, cum Homilia S. Joannis Chrysostomi, infrà, divisione factâ ad* * *asteriscum. Lectio IX de Evangelio et Homil. Dominicæ occurr.*

℟. ℣. *ut infrà. Et dicitur* Te Deum.

Ad Laudes, *et* ad Horas, *Psalmi de Dominica, cum Commemoratione Dominicæ. Reliqua de Vigilia.*]

¶ *Si Vigilia ista venerit in Feriis, Officium fit ut sequitur.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Quæ longa tandem, Virgo, post suspíria,
Te donat astris, reddit et Nato dies,

Hanc prævenire cántibus festis decet :
Nostras, benigna Mater, ausculta preces.
Tu nempe nobis ut Joanni Filius
Matrem reliquit, è crucis pendens trabe :
Agnosce natos, Virgo, quos fratres sibi
Deoque Christus comparávit filios.
Tu, Christiáni flos decusque nóminis,
Adstas petenti Spíritum cœnáculo :
Apóstolis mox verba seminántibus,
Tu caritáte párturis Ecclésiam.
Quæ nos amóre tam pio complectéris,
Nos gratulári da tuis honóribus.
Jam nos relinquis, Mater : at nostri memor
Te comprobábis sédulâ matrem prece.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri :
Sit sempiternum Fílio Patris decus :
Qui nectis ambos, æquus ambóbus, tibi,
Divíne, sit laus sempiterna, Spíritus. Amen.

Psalmi et Ant. de Feria occurrente.

℣. Quantas ostendisti mihi tribulatiónes multas et malas ! ℟. Et conversus, consolátus es me. *Ps.* 70.

Lect. duæ priores de Script. occurr. ; è tribus fiunt duæ.

Post I Lect. ℟. Stabant juxta crucem Jesu * Mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. ℣. Luctum et plorátum vidérunt vicínæ Sion ; sic vidébunt et in celeritáte salútem à Deo quæ supervéniet. * Mater. *Joan.* 19. *Baruch.* 4.

Post II Lect. ℟. Cùm vidisset Jesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus ; deinde dicit discípulo : * Ecce Mater tua. ℣. Cùm accéperit Deus ánimam meam, honórem habébis matri tuæ ónnibus diébus vitæ ejus : * Ecce. *Joan.* 19. *Tob.* 4.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 19.)

In illo témpore ; Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 85, aliàs 84, in Joan.)

Ipse crucifixus matrem suam discípulo commendat, ut nos dóceat ad extrémum usque hálitum, parentum curam præcípuam esse gerendam. Quando ígitur Mater intempestívè accessit, dicit ;

Quid mihi et tibi est, múlier? et : Quæ est mater mea? Hìc verò magnum éxhibet amórem, et discípulo quem diligébat ipsam commendat. Matrem verò commendans, dicit : Ecce fílius tuus. O quantum honórem discípulo collátum! Cùm enim ipse jam abíret, ipsam discípulo curandam tradit. Quia enim credíbile erat ipsam, útpote matrem, dolére et patrocínium quærere; jure illam discípulo tradit, dicens : Ecce mater tua. Hæc porrò dicébat, ipsos mútuo conjungens amóre; quod cùm intellígeret discípulus, ipsam in sua accépit. * Cur autem nullam áliam memorávit mulíerem, licèt ália quoque astáret? Ut nos docéret plus tribuendum mátribus esse. Ut enim parentes, cùm spirituália impédiunt, ne cognoscendi quidem sunt; sic cùm non ea cóhibent, omne débitum est ipsis præstandum, et áliis sunt anteponendi, quia nos genuérunt, educârunt, milleque mala subiérunt. Sic Marciónis impudéntiam réprimit. Si enim secundùm carnem natus non esset, nec matrem habéret, cur tantam de illa sola gerit curam?

℟. Ex ílla hora * Accépit eam discípulus in sua. ℣. Amíco fidéli nulla est comparátio, et non est digna ponderátio auri contra bonitátem fídei illíus : * Accépit. Glória. * Accépit. *Joan.* 19. *Eccli.* 6.

℣. *Sacerd.* Tibi dixit cor meum : exquisívit te fácies mea : ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

AD LAUDES.

Semíduplex.

Ant. 2. D. Laus mea tu es, Dómine : diem hóminis non desiderávi; tu scis. *Jerem.* 17.

Ant. 3. *à.* Nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ : ánima mea desiderávit te. *Is.* 26.

Ant. 8. G. Attenuáti sunt óculi mei suspicientes in excelsum, Dómine. *Is.* 38.

Ant. 5. a. Cunctis diébus quibus nunc mílito, expecto donec véniat immutátio mea. *Job* 14.

Ant. 4. E. Quis mihi det te, ut invéniam te foris, et jam me nemo despíciat? *Cant.* 8.

Capitulum. (*Cantic.* 2.)

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : columba mea, in foramínibus petræ, in caverna macériæ, ostende mihi fáciem tuam.

HYMNUS.

Quod carne Christum,
Virgo, paris, vocant
Hinc te beátam : réctiùs óccupas
Nomen beátæ, quæ fidéli
Credíderis, pia Virgo, corde.
Orbata Nato, non muliébriter

Ploras ademptum. Scílicet áltior
Tellúre cœlestes, triumphans
Quò rédiit, meditáris arces.
AMORIS illuc te rapit ímpetus;
Tardi sed obstant víncula córporis,
Dolesque durum longióris
Exílii toleráre pondus.
HÆC vota tandem qui cúmulas, Pater,
Succurre nostris, áuspice Fílio:
Infunde sacrum, quo vigémus,
Pectóribus, Deus alme, Flamen. Amen.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo, et requiescam. *Ps.* 54.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Veni, dilecte mi, in portis nostris: ómnia nova et vétera servávi tibi. *Cant.* 7.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui virginálem úterum beátæ Maríæ, in quo requiésceres, elígere dignátus es: da nobis Assumptiónis ejus solémnia præveniéntibus, dignum in córdibus nostris habitáculum tuæ præparáre majestáti; Qui vivis et regnas.

AD HORAS.

Duplex-minus.

In fine Hymnorum dicitur: QUI natus es de Vírgine, Jesu, tibi sit glória, Cum Patre, cumque Spíritu, In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Laus mea. *In* ℟. *br.* ℣. Qui natus es.

AD TERTIAM.

Ant. 3. *à.* Nomen tuum.

Capitulum. (*Prov.* 13.)

SPES quæ differtur, afflígit ánimam: lignum vitæ, desiderium véniens.

℟. *br.* Heu mihi, Dómine, * Quia incolátus meus prolongátus est! Heu mihi. ℣. Multùm íncola fuit * ánima mea, * Quia. Glória. Heu mihi. *Ps.* 119.

℣. Sitívit in te ánima mea: ℟. Quàm multipliciter tibi caro mea! *Ps.* 41.

AD SEXTAM.

Ant. 8. G. Attenuáti sunt

Capitulum. (*Thren.* 3.)

OCULUS meus afflictus est, nec tácuit, eò quòd non esset réquies, donec respíceret et vidéret Dóminus de cœlis.

℟. *br.* In salutáre tuum * Defécit ánima mea. In salutáre. ℣. Et in verbum tuum * supersperávi: * Defécit. Glória. In. *Ps.* 118.

℣. Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, ℟. Dicentes: Quando consoláberis me? *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Quis mihi.

Capitulum. (*Tob.* 3.)

NUNC, Dómine, secundùm voluntátem tuam fac mecum, et præcipe in pace récipi spíritum meum: expédit enim mihi magis mori quàm vívere.

℟. *br.* Educ de custódia ánimam meam * Ad confitendum nómini tuo. Educ ℣. Me expectant justi, * donec retríbuas mihi, * Ad confitendum nómini tuo. Glória Patri. Educ de custódia. *Ps.* 141.

℣. Mélior est misericórdia tua super vitas: ℟. Lábia mea laudábunt te. *Ps.* 62.

DIE XV.

IN ASSUMPTIONE
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

ANNUALE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. J. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es : óculi tui columbárum. *Cant.* 1.

Ant. 8. G. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergressa es universas. *Prov.* 31.

Ant. 4. E. Indue te decóre, et honóre ejus, quæ à Deo tibi est, sempiternæ glóriæ. *Baruch* 5.

Ant. 3. a. Circúmdabit te Deus diplóide justítiæ, et impónet mitram cápiti honóris æterni. *Baruch* 5.

Ant. 5. C. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui; quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62.

Capitulum. (*Cant.* 6.)

PULCHRA es, amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Concupiscet Rex decórem tuum; quóniam * Ipse est Dóminus Deus tuus, et *adorábunt* eum, vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis. ℣. Benedicta tu in muliéribus; invenisti enim grátiam apud Deum.* Ipse. Glória. * Ipse. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Ps.* 44. *Luc.* 1.

HYMNUS.

O vos æthérei, pláudite, cives :
Hæc est illa dies clara triumpho,
Quà matrem plácidà morte solútam
Natus sidéreâ súscipit aulâ.
QUÆ non, Virgo, tibi dona rependit!
Cœli divítias éxplicat omnes:
Verbum vestíeras carne; vicissim
Te Verbum próprio lúmine vestit.
QUI velo látuit carnis, aperti
Pleno te sátiat Núminis haustu :
Et quem virgíneo lacte cibasti,
In jugem tibi dat se Deus escam.
O CONCESSA tibi quanta potestas!
Per te quanta venit grátia terris!

Cunctis Cœlítibus célsior una,
Solo facta minor, Virgo, Tonante.
Quæ Regína sedes próxima Christo,
Alto de sólio vota tuórum
Audi; namque potes fléctere Natum,
Virgo mater: amas nos quoque natos.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Magna est glória ejus
℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. *Duplicanda.* In plenitúdine sancta admirábitur, et in multitúdine electórum habebit laudem, et inter benedictos benedicétur. *Eccli.* 24.

Collecta, Veneranda nobis, Dómine, 560.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capit. de Feria.

Ant. 4. d. Ego dilecto meo, et ad me convérsio ejus. *Cant.* 7.

Hymnus, Virgíneis títulis, *ut in Ordinario Breviarii*, 167.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Quæ cœlo nova nunc additur hospes!
Sese tota poli Régia pandit:
Ruptis Virgo parens líbera vinclis,
Caro se próperat réddere Nato.
Quantum delítuit páupere tecto,
Tantùm spléndida nunc fulget in astris:
Se veláre quibus mater amábat,
Densas Natus amat rúmpere nubes.
Olim quæ fúerat juncta maríto,
Et de connúbio crédita máter,
Totum jam cólitur nota per orbem
Cum matris títulis íntegra virgo.
Ancillæ tríbuit quæ sibi nomen,
Cœlesti dóminans regnat in aula:
Quæ tot passa neces Prolis amóre,
Jam secúra, suâ Prole triumphat.
Nostras, tu nova lux, díscute noctes:
Tu Regína, graves solve caténas:

Cæcos, stella maris, dírige cursus;
Da, quo tu fráeris, cérnere Natum.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fecunda, tibi glória, Flamen. Amen.

Psalmi de Officio parvo.

IN 1.º NOCTURNO.

Ant. 1. D. Fortis est ut mors diléctio: aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem. *Cant.* 8.

Ant. 4. E. Adjúro vos, filiæ Jerúsalem, ut nuntiétis dilecto meo quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

Ant. 8. *G.* Ego dórmio; et cor meum vígilat: vox dilecti mei pulsantis: surrexi, ut aperírem dilecto meo. *Cant.* 5.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram: ℟. Ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. *Ps.* 26.

LECTIO I.

Incípiunt Cántica Canticórum.

(Cap. 1.)

OSCULETUR me ósculo oris sui; quia melióra sunt úbera tua vino, fragántia unguentis óptimis. Oleum effúsum *nomen* tuum; ídeò adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te curréraus in odórem unguentórum tuórum. Introduxit me rex in celléria sua: exultábimus et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum: recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, filiæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis. Nolíte me considerére quòd fusca sim, quia decolorávit me sol.

℟. Quid mihi est in cœlo? et * A te quid vólui super terram? † Defécit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea in æternum. ℣. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum. * A te quid vólui. Glória. † Defécit. *Ps.* 72. *Philipp.* 1.

LECTIO II.

EQUITATUI meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis; collum tuum sicut monília. Murénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argento. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ dilectus meus mihi; inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in víneis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea; ecce tu pulchra es: óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decórus. Léctulus noster fló-

ridus : tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini : * Cor meum et caro mea exultavérunt in Deum vivum. ℣ Vidébitur Deus deórum in Sion. ℣. Scio quia secundùm expectatiónem et spem meam in nullo confúndar.* Cor meum. Glória. ℣ Vidébitur. *Ps.* 83. *Philip.* 1.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna sylvárum, sic dilectus meus inter fílios. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introduxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis; quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervosque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei : ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles : símilis est dilectus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post parietem nostrum, respíciens per fenestras, prospíciens per cancellos. En dilectus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hyems tránsiit, imber ábiit et recessit; flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit; vox túturis audíta est in terra nostra; ficus prótulit grossos suos : víneæ florentes dedérunt odórem suum.

℟. Desíderat ánima mea ad te, Deus : * Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum. ℣ Quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei! ℣. Quæ retrò sunt obliviscens, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. * Sitívit. Glória Patri. ℣ Quando. *Repet.* ℟. Desíderat *usque ad* ℣. *Ps.* 41. *Philip.* 3.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Veni in hortum meum, soror mea, sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis. *Cant.* 5.

Ant. 6. F. Jam hyems tránsiit : surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : ostende mihi fáciem tuam; fácies enim tua decóra. *Cant.* 2.

Ant. 3. a. Favus distillans, lábia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua. *Cant.* 4.

℣. Glória filiæ Regis ab intùs : ℟. In fímbriis áureis circumamicta varietátibus. *Ps.* 44.

Benedictiones de B. M. V.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Assumpt. B. M. V. Serm. 1.)

Virgo hódie gloriósa cœlos ascendens, supernórum gáudia civium copiósis sine dúbio cumulávit augmentis. Hinc est enim, cujus salutatiónis vox et ipsos exultáre facit in gáudio, quos materna adhuc víscera clándunt. Quòd si párvuli necdum nati ánima liquefacta est, ut María locúta est; quid putámus quantam illa fúerit cœléstium exultátio, cùm et vocem audíre, et vidére fáciem, et beátâ ejus frui præséntiâ meruérunt? Nobis verò, carissimi, quæ in ejus Assumptióne solemnitátis occásio, quæ causa lætítiæ, quæ matéria gaudiórum! Maríæ præséntiâ totus illustrátur orbis; ádeò ut et ipsa jam cœlestis pátria clárius rútilet virgíneæ lámpadis irradiáta fulgóre. Méritò proinde résonat in excelsis gratiárum áctio, et vox laudis.

℟. Veni de Líbano, sponsa mea, * Veni, coronáberis. † Odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. ℣. Corónam justítiæ reddet justus Judex: * Veni, coronáberis. Glória Patri. † Odor unguentórum tuórum super omnia arómata. *Cant.* 4. 2. *Tim.* 4.

LECTIO V.

Sed plangendum nobis quàm plaudendum magis esse vidétur. Quantùm enim de ejus præséntia cœlum exultat, numquid non consequens est ut tantùm lágeat hic noster inférior mundus ejus abséntiam? Cesset tamen queréla nostra, quia nec nobis hic est manens cívitas; sed eam inquirimus, ad quam hódie María benedicta pervénit. In qua si conscripti cives sumus, dignum profectò est étiam in exílio, étiam super flúmina Babylónis, ejus nos recordári, nos communicáre gáudiis, ejus participáre lætítiam, maximèque eam quæ tam copióso ímpetu lætíficat hódie civitátem Dei, ut sentiámus et ipsi stillicídia stillántia supra terram. Præcessit nos Regína nostra; præcessit, et tam gloriosè suscepta est, ut fiduciáliter sequantur Dóminum sérvuli clamantes: Trahe nos; post te in odórem unguentórum tuórum currémus.

℟. Tota pulchra es, amíca mea, et * Mácula non est in te; veni de Libano: † Odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. ℣. Qui non inquinavérunt vestimenta sua, ambulavérunt mecum in albis, quia digni sunt. * Mácula non est in te. Glória Patri. † Odor vestimentórum. *Cant.* 4. *Apoc.* 3.

LECTIO VI.

(N. 1 et 2.)

ADVOCATAM præmísit peregrinátio nostra, quæ tanquam Júdicis mater, et mater misericórdiæ, supplíciter et efficáciter salútis nostræ negótia pertractábit. Pretiósum hódie munus terra nostra direxit in cœlum; ut dando et accipiendo felíci amicitiárum fœdere copulentur humána divínis, terréna cœléstibus, ima summis. Illò enim ascendit fructus terræ sublímis, unde data óptima et dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beáta, dabit ipsa quoque dona homínibus. Quidni daret? Síquidem nec facultas ei deesse póterit, nec voluntas. Regína cœlórum est, miséricors est; dénique mater est unigéniti Fílii Dei. Nihil enim sic potest potestátis ejus seu pietátis magnitúdinem commendáre, nisi fortè aut non créditur Dei Fílius honoráre matrem, aut dubitáre quis potest omninò in affectum caritátis transisse Máriæ víscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est cáritas, novem ménsibus corporáliter requiévit.

℟. Anteíbit fáciem tuam justítia tua, * Et glória Dómini cólliget te; et † Dóminus implébit splendóribus ánimam tuam. ℣. Abundanter ministrábitur intróitus in æternum regnum; * Et. Glória. † Dóminus implébit. *Repet.* ℟. Anteíbit *usque ad* ℣. Abundanter. *Is.* 58. 2. *Petr.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. C. En dilectus meus lóquitur mihi: Surge, própera, ámica mea, columba mea, formósa mea, et veni. *Cant.* 2.

Ant. 2. D. Anima mea liquefacta est, ut locútus est dilectus meus. *Cant.* 5.

Ant. 1. a. Totus desiderábilis, talis est dilectus meus; et ipse est amícus meus. *Cant.* 5.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo: ℟. Satiábor, cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

IN illo témpore; Intrávit Jesus in quoddam castellum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(In Assumpt. B. M. V. Serm. 1. N. 3.)

QUEM in castellum mundi hujus intrantem priùs María suscéperat, ab eo suscípitur hódie sanctam ingré-

diens civitátem. Sed cum quanto putas honóre, cum quanta putas exultatióne, cum quanta glória? Nec in terris locus dígnior úteri virginális templo, in quo Fílium Dei María suscépit; nec in cœlis regáli sólio, in quo Maríam hódie Maríæ Fílius sublimávit. Felix nimírùm útraque suscéptio: ineffábilis útraque, quia útraque inexcogitábilis est. Ut quid enim ea hódie in Ecclésiis Christi Evangélica léctio recitátur, in qua múlier benedicta in muliéribus excepisse intellígitur Salvatórem? Credo; ut hæc quam celebrámus, ex illa susceptióne aliquátenus æstimétur; imò ut juxta illíus inæstimábilem glóriam, inæstimábilis cognoscátur et ista.

℟. Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, * Et ✝ Dixit mihi: Inter electos meos hæreditáre. Et sic in Sion firmáta sum. ℣. Beátam me dicent omnes generátiónes; quia fecit mihi magna qui potens est. * Glória Patri. ✝ Dixit mihi. *Eccli.* 24. *Luc.* 10.

LECTIO VIII.

(N. 3 et 4.)

Quis enim, etiamsi linguis hóminum Angelorumque loquátur, explicáre queat, quemádmodùm superveniente Spíritu, obumbrante virtúte Altíssimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia; et Dóminus majestátis, quem non capìt univérsitas creatúræ, intrà virgínea sese cláuserit víscera factus homo? Sed et illud quis vel cogitáre suffíciat, quàm gloriósa hódie mundi Regína procésserit, et quanto devotiónis affectu tota in ejus occursum cœléstium legiónum prodíerit multitúdo; quibus ad thronum glóriæ cánticis sit deducta; quàm plácido vultu, quàm serénâ fácie, quàm lætis ampléxibus suscepta à Fílio, et super omnem exaltáta creatúram, cum eo honóre quo tanta mater digna fuit, cum ea glória quæ tantum décuit Fílium?

℟. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis; quia amóre lángueo. Vox dilecti mei, * Ecce iste venit. ℣. Spíritus et sponsa dicunt: Veni. Ecce. Glória. * Ecce. *Cant.* 2. *Apoc.* 22.

LECTIO IX.

Felicia prorsus óscula lábiis impressa lactentis, cui virgíneo mater applaudébat in grémio. Verùm numquid non felicióra censébimus, quæ ab ore sedentis in déxtera Patris hódie in beáta salutatióne suscépit, cùm ascénderet ad thronum glóriæ, epithalámium canens, et dicens: Osculétur me ósculo oris sui? Christi generatiónem, et Maríæ assump-

tiónem quis enarrábit? Quantùm enim grátiæ in terris adepta est præ céteris, tantùm et in cœlis óbtinet glóriæ singuláris. Quòd si óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus diligéntibus se: quod præparávit gignenti se, et (quod ómnibus est certum) diligenti præ ómnibus, quis loquátur? Felix plane María, et multipliciter felix, sive cùm éxcipit Salvatórem, sive cùm à Salvatóre suscípitur. Utrobíque miranda dígnitas Vírginis matris; utrobíque amplectenda dignátio majestátis.

℟. Apertum est templum Dei in cœlo, * Et signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amicta sole, et luna sub pédibus ejus, et ✠ In cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Astitit regína à dextris tuis, Deus, in vestítu deauráto, circumdáta varietáte. * Et. Glória. ✠ In. *Repet.* ℟. Apertum, *usque ad* ℣. *Apoc.* 11 *et* 12. *Ps.* 44.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. g. Quæ est ista quæ ascendit de deserto delíciis áffluens, innixa super dilectum suum. *Cant.* 8.

Ant. 5. a. Ascendit sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, et thuris, et universi púlveris pigmentárii. *Cant.* 3.

Ant. 7. c. Dóminus cóntulit ei splendórem, ut incomparábili decóre ómnium óculis apparéret. *Judith* 17.

Ant. 6. *C.* Vidérunt.

CANTICUM.

(Judith. 13.)

Benedixit te Dóminus in virtúte sua, * quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Benedicta es tu, fília, à Dómino Deo excelso * præ ómnibus muliéribus super terram.

Benedictus Dóminus, * qui creávit cœlum et terram:

Qui te direxit * In vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum;

Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, * ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Et dicitur per totam Octavam, quando fit de ea.

Ant. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt, et laudavérunt eam. *Cant.* 6.

Ant. 3. a. Benedictus Dóminus, qui exaltávit eam: Amen, allelúia. *Tob.* 13.

Capitulum. (*Cant.* 6.)

Quæ est ista, quæ progré-

ditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrórum ácies ordináta?

HYMNUS.

PARATA cùm te póscerent,
O Virgo, cœli præmia,
Purum sacrátis árcubus
Amor resolvát spíritum.
SED victa partu mors tuo
Te labis expertem nequit,
Suis nec audet stringere
Vitæ parentem néxibus.
O QUALIS inter óbvios
Regina scandit Cœlites!
Quàm pulchra, celsæ próxima
Sedi Tonantis, ásidet!
AMICTA sole fémina,
Lunamque subjectam premens,
Bisséna cui cingunt caput
Fulgóre miro sídera.
O TU, clientûm cui preces,
Cui vota cordi, Júdicem
Præbére nobis, quod potes,
Patróna, placátum velis.
SIT nostra per te laus Patri:
Tuóque grata Fílio,
Et utriusque Flámini,
In seculórum sécula.
Amen.

℣. Tu Dómine, susceptor meus es, ℟. Glória mea, et exaltans caput meum. *Ps.* 3.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. *Duplicanda.* In plenitúdine sanctórum deténtio mea: quasi cedrus exaltáta sum, et quasi cypressus in monte Sion. *Eccli.* 24.

COLLECTA. Orémus.

VENERANDA nobis, Dómine, hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem, in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum Dóminum nostrum Jesum Christum de se génuit incarnátum; qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs.

AD HORAS, *in fine Hymnorum dicitur doxologia:*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória, etc.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Quæ est ista.

Capitulum de Dominica.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matt.* 1.

CANON.

Ex sancto Bernardo.

(Epist. 174, n. 2 et 3.)

EXALTA Matrem Dómini Vírginem régiam, exaltátam super choros Angelórum ad cœléstia regna. Hæc de illa cantat Ecclésia, et dócuit illum Diem cum summa veneratióne recolendum, quo assumpta de século nequam, cœlis quoque íntulit celeberrimórum festa gaudiórum.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Ascendit.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

SICUT cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitátem odóris.

℟. *br.* In voluntáte tua * deduxisti me, Dómine, * Allelúia, allelúia. In voluntáte. ℣. Et cum glória * suscepisti me, * Allel. Glória. In. *Ps.* 72.

℣. Propter innocéntiam suscepisti me, Deus; ℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. *Ps.* 40.

AD SEXTAM.

Ant. 7. c. Dóminus.

Capitulum. (*Is.* 61.)

INDUMENTO justítiæ circúmdedit me Deus meus, quasi sponsum decorátum corónâ, et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

℟. *br.* Convertisti planctum meum * in gáudium mihi, * Allelúia, allelúia. Convertisti. ℣. Conscidisti saccum meum, * et circumdedisti me lætítiâ, * Allelúia Glória Patri. Convertisti.

℣. Dómine, in voluntáte tua, ℟. Præstitisti decóri meo virtútem. *Ps.* 29.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Benedictus.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

IN civitáte sanctificáta requiévi, et in Jerúsalem potestas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. *br.* Hæc réquies mea * in séculum séculi, * Allelúia, allel. Hæc réquies mea. ℣. Hic habitábo, * quóniam elégi eam, * Allel. Glória. Hæc.

℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam, ℟. Tu et arca sanctificatiónis tuæ. *Ps.* 131.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo.

Ant. 1. D. Præcépit rex iis qui in conspectu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam coram se, pósito super caput ejus diademáte. *Esther.* 2.

Ant. 2. D. Surrexit rex in occursum ejus; positusque est tronus matri regis, quæ sedit ad déxteram ejus. 3. *Reg.* 2.

Ant. 3. a. Hábuit grátiam et misericórdiam coram rege super omnes mulíeres, fecitque eam regnáre. *Esther* 2.

Ant. 4. E. Rex dedit regínæ ómnia quæ vóluit et petívit ab eo. 3. *Reg.* 10.

Ant. 5. C. Benedixérunt eam omnes unâ voce, dicentes : Tu glória Jerúsalem, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith* 15.

Capitulum. (*Judith* 13.)

BENEDICTUS Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui

mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

Allelúia, allelúia. ℣. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuisti, et pósuit te super thronum. Allelúia. 3. *Reg.* 10.

Hymnus, O vos æthérei, *ut in primis Vesperis*, 552.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam ℟. De lápide pretióso. *Ps.* 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. *Duplicanda.* Respexit Deus humilitátem ancillæ suæ: ecce ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Rochi, Ant. Stans inter mórtuos et viventes, pro pópulo deprecátus est, et plaga cessávit. *Num.* 16.

℣. Stetit et placávit, ℟. Et cessávit quassátio. *Ps.* 105.

Collecta, Pópulum, *infrà.*

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capitul. de Dominica. Reliqua, ut heri, 553.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM

ASSUMPTIONIS.

Semiduplex.

Omnia ut in die, præter ea quæ hic notantur.

Pss. de Feria in toto Offic.

Ad Noct. *Tres Antiph.* ℣. *et* ℟℟℣ *ex Nocturno diei, secundum Feriam.*

Lectio I, de Scriptura occurrente; è tribus fit una.

Lectio II et III, ut infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Ant. sola 6. *C.* Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt, et laudavérunt eam. *Cant.* 6.

AD VESPERAS.

Ant. sola. 1. *d.* Pósuit rex diadéma regni in cápite ejus. *Esther* 2.

SABBATO

INTRA OCTAVAM.

In Vesp. *Psalmi de Sabbato. Reliqua (omisso Resp.) ut in I Vesp. Festi cum Commemorat. Dominicæ occurr.*

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Dominica in toto Officio.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Responsoria omnia, dempto ritu annuali, ut in die Festi.

In I Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Cyrilli Alexandríni.

(Hom. contra Nest. hab. Ephes. in Basilica majori.)

Sanctorum cœtum, qui à sancta Deípara semper vír-

gine María invitáti prompto ánimo huc confluxérunt, lætum erectumque conspício. Quare licèt multà prémerer tristítià, áttamen hic sanctórum Patrum cœtus lætítiam mihi præbuit. Nunc dulce illud hymnográphi David verbum apud nos implétum est : Ecce jam quid bonum aut quid jucundum, nisi habitáre fratres in unum? Salve ítaque à nobis, sancta Mystica Trínitas, quæ nos omnes convocasti in hanc Ecclésiam Deíparæ Maríæ.

LECTIO V.

SALVE à nobis, María Deípara, venerábile cimélium totíus orbis terrárum, lampas inextinguíbilis, sceptrum rectæ doctrínæ, templum indissolúbile, locus ejus qui loco capi non potest, mater et virgo; per quam nominátur in sanctis Evangéliis: Benedictus qui venit in nómine Dómini.

LECTIO VI.

SALVE, quæ immensum incomprehensumque in sancto virgíneo útero comprehendisti; per quam cœlum exultat; per quam Angeli et Archángeli lætantur; per quam dæmónes fugantur; per quam prolapsus homo cœlum recúperat; per quam omnis creatúra idolórum vesániâ detenta ad agnitiónem veritátis pervénit; per quam sanctum baptisma obtíngit credéntibus; per quam óleum exultatiónis; per quam toto orbe terrárum fundátæ sunt Ecclésiæ; per quam gentes adducuntur ad pœniténtiam: et quid plura dicam? per quam unigénitus Dei Fílius iis qui in ténebris et umbra mortis sedébant, lux effulsit.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam.

(Cap. 10.)

IN illo témpore; Intrávit Jesus in quoddam castellum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Anselmi Episcopi.

Homil. 9, in Evang.)

DUÆ istæ soróres, sicut Patres sancti pleníssimè nobis exposuérunt, duas in sancta Ecclésia vitas designant; Martha scílicet actívam, María contemplatívam. Ista labórat ad exhibenda indigenti ómnia humanitátis offícia; illa vacat et videt quóniam Deus est. Ista circa exterióra occupátur; illa interióra contemplátur. Sicut autem mater Dei est singuláris; ita et istárum vitárum effectus, quarum istæ soróres typum tenent, in ea éxti-

tit singuláris. Nunquam in áliqua persóna, imò in ómnibus sic Martha operáta est, nunquam áliàs sic María contemplatióni vacávit.

LECTIO VIII.

Jam videámus actiónem hujus Marthæ. Ista non quémlibet ex mínimis, sed summum Dei Fílium hóspitem suscépit; nudum carne vel étiam pannis opéruit; esurientem pavit; comprehenso et crucifixo áffuit. Porrò de parte Maríæ quanta in María fúerit, quis dignè loquátur? Hæc conservábat ómnia verba, Angelórum, Pastórum, Magórum, necnon ipsíus Fílii sui, cónferens in corde suo. Nemo unquam, sicut ipsa, gustávit quàm suávis est Dominus. Nec mirum; quóniam apud eam, imò intra eam erat fons vitæ. Circa plúrima ut Martha occupabátur: circa unum ut María delectabátur. Sed pars Marthæ ei aufertur: jam enim non erit sollícita ut ministret ei sicut púero: jam non turbábitur fúgiens in Ægyptum: jam Fílius Maríæ non flagellábibitur, nec occidétur. Pars ergo Marthæ ei aufertur, sed bono suo: pars verò Maríæ ei perfícitur, quæ non auferétur ab ea.

Lect. IX de Homilia Dominicæ occurrentis. Cetera ut in die, cum Commemoratione Dominicæ in Laud. et Vesp.

DIE XVI.

SANCTI ROCHI,

LAICI.

Duplex-minus.

Omnia ut in Communi Justorum, L, *additis quæ sequuntur.*

LECTIO II.

Rochus circa séculi décimi tértii finem in civitáte Montispéssuli equestri génere natus, utróque parente mórtuo, post facultátes magnâ ex parte paupéribus erogátas, Románam peregrinatiónem aggressus est. Peste in Itália tunc grassante, strénuam per Nosocómia in ægrotórum ministérius exhíbuit óperam. Quod cum tam Romæ quàm áliis in úrbibus præstitisset; novíssimè apud Placéntiam ipse pestiléntiâ correptus est; ubi in magna rerum ómnium inópia, mira patiéntiæ et fídei specímina præbuit.

LECTIO III.

Recuperata sanitáte, cùm in pátriam reverterétur, inter bellórum túmultus pro exploratóre comprehensus, ipsíque pátruo mínimè ágnitus, in cárcerem, eo jubente, conjícitur. Ibi per quinquénnium acerbíssima quæque perpessus, óbiit, eâ sanctitátis opinióne, ut statim pópulo persuásum fúerit, quoscumque peste labo-

rantes, Rochi patrocínio salútem esse consecutúros. Quod cùm sæpè áliàs, tum máximè Concílii Œcuménici Constantiensis témpore comprobátum dícitur. Nam cùm eâ in urbe pestis ánteà crudéliter sævíret, delátâ Patrum decréto per vicos et cómpita civitátis in solemni supplicatióne Rochi imágine, statim quiévit. Hinc ubíque locórum ejus imágines expósitæ, et sacella, témplaque sub ejus nómine Deo dicáta fuérunt.

Ad Laudes, *post Hymnum:* ℣. Dixit Dóminus ut dispérderet eos; ℟. Si non electus ejus stetisset ut avérteret iram ejus. *Ps.* 105.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Próperans homo sine queréla deprecári pro pópulis, próferens servitútis suæ scutum, oratiónem, réstitit iræ, et finem impósuit necessitáti. *Sap.* 18.

COLLECTA. Orémus.

Populum tuum, quæsumus, Dómine, ad te confugientem paternâ récipe pietáte; ut qui tuæ iracúndiæ flagella formídant, intercedente beáto Rocho, tuâ mereantur misericórdiâ liberári; Per.

Pro Commem. Oct. Assumpt. Ant. In plenitúdine. ℣. Tu Dómine. *Collecta,* Veneranda, *ut in Laudibus Festi,* 560.

Ad Horas, ℟℟. *brev. cum duplici* Allelúia.

Ad II. Vesperas, *post Hymnum.*

℣. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas; ℟. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum. *Ps.* 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Cadat orátio nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis ad Dóminum Deum tuum, ut benè sit nobis. *Jerem.* 42.

Collecta, ut suprà.

Fit Commem. Octav. Ant. Respexit. ℣. Posuisti, 562. *Collecta,* Veneranda, 560.

DIE XVII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Virgínibus.

(Lib. 2, c. 2, n. 6, 7, 15, 16 et 17.)

Sit vobis tanquam in imágine descripta virgínitas vítaque beátæ Maríæ, de qua velut spéculo refúlgeat spécies castitátis et forma virtútis. Hinc sumátis licèt exempla vivendi, ubi tanquàm in exemplári magistério expressa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis ostendunt. Primus discendi ardor nobílitas est magistri. Quid nobílius Dei matre? quid splendídius eâ quam splendor elégit? quid cástius eâ quæ corpus sine córporis contagióne generávit? Talis

fuit María, ut ejus unius vita ómnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probémus; ut quicumque sibi ejus exoptat præmium, imitétur exemplum.

LECTIO III.

QUANTÆ in una vírgine spécies virtútum émicant? Secrétum verecúndiæ, vexillum fídei devotiónis obséquium; virgo intra domum, comes ad ministérium, mater ad templum. O quantis illa virgínibus occurret! quantas complexa ad Dóminum trahet, dicens: Hæc thorum fílii mei, hæc thálamos nuptiáles immaculáto servávit pudóre! Quemádmodùm eas ipse Dóminus commendábit Patri, nimírùm illud répetens suum: Pater sancte, istæ sunt quas custodívi tibi; peto ut ubi ego sum, et ipsæ sint mecum. Tunc étiam María tympanum sumens, choros virginiáles excitábit cantantes Dómino, quòd per mare séculi sine seculáribus flúctibus transiérunt.

DIE XVIII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(De 12 prærogat. B. M. V.)

AMPLECTAMUR Maríæ vestígia, fratres mei, et devotíssimâ supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis; potens est enim. Nempè vellus est médium inter rorem et áream, múlier inter solem et lunam, María inter Christum et Ecclésiam constitúta. Sed fortè miráris non tam vellus opertum rore, quàm amictam sole mulíerem. Magna síquidem familiáritas, sed mira omninò vicínitas solis et mulíeris. Quómodò enim in tam vehementi fervóre tam frágilis natúra subsistit? Non est virtútis humánæ, sed nec angélicæ quidem; sublímior quædam necessária est. Spíritus sanctus, inquit, supervéniet in te. Et tanquàm respondéret illa: Quóniam Spíritus est Deus, et Deus noster ignis consúmens est; Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altíssimi obumbrábit tibi. Nihil ítaque mirum, si sub tali obumbráculo talis étiam à mulíere sustineátur amictus.

LECTIO III.

MULIER, inquit, amicta sole. Planè amicta lúmine tanquam vestimento. Non pércipit fortè carnalis; nimírùm spirituále est, stultítia illi videtur. Non sic videbátur Apóstolo, qui dicébat: Induimini Dóminum Jesum Christum Quàm familiáris ei facta es, Dómina! quàm

próxima, imo quàm íntima fíeri meruisti! quantam invenisti grátiam apud eum! In te manet, et tu in eo; et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substántiâ carnis, et vestit ille te glóriâ suæ majestátis. Vestis Solem nube, et Sole ipsa vestíris. Novum enim fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quàm Christum, de quo dícitur: Ecce vir; Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut múlier sole apparéret amicta. Dénique, et coronávit eum, et vicissim ab eo méruit coronári.

VESPERÆ *de Festo sequenti, cum Comm. Octavæ.*

DIE XIX.

SANCTI LUDOVICI,

EPISCOPI TOLOSANI.

Duplex-minus.

De Communi unius Pontificis.

LECTIO II.

LUDOVICUS Cároli secundi Sicíliæ regis fílius, adhuc puer obses pro patre bello capto ductus est in Catalóniam. Ibi virtútibus ómnibus, castitáte præsertim et córporis castigatióne máximè enítuit. In cárcere detentus cum frátribus suis, duríssimèque hábitus, miræ patiéntiæ exempla præbuit. Periculóse ægrótans, de amplectendo sancti Francisci institúto votum emisit, quod, sanitáti rédditus, cùm è Catalónia reversus apud Montempessulánum implére vellet, à patre prohíbitus est. Romam profectus, deindè Neápolim, Ecclesiásticæ milítiæ ascriptus est, ægrè assentiente pátre, sacrisque Ordínibus initiátus. A Bonifácio octávo ad Episcopátum Tolosánum evectus jussusque obtemperáre, annuente summo Pontífice, priùs sancti Francisci régulam professus est quàm ordinarétur Epíscopus.

LECTIO III.

IN Episcopátu, spirituáli animárum lucro totus incúbuit, salutaribusque mónitis ac illibátæ vitæ exemplo peccatóres ad pœniténtiam revocávit, pluresque Judæos ad fidem Christiánam adduxit. Liberalíssimus in paupéreres, viginti quinque ex eis quotídiè domi alébat, quibus flexo genu ministrábat. Humilitátis tandem, caritátis atque ómnium virtútum ornamento decórus, vigésimo quarto ætátis suæ anno ad cœlum evolávit. Ejus corpus, ut ipse mandáverat, Massíliæ in æde Franciscanórum sepultum est. Hunc miráculis clárum Joannes vigésimus secundus in Sanctórum númerum rétulit, cùm primùm ex sede Forojuliensi ad régimen uni-

versæ Ecclésiæ assumptus fuit. Qui autem in ejus locum Forojuliensi Ecclésiæ præpositus est, Bartholomæus, sancti Ludovíci memóriæ sacellum, multis prædiis dotátum, in Cathedráli dedicávit.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Ludovíco Pontifici in brevi consummáto, témpora multa explére tribuisti, concéde nobis grátiæ tuæ auxílio sic in hujus vitæ stádio cúrrere, ut, tempus redimentes, felicitátis æternæ bravíum accipiámus. Per Dóminum.

Fit Commem. octavæ Assumptionis, Ant. In plenitúdine. ℣. Tu, Dómine. *Collecta*, Veneranda, 560.

Ad Horas, ℟℟. *br. cum duplici* Allelúia.

Ad Vesp. *fit à Capitulo de S. Bernardo, ut in Communi Doctorum.*

Fit Commem. præcedentis et Octavæ.

DIE XX.

SANCTI BERNARDI,

ABBATIS.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Doctorum, additis quæ sequuntur.

LECTIO II.

Bernardus, Fontánis in Burgúndia nobílibus et piis paréntibus natus, anno ætátis vicésimo secundo, Cisterciense monastérium cui Stéphanus Hardingus tértius à sancto Roberto præerat, ingressus est; ejusque exemplo triginta sócii idem vitæ genus amplexi sunt. Ut autem se ad arctiórem observántiam excitáret, hoc sæpiùs in ore habébat: Bernarde, ad quid venisti? Eos in pietáte fecit progressus, ut à Stéphano ad constituendum Clarravallense monastérium, júvenis licèt, mitterétur. Cujus loci, ut tunc mos erat, Abbas páriter designátus, à Guillelmo Catalaunensi Episcopo, abbente Josceranno Episcopo Lingonensi, benedictiónem accépit. Ibi pro victu pulmenta, sæpiùs ex fóliis: panis ex hórdeo, mílio et vícia; húmiles casæ; solitúdo ingens in magna fratrum multitúdine; silentiique tanta observántia, ut præter laborántium strépitus et voces laudántium Deum, nihil pénitùs audirétur. Tum legem sibi ipsi impósuit Bernardus è monastério nunquam exeundi, nisi aut urgérent Ordinis sui negótia, aut ab Apostólicæ Sedis Legáto, vel próprio Episcopo, evocarétur. Intérfuit Concílio Trecensi sub Honório secundo, in quo Templáriis milítibus Régula præscripta est. Remensem pópulum Archiepíscopo reconciliávit. Pontificátum asséruit Innocén-

tio secundo, quem Petrus Leónis, usurpáto Anacléti secundi nómine, Româ expúlerat: cùm enim, coacto apud Stampas Concílio, Rex et Antístites rem totam ad unius Bernardi arbitrium detulissent, Innocéntium legítimum esse beáti Petri successórem declarávit.

LECTIO III.

Henricum primum Angliæ regem, partes Anacléti cum Epíscopis Anglicánis tuentem, ita flexit, ut Innocéntio Carnútas usque óbviam procésserit. Tùm Bernardus, solútâ Synodo Pisánâ cui affúerat, Mediolanenses et Aquitános, qui Anaclétum fovébant, ad unitátem Ecclésiæ revocávit; Ducemque Aquitániæ Guillelmum, expósitâ cum obtestatióne ob óculos ejus tremendâ Hóstiâ, ádeo térruit, ut ille abjecto schísmate, ad sanióremmentem súbitò redíerit. Imperatórem Lothárium jus investiturárum sibi vindicantem sólitâ loquendi libertáte reprehendit, et à susceptis consíliis dimóvit. Romam accítus, Victóri qui Anacléto et ipse pseudo-póntifex subrogátus fúerat, persuásit ut Innocéntio obsequerétur. Claravallem reversus, sancti Anastásii monastério, quod ad Aquas Sálvias prope Romam extrúxerat, eum præfécit Abbátem; qui pósteà summus Póntifex creátus, Eugénius tértius appellátus est, ad quem étiam scripsit libros de Consideratióne. Eo summi Pontíficis jussu concionante, sacra in Saracénos expedítio suscepta est, quæ tamen felícem éxitum non hábuit. Hinc multórum agitátus est calúmniis, quas patientíssimè tulit. Abailardum confutávit in Senonensi Concílio; et in Remensi adversùs Gilbertum Porretánum Pictavensem Epíscopum, quem erróris convícerat, symbolum cóndidit. Henriciánam hæresim in Tolosátibus repressit; et Radulfum mónachum árguit, qui interficiendos esse Judæos contendébat. Gravióra inter civitátem Metensem et vicínos príncipes orta dissídia dirémit. Oblátos quinque episcopátus recusávit. Ab hominibus ómnium órdinum úndique consultus, oratióni vacáre nunquam, Missæ sacrifícium celebráre vix aliquando intermísit. Cùm dénique annum vitæ sexagésimum tértium ágeret, miraculórum magnitúdine et número clarissimus, Claravalle obdormívit in Christo anno millésimo centésimo quinquagésimo tértio; sepultusque est ante altáre beátæ Vírginis, quam religióne singulári colúerat: péctori verò, uti præcéperat, cápsula reliquiárum sancti Thaddæi Apóstoli in

túmulo superpósita est. Sanctórum cánoni vindum viginti post mortem annis ab Alexandro Papa tértio ascriptus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátam Bernardum Abbátem caritátis tuæ igne succensum in Ecclésia tua lucére simul et ardére fecisti: ejus intercessióne concéde, eódem nos caritátis Spíritu ferventes, coram te semper ut filios lucis ambuláre; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

Fit Commem. Octavæ Assumpt. Ant. In plenitúdine. ℣. Tu, Dómine, *Collecta*, Veneranda, *p.* 560.

Ad Horas, ℟. *brev. cum duplici* Allelúia.

Ad II. Vesp. *fit Commem. Octavæ Assúmpt. Ant.* Respexit. ℣. Posuisti, *p.* 562. *Collecta*, Veneranda nobis, Dómine, *p.* 560.

Deindè S. Privati Episc. et Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Collecta*, Omnípotens, sempiterne Deus, XII.

DIE XXI.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Procli Episcopi.

(In S. Deip. Orat. 5, hab. in Concil. Ephes.)

Quamvis ómnium Sanctórum memóriæ mirábiles sint, nihil tamen diéi hujus solémniis æquále ad glóriam. Abel propter sacrificium celebrátur; Abraham propter fidem præcláris láudibus cumulátur; Móyses tanquàm legislátor prædicátur; Elias, ut zelótes, testimónium habet; David, ut pater mystérii in carne peracti commendátur; verùm nihil tale est qualis est Dei génitrix Maria; ipsa enim, quem illi in ænígmáte vidérunt, incarnátum in útero portávit. Cunctas res creátas, ô homo, cogitatióne percurre, et vide an quicquam sit æquále vel majus Maríâ Deíparâ. Terram úndiquè lustra, cœlos mente scrutáre, invisíbiles omnes virtútes cógita, ac pérspice nùm sit in universis creátis áliud ejúsmodi miráculum.

De Sancto Privato.

LECTIO III.

Ex libro Históriæ Francórum sancti Gregórii Turonensis Episcopi.

(Lib. I. cap. 32.)

Irruentibus in Gállias Alamannis, sanctus Privátus Gabalitánæ urbis Episcopus in crypta Memmatensis montis ubi jujúniis orationibusque vacábat, reperítur, pópulo Gredonensis Castri in munitióne concláso. Sed dum oves suas bonus pastor lupis trádere non consentit, dæmóniis immoláre compéllitur. Quod spurcum

ille tam éxecrans quàm refútans, támdiù fústibus cæditur, quoadusque putarétur exánimis; sed ex ipsa quassatióne, interpósitis paucis diébus spíritum exhalávit. Procus verò (Alamannórum rex) apud Arelatensem Galliárum urbem comprehensus, diversis affectus supplíciis, gládio verberátus intériit, non imméritò pœnas quas Sanctis Dei intúlerat luens.

Ad Laudes, *pro Commem. S. Privati Ant.* Bonum. ℣. Adjútor. *Collecta,* Omnípotens, XIII.

Vesperæ *de die Octava.*

DIE XXII.

OCTAVA ASSUMPTIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS,

ET COMMEMORATIO VOTI

LUDOVICI XIII,

REGIS CHRISTIANISSIMI.

Duplex-majus.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

IN I. VESPERIS.

℣. Thronus ejus sicut sol in conspectu meo; ℟. Et sicut luna perfecta in æternum. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Reges et Regínæ, vultu in terram demisso adorábunt te, et fílios tuos ego salvábo. *Is.* 49.

Collecta, ut infrà.

Fit Commem. S. Symphoriani, Mart. Ant. Ecce. ℣. In Deo, VIII. *Collecta,* Sancti Mártyris, *infrà.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Non dicitur Glória Patri, *nisi in tertio* ℟. *cujuslibet Nocturni, et non repetitur ab initio.*

In I. Noct. *Lectiones de Script. occurr.*

IN II.° NOCTURNO

LECTIO IV.

Quod cum ómnibus Gálliæ Ecclésiis persólvimus, hódie commemorámus. Votum illud solemne Ludovíci décimi tértii Francórum Regis, quo se suumque regnum tutélæ beátæ Maríæ Vírginis commendávit, Edicto in hæc verba propósito. Beatíssimam et gloriosíssimam Vírginem in speciálem Regni nostri patrónam assumentes, eídem speciáli modò Nos, nostrum Sceptrum, nostram Corónam, nostrosque omnes Súbditos dicámus et consecrámus. Cujus nostri mancipátûs ne memória apud pósteros éxcidat, mandámus fíeri post Vésperas diéi Festi Assumptiónis Processiónem, ritu et apparátu quàm máximè solemni in síngulis dominatiónis nóstræ Ecclésiis, tam Cathedrá-

libus quàm Parochiálibus et Conventuálibus cujuscumque Civitátis et pagi : præcipientes ínsuper quátenus superióres Cúriæ, ac locórum optimátes dictæ processióni intersint. Móneant étiam Epíscopi Pópulos omnes nostros ut peculiári erga beatíssimam Vírginem amóre afficiantur, ipsíusque patrocínium die illà solemni implórent, ut fretum ádeò potentis Patrónæ præsídio regnum nostrum ab ómnibus hóstium tutum sit insídiis, et diuturnâ gáudeat pace, Deusque óptimus máximus, tantâ in eo colátur reverentiâ, ut Nos subditíque omnes ad beátum finem cui sumus cónditi, téndere ac perveníre valeámus. [Vitâ functo Ludovíco décimo tértio, Edictum confirmávit Anna Austríaca, mater Ludovíci décimi quarti, Regni moderátrix : et Ludovícus décimus quintus erga beatíssimam Vírginem avítæ pietátis imitátor, lítteris ad omnes Galliárum Epíscopos missis, anno millésimo septingentésimo trigésimo octávo pia vota renovávit.]

LECTIO V.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Assumpt. B. M. V. Serm. 4, n. 8 et 9.)

Sileat misericórdiam tuam, Virgo beáta, si quis est, qui invocátam te in necessitátibus suis sibi memínerit defuisse. Nos quidem servuli tui céteris in virtútibus congaudémus tibi, sed in hac pótius nobis ipsis. Laudámus virginitátem, humilitátem mirámur : sed misericórdia míseris sapit dúlcius, misericórdiam ampléctimur cárius, recordámur sæpius, crébrius invocámus. Hæc est enim quæ totíus mundi reparatiónem obtínuit, salùtem ómnium impetrávit. Per te cœlum replétum, infernus evacuátus est, instauráta ruínæ cœlestis Jerúsalem, expectántibus míseris vita pérdita data.

LECTIO VI.

Ad hunc ígitur fontem sitibunda próperet ánima nostra : ad hunc misericórdiæ cúmulum totâ sollicitúdine miséria nostra recurrat. Ecce jam quibus potúimus votis ascendentem te ad Fílium dedúximus, et prosecúti sumus saltem à longè, Virgo benedicta. Sit pietátis tuæ ípsam quam apud Deum grátiam invenisti, notam fácere mundo : reis véniam, medélam ægris, pusillis corde robur; afflictis consolatiónem, periclitántibus adjutórium et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinendo. In hac quoque die solemnitátis et lætítiæ dulcíssimum Maríæ nomen cum laude invocántibus sérvulis, per te,

Regína clemens. grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Christus Fílius tuus, Dóminus noster: qui est super ómnia Deus benedictus in sécula. Amen.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 11.)

In illo témpore; Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

(In Luc. c. 11, Lib. 4, c. 49.)

Magnæ devotiónis et fídei hæc múlier osténdítur, quæ Scribis et Pharisæis Dóminum tentántibus, simul et blasphemántibus, tantâ ejus incarnatiónem præ ómnibus sincerítáte cognoscit, tantâ fidúciâ confitétur, ut et præséntium prócerum calúmniam et futurórum confundat hæreticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spíritûs ópera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Fílium negábant; sic hærétici, pósteà negando Maríam semper vírginem, sancti Spíritûs operante virtúte, nascitúro ex humánis membris Unigénito Dei carnis suæ matériam ministrasse, verum consubstantialemque matri fílium hóminis fatéri non debére dixérunt. Sed si caro Verbi Dei secundùm carnem nascentis à carne Vírginis matris pronuntiátur extránea; sine causa venter qui eum portasset, et úbera quæ lactassent, beatificarentur.

LECTIO VIII.

Nos ígitur, his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia Cathólica, cujus hæc múlier typum gessit: extollámus et mentem de médio turbárum, dicamusque Salvatóri: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxisti! Vere enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, enixa est puérpera Regem, qui cœlum terramque tenet per sécula, cujus Numen et æterno complectens ómnia gyro, impérium sine fine manet; quæ ventre beáto gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequentem. At ille dixit: Quinímò, beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt! Pulchrè Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodò quæ Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritáliter audítu fídei concípere, et boni óperis custódia vel in suo vel in

proximórum corde párere, et quasi álere studúerint, assevérans esse beátos: quia et éadem Dei Génitrix et inde quidem beáta, quia Verbi incarnandi ministra est facta temporális; sed inde multò beátior, quia ejusdem semper amandi custos manébat æterna.

De sancto Symphoriano,

LECTIO IX.

SYMPHORIANUS Augustodúni, patre Fausto nóbili et christiáno, oriundus; cùm simulácrum Berecynthiæ, plaudente pópulo, per urbem carpento veherétur, ad tantum scelus exhórruit, et idólum se adoratúrum negávit. Quare ad Heráclium virum Consulárem tanquam sedítiósus statim addúcitur; qui loris cæsum in cárcerem conjécit: unde eductus posteà, et coram eódem júdice Christum prædicans, cápite damnátus est. Qui cùm ad supplícium ducerétur, matrem sic clamantem audívit: Nate, nate Symphoriáne, memento Dei vivi; sursum, fili, erecto corde, áspice regnantem in cœlis; hódie tibi vita non tóllitur, sed mutátur in mélius. Igitur extra muros eductus, à carnífice occísus est. Non procul à loco martyrii sanctus Euphrónius, Présbyter, ac póstea Æduensis Epíscopus, in memóriam ejus Basílicam struxit.

AD LAUDES, *post Hymnum.* ℣. Tríbuat tibi Dóminus secundum cor tuum; ℟. Et omne consílium tuum confirmet. *Ps.* 19.

Ant. 4. E. Dixit ad Regem: Si invéni grátiam in óculis tuis, ô Rex, et si tibi placet, dona mihi pópulum meum, pro quo óbsecro. *Esth.* 7.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui sanctíssimam, Vírginem Maríam genitrícem tuam, super Choros Angelórum exaltátam, fidélibus tuis patrónam providisti; óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium, quod tutélæ ejusdem Vírginis Rex piíssimus voto perpétuo commendávit; Qui vivis.

Fit Commem. S. Symphoriani, Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII.

COLLECTA. Orémus.

SANCTI Mártyris Symphoriáni mérita nos, Dómine, pretiósa tueantur; in quibus ópera tua prædicantes, et exemplis ejus accendi, et præmiis sociári mereámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD II. VESP. *post Hymnum.* ℣. Glóriam regni tui dicent; ℟. Et poténtiam tuam loquentur. *Ps.* 144.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G Beáti servi tui, qui assistunt coram te. Quia díligit Deus Israel, et vult serváre eum

in æternum, idcircò pósuit te super eum. 2. *Paral.* 9.

Collecta, ut suprà.

Fit Commem. S. Joannæ Franciscæ.

Ant. Exultávit cor meum in Dómino, et dilatátum est os meum, quia lætáta sum in salutári tuo. 1. *Reg.* 2.

℣. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: ℟. In via tua vivífica me. *Ps.* 118.

Collecta, Omnípotens, *ut infrà.*

DIE XXIII.

S. JOANNÆ-FRANCISCÆ FREMIOT,

VIDUÆ, MONIALIUM VISITAT. B. M. FUNDATRICIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi sanctarum Mulierum, additis quæ sequuntur.

AD NOCT. *Lectio I de Scriptura occurrente, è tribus fit una.*

LECTIO II.

JOANNA-Francisca Frémiot, Divióne in Burgúndià claris orta natálibus, non obscúras vel ab ipsa puerítia dedit futúræ sanctitátis significatiónes. Vix quinquennis collátum sibi à nóbili quodam viro, Calviniánæ hæresi addicto, munúsculum flammis illícò in ódium erróris trádidit. Matre orbáta, Deíparæ Vírginis tutélæ se commendávit, nihilque puerile habens in móribus, à séculi delíciis abhorrens, martyrii palmam anhélans, religiónis ac pietátis stúdio visa est únicè delectári. Baróni de Chantal núptui à patre trádita, virtútibus excolendis magis ac magis óperam dedit, líberos, fámulos, aliosque sibi súbditos, fídei doctrínà erudíre et bonis móribus imbúere sátagens. Profúsà liberalitáte páuperum inópiam sublevábat, annónà divínitùs non rarò multiplicátà; quo factum est, ut némini se unquam Christi nómine stipem roganti abnegatúram spopónderit. Maríto inter venandum fortè interempto viduitátem ad perfectióris vitæ consílium cónferens, continéntiæ voto sese obstrinxit; modicâque famílià, ténui victu atque vestítu contenta, pretiósas vestes in pios usus convertit, tempus omne quod à domésticis curis supérerat, in oratióne, piis lectiónibus, ac labóre consúmens.

LECTIO III.

CARITATE ardéntiùs in dies fervescens, páuperes, derelictos, teterrimisque morbis infectos, non hospítio tantum excipiébat, sed ita solabátur ac curábat ipsa, ut láceras eórum vestes própriis mánibus refíceret, sordes detérgeret, manantibusque fœtído pure ulcéribus lábia étiam admovére non horréret. A sancto Francisco Sa-

lésio, quo spiritûs moderatóre utebátur, divínam voluntátem edocta, próprium parentem, socérum, filium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsistentem suâ domo egrédiens calcáre non dubitávit, invictâ constantiâ deseruit. Sacri Visitatiónis Sanctæ Máriæ Institúti fundamenta jecit, cujus leges accuratissimè custodívit, adeòque fuit paupertátis amans, ut vel necessária sibi deesse gaudéret. Arduissimum id semper faciendi, quod perfértius esse intelligeret, votum emísit. Institúto dénique Visitatiónis, ejus potíssimum óperâ longè latèque diffúso, et soróribus non per verba solum et exempla, sed per scripta étiam Dei sapiéntiam spirántia, ad pietátem et caritátem excitátis, ipsa méritis referta, sacramentisque ritè susceptis munita, Molínis anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die décimâ tértiâ Decembris, ánimam Deo réddidit. Corpus ejus póstea Annecéium translátum est, eamque miráculis, ante et post óbitum, claram Benedictus décimus quartus Beatórum, Clemens autem décimus tértius albo Sanctórum adjécit.

Ad Laudes, *post Hymnum*, ℣. Humiliábam ánimam meam, ℟. Et orátio mea in sinu meo convertétur. *Ps.* 34.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Orátio humiliantis se, nubes penetrábit; et non discédet, donec Altíssimus aspíciat. *Eccli.* 34.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens et misérieors Deus, quo protegente beáta Joanna Francisca, tuó amóre succensa, et admirábili spiritûs fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donáta, Ecclésiam tuam novâ prole, illustrávit; ejus méritis et précibus concéde ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cœlestis grátiæ auxílio, cuncta nobis adversántia vincámus. Per.

Vesperæ *de sequenti.*

Fit Commem. S. Joannæ Franciscæ. Ant. Fortitúdo. ℣. Anima, LXX. *Collecta*, Omnípotens, *ut suprà.*

DIE XXIV.

S BARTHOLOMÆI,

APOSTOLI.

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apost. additis quæ sequuntur.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Bartholomæus, unus ex Duódecim quos elégit Jesus et Apóstolos nominávit,

post ejus Ascensiónem, accepto Spíritu sancto, in Indiam profectus, Christi fidem, ut scribit Eusébius in Histórica Ecclesiástica, fertur illis Géntibus prædicasse, et Evangélium Matthæi Hebráicis conscriptum lítteris reliquisse, quod quidem ad Pantæni témpora servátum esse memorátur. Idem refert in libro de Scriptóribus Ecclesiásticis Hierónymus. Postquàm enim Pantænum in Indiam à Demétrio Alexandríæ Episcopo, rogántibus illíus gentis legátis, missum rétulit, subdit eumdem inter gentes illas comperisse olim adventum Dómini Jesu juxta Matthæi Evangélium à Bartholomæo, qui inter duódecim Apóstolos numerátur, illic fuisse prædicátum. In cujus rei fidem ipsum Matthæi exemplar Hebráicis lítteris scriptum secum Alexandríam revertens detúlerat. Fide Gentílibus prædicátâ, Bartholomæus vitam martýrio consummávit.

LECTIO V.

De Sermóne sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 33, in cap. 9 Matth.)

VIDEN ministérii magnitúdinem? Viden Apostolórum dignitátem? Nihil sensíbile jubentur dícere, nec sicut Móyses et Prophétæ priores; sed nova quædam et inexpectáta. Neque enim tália ipsi prædicábant, sed terram et terréna bona: hi autem regnum cœlórum, et quæ ibi sunt ómnia. Neque inde solùm hi majóres sunt, sed étiam ex obediéntia. Neque enim recúsant, neque cunctantur sicut véteres illi: sed etiamsi perícula, bella et intolerabília mala áudiant, cum obsequéntia multa imperáta suscípiunt, útpote qui regni sint præcónes. Et quid mirum, ínquies, si nihil durum et ásperum prædicatúri, súbitò paruérunt? Quid dicis? Nihil durum prædicáre jussi sunt? Non audis cárceres, abductiónes ad mortem, bella civília, universórum ódium? Quæ ómnia ipsis paulò post eventúra esse dicébat.

LECTIO VI.

DIABOLO cum orbe toto et turbâ dæmonum innúmerâ contra Duódecim illos irruente, non brevi témpore, sed per totum vitæ spátium vicérunt illi et superárunt. Quodque mirum est, non cæsis hóstibus, sed mutátis et conversis. Illud enim máxime ubique observándum est, ipsos nec occidisse, nec delevisse insidiatóres suos; sed, cùm illos dæmónibus pares cepissent, Angelis æquáles fecisse, humánam natúram hàc improbâ tyránnide liberantes: illos autem scelestos dæmones,

qui ómnia conturbébant, à médio fóro et à domíbus, inde étiam à deserto expulérunt. Quoúque mirabíliùs erat, non instructâ áciè hoc faciébant, sed malè habíti implébant ómnia. Habébant enim in médio pósitos filios ínfimæ conditónis víros quos ligábant, verberébant, circumagébant; nec póterant eórum ora cláudere: sed sicut rídiculum ósis vincíre nemó potest; sic non póterant ipsórum línguam alligáre. Cujus rei causa erat, non illi quidem qui loquebantur, sed Spiritûs virtus.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In diébus illis; Exiit Jesus in montem oráre; et erat pernoctans in oratióne Dei. Et cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos; et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. Lib. 5, n. 43.)

Speculum tibi, Christiáne, datur, forma præscribitur quam débeas æmulari. Quid enim te pro salúte tua fácere oportet, quando pro te Christus in oratióne pernoctat? Quid te fácere cónvenit, cùm vis áliquod pietátis officium adóriri; quando Christus missúrus Apóstolos, orávit priùs, et solus orávit? Nec usquam álibi, si non fallor, orasse cum Apóstolis reperitur: ubíque solus obsecrat Dei enim consílium humána vota non cápiunt, nec quisquam interiórum potest esse párticeps Christo.

LECTIO VIII.

(N. 43 et 44.)

Vis scire quóniam míhi, non sibi oráverit? Vocávit, inquit, discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos ad propagandum auxílium salútis humánæ per terrárum orbem satóres fídei destináret. Simul adverte cœleste consílium: non sapientes áliquos, non dívites, non nóbiles, sed piscatóres et publicános, quos dirígeret, elégit; ne traduxisse prudéntiâ, nec redemisse divítiis, ne poténtiæ nobilitatisque auctoritáte traxisse áliquos ad suam grátiam viderétur; ut veritátis rátio, non disputatiónis grátia, prævaléret.

LECTIO IX.

(N. 45.)

Eligitur et Judas, non per imprudéntiam, sed per pro-

vidéntiam. Quanta est véritas, quam nec adversárius minister infirmat! quanta morálitas Dómini, qui periclitári magis apud nos judícium suum quàm affectum máluit! suscéperat enim hóminis frágilitátem; et ídeò nec has partes recusávit infirmitátis humánæ. Vóluit déseri, vóluit prodi, vóluit ab Apóstolo suo tradi; ut tu à sócio desertus, à sócio próditus, moderátè feras tuum errasse judícium periisse benefícium.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hujus diéi venerandam sanctamque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuisti: da Ecclésiæ tuæ, quæsumus, et amáre quod crédidit, et prædicáre quod dócuit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

AD VESP. *fit Commemor. S. Ludovici. Ant.* Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. 1. *Reg.* 13.

℣. Invéni servum meum: ℟. Oleo sancto meo unxi eum. *Ps.* 88.

Collecta, Deus, *infrà*, 586.

DIE XXV.

SANCTI LUDOVICI,

REGIS FRANCIÆ.

Duplex-majus.

Psalmi de Feria in toto Officio.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

REGEM regum Dóminum, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 6. *Ps.* 94. Veníte, exultémus Dómino, 150.

HYMNUS.

REX summe regum, qui potenti númine
Quo sunt creáta regna nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce pérsonant,
Audi profúsas Regis in laudem preces.
NASCENS in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus;
Piæque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit, ánte quàm regat.
JUSTI sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu:
Pietáte cœlum flectit, aras éxcitat;
Deoque templa, tecta nudis érigit.
Mox christiáni serus ultor sánguinis

Emensus æquor, inque littus bárbarum
Vexilla pósuíti, ingét ármis impíos,
Unóque vitam pro Deo pacísciitur.
Sit Trinitáti sémpiterna glória,
Honor, potestas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubernans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Confortátus est in regno suo, et Dóminus Deus ejus erat cum eo, et magnificávit eum in excelsum. 2. *Paral.* 1.

Ant. 2. D. Fecit quod bonum et plácitum erat in conspectu Dei sui; et subvertit altária peregríni cultûs. 2. *Paral.* 14.

Ant. 3. a. Percussit fœdus coram Dómino, ut ambuláret post eum, et custodíret præcepta ejus; et fecit omnes servíre Dómino Deo suo. 2. *Paral.* 34.

℣. Dómine, in virtúte tua lætábitur rex, ℟. Et super salutáre tuum exultábit vehementer. *Ps.* 20.

Tres Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Locútus es sanctis tuis, et dixisti, Dómine: * Exaltávi electum de plebe mea; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Deus élégit patres nostros, et suscitávit illis regem; cui testimónium perhibens, dixit: * Exaltávi. *Ps.* 88. *Act.* 13.

Post II Lect. ℟. Ecce dedit vobis Dóminus régem: * Si timuéritis Dóminum, et serviéritis ei, éritis et vos et rex qui ímperat vobis, sequéntes Dóminum Deum vestrum. ℣. Deum timéte, regem honorificáte; quia sic est voluntas Dei: * Si timuéritis Dóminum. 1. *Reg.* 12. 1. *Petr.* 2.

Post III Lect. ℟. Dissipat ímpios rex sápiens: misericórdia et véritas custódiunt regem, * Et ✝ Roborábitur cleméntia thronus ejus. ℣. Qui custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget eas. * Et. Glória. ✝ Roborábitur. *Proc.* 20. *Apoc.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Fortis in bello, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgentes hostes, quam glóriam adeptus est! *Eccli.* 46.

Ant. 5. a. Invocávit Altíssimum potentem, in oppugnando inimícos úndique; et audívit illum magnus et sanctus Deus. *Eccli.* 46.

Ant. 6. F. Succinxit se arma béllica sua in præliis, et protegébat castra gládio suo. 1. *Mach.* 3.

℣. Véritas mea et miseri

córdia mea cum ipso; ℣. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 88.

LECTIO IV.

Ludovicus nonus, Francórum Rex, anno ætátis duodécimo, patri Ludovíco successit, regnumque sub tutéla Blanchæ sapientíssimæ matris administráre cœpit. Hæc fílium à púero sanctis documentis institúerat, dícere sólita : Mallem, fili, te vitâ et regno privátum, quàm lethális peccáti reum agnóscere. In ipso regni exórdio, viros spectátæ virtútis et prudéntiæ, tum è cléricis, tum è láicis, in consílium adhíbuit; et Albigenses perduelles, paternis jam armis impetítos, subégit. Rebus cum finitímis princípibus compósitis, totum se divíno cúltui promovendo dedit. Duello et blasphémiis pénitùs extirpandis incúbuit; histriónes et joculatóres regno éxpulit. Benefícia ecclesiástica nónnisi probátis, ac præcípuè per Ecclésiæ Parisiensis Cancellárium, pérsonis, neque jam áliud habéntibus, nisi illo abdicáto, conferébat. Adeò justítiæ studiósus fuit, ut quàcumque transíret, illáta si qua forent à comitátu damna, per Archidiáconum Parisiensem aliosve notæ æquitátis viros inquíri jubéret ac resarcíri : et contra Saracénos profectúrus, mónitos per præcónem súbditos volúerit, ut qui læsi fortè essent, ipsum adírent, ómnibus factúrum satis.

℣. Sancta in manu extraneórum facta sunt : vasa glóriæ nostræ captíva abducta sunt : * Quæ erat líbera, facta est ancilla : quò ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testamentum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ : et circuiérunt castra sanctórum et civitátem dilectam, * Quæ erat líbera, facta est ancilla. 1. *Mach.* 2. *Apoc.* 20.

LECTIO V.

Tricesimo ætátis anno gravi morbo affectus, acceptâ cruce ab Epíscopo Parisiensi, sacrum bellum vovit. Et post áliquot annos, contractis ingéntibus cópiis, matri commissâ regni curâ, mare trajécit. Atque ubi primùm Saracénos in líttore astantes conspexit, è navi in mare ense districto congressúrus insíliit : fugatisque hóstibus, Damiátam victor intrávit. Sed debilitáto póstmodùm ex lue exércitu, victus ipse captusque est; neque, per totum captivitátis tempus, Horárum Canonicárum, quas ubíque ad usum Ecclésiæ Parisiensis quotídie persolvébat, recitatiónem intermísit. Cùm de pace actum est, ipse condi-

tiónes Saracénis dedit, mirántibus quòd victus victóribus leges impóneret. Pacto fœdera, Rex cum exércitu liber dimittitur: eumque in pecúnia numeranda, Saracénis non adverténtibus, errátum esset; integrum pecúniæ pondus solvi vóluit, violáti pacti alióquin reis. Annos deinde circiter quátuor, quò Saracénos ad servandas induciárum condítiones adígeret, in Syria commoránte, Christiános multos à vínculis erípuit, Gentiles fidei præceptis imbuit; ac Christiánórum urbes áliquot et castra suis súmptibus instaurávit. Interim mater ejus migrat è vita; cujus ut mortem accépit, in génua prócidens, obortis lácrymis, hæc verba prótulit: Grátias tibi ago, Dómine, qui matrem únicè dilectam quam ad tempus commodáveras, recepisti; ita sit ut plácitum est coram te; sit nomen Dómini benedictum.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, et * In vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem æternam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus: * In vínculis non derelíquit. *Sap.* 10. *Act.* 7.

LECTIO VI.

In Gálliam rédiens, navi prope Cyprum ad syrtes allísâ, coram sacra Eucharístia, cujus in navi asservandæ facultátem à Legáto Apostólico obtinúerat, supplíciter orans, ab imminente naufrágii perículo liberátus est. Cùmque navis ad réliquum itíneris minùs tuta à nautis renuntiarétur; Rex pius, rejectâ prócerum senténiâ, in áliam transíre nóluit; ne sexcenti ferè hómines qui metu perículi ex eádem navi descendissent, in ínsula remanérent; inde nunquam aut vix reversári; malle se dicens, cum líberis et uxóre, Deo áuspice, perículum adíre, quàm sibi suisque cum tanto totque hóminum damno consúlere. Post réditum, piis opéribus impénsiùs stúduit. Plúrima Lutétiæ aliisque in locis ædificávit aut perfécit monastéria, et páuperum hospítia. Frequens visébat ægrótos, quibus non súmptibus modò, sed et mánibus própriis ministrábat. In páuperes munificentíssimè próvidus, virgínibus dotem, provínciis annónæ inópiâ laborántibus alimenta, universis egéntibus necessária suppeditábat. Veste vulgári utebátur; cilício et jejúnio sæpè corpus affligébat; statis jejuniórum et festórum diébus, cónjuge ábstinens. Cùm in Africam trajecisset, bellum dénuò Saracénis illatúrus; jamque, captâ Carthágine, castra prope Tunétum

in eórum conspectu posuisset, mortem imminére séntiens, documenta Rege digna Christianíssimo, suâ manu conscripta, Philippo fílio et successóri trádidit: illudque Davídicum próferens, Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine; ánimam Deo réddidit apud Carthóginem, anno ætátis quinquagésimo quinto, Christí verò millésimo ducentésimo septuagésimo. Eum miráculis illustrem Bonifácius octávus Sanctórum albo inséruit. Ossa ejus apud sanctum Dionysium religiósè asservantur in capsa argéntea, caput Parísiis ad sanctam Capellam, pars verò carnis apud Montem regálem prope Panormum in Sicília.

℟. Ipse est directus divínitus in pœniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis; et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et ✝ In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei minister in bonum, vindex in iram ei qui malum agit, * Tulit abominatiónes impietátis. Glória Patri. ✝ In diébus peccatórum. *Eccli.* 49. *Rom.* 13.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. d. Vólui nequáquam abúti poténtiæ magnitúdine, sed clementiâ et lenitáte gubernáre subjectos. *Esther.* 13.

Ant. 8. c. Adversùm me terra mea non clamat, nec ánimam agricolárum ejus afflixi. *Job* 31.

Ant. 1. *D.* Non putávi aurum robur meum, nec lætátus sum super multis divítiis meis. *Job* 31.

℣. Dilexi mandáta tua super aurum et topázion: ℟. Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar. *Ps.* 118.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longinquam accípere sibi regnum, et reverti. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(De Civitate Dei, Lib. 5. C. 24.)

Christianos quosdam imperatóres non ídeò felíces dícimus, quia vel diútiùs imperârunt, vel imperantes fílios morte plácidâ reliquérunt, vel hostes Reipublicæ domuérunt, vel inimícos cives adversùs se insurgentes et cavére et opprímere potuérunt. Hæc enim etália vitæ hujus ærumnósæ, vel múnera, vel solátia quidam

étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quò pértinent isti: et hoc ipsíus misericórdiâ factum est, ne ab illo ista, qui in eum créderent, velut summa bona desiderárent.

℟. Auris áudiens beatificábat me, eò quòd liberassem páuperem vociferantem, et pupillum cui non esset adjútor. * Cùm sedérem rex, circumstante exércitu, eram tamen mœréntium consolátor. ℣. Sic decet nos implére omnem justítiam: * Cùm. *Job* 29. *Matth.* 3.

LECTIO VIII.

Sed felíces eos dícimus, si justè ímperant; si inter línguas sublimiter honoántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extolluntur, sed se hómines esse meminérunt; si suam potestátem, ad Dei cultum máximè dilatandum, majestáti ejus fámulam fáciunt; si Deum timent, díligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consortes; si tárdiùs víndicant, fácilè ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitáte regendæ tuendæque Reipúblicæ, non pro saturandis inimicitiárum ódiis éxerunt; si eamdem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis indulgent; si quod ésperè coguntur plerumque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compensant; si luxúria tantò eis est castigátior, quantò posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis, quàm quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Justítiâ indútus sum; et vestívi me, sicut vestimento et diadémate, judício meo: * Pater eram páuperum; et causam quam nesciébam, diligentíssimè investigábam. ℣. Judícium sine misericórdia illi qui non fecit misericórdiam; superexaltat autem misericórdia judícium. * Pater eram páuperum. *Job* 29. *Jac.* 2.

LECTIO IX.

Et si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis æternæ; si pro suis peccátis, humilitátis et miseratiónis et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt: tales Christiános Imperatóres dícimus esse felíces ínterim spe, pósteà reipsà futúros, cùm id quod expectámus advénerit.

℟. Regna terræ, cantáte Deo, psállite Dómino, * Quóniam rex omnis terræ Deus. ℣. Lucerna civitátis sanctæ Jerúsalem est Agnus; et reges terræ áfferent glóriam suam, et honórem in illam;

* Quóniam rex omnis terræ. Glória Patri. * Quóniam rex omnis terræ. *Ps.* 47 *et* 66. *Apoc.* 21.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Vivit Dóminus, et benedictus Deus meus, ℟. Magnificans salútes regis ejus. *Ps.* 17

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Magnificávit eum Dóminus, et dedit illi glóriam regni, qualem nullus hábuit ante eum rex. 1. *Paral.* 29.

Ant. 4. E. Operátus est bonum, et rectum et verum coram Dómino Deo suo, volens requírere Deum suum in toto corde suo: fecitque, et prosperátus est 2. *Paral.* 31.

Ant. 8. G. Fecit judícium et justítiam, judicávit causam páuperis et egéni, quia cognóvit me, dicit Dóminus. *Jerem.* 22.

Ant. Perambulávit civitátes, et pérdidit ímpios ex eis; et nominátus est usque ad novíssimum terræ. 1. *Mach.* 3.

Ant. 2. D. De omni corde suo laudávit Dóminum, et dilexit Deum qui fecit illum et dedit illi contra ínimícos poténtiam. *Eccli.* 47.

Capitulum. (1. *Esdr.* 7.)

Benedictus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini.

HYMNUS.

Templa nunc fument, resonentque cantu,
En triumpháto Lodoícus hoste
Quærit æternas, tibi militando,
Christe, corónas.
Hic tuos ardet reparáre cultus:
Hic gregem tuto fugitívum ovíli
Reddit: hic armis tua christiánis
Sacra tuétur.
Bellique vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdit, tibi servit uni:
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, princeps.
Stat tuâ fidens ope, fortiorque
Sumit ex ipsis ánimos ruínis:
Jura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.
Summa laus summo super astra Patri:
Filio compar hómini Deóque;
Nec tibi dispar, utriusque sacri
Nexus amóris. Amen.

℣. Ego primogénitum ponam illum ℟. Excelsum præ régibus terræ. *Ps.* 88.

Ad Benedictus, *Ant.* J. In tentatióne inventus est fidêlis: ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua,

créscere illum quasi terræ cúmulum; et ut stellas exaltáre semen ejus. *Eccli.* 44.

COLLECTA. Ótimus.

Deus, qui beátum regem Ludovícum, de terréno regno ad cœlestis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Régis regum Jesu Christi Filii tui fácias nos esse consortes; Qui tecum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Magnificávit.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Operátus est.

Capitulum. (*Deut.* 17.)

Discat rex timére Deum, et custodíre verba ejus, et cœremónias ejus quæ in lege præcepta sunt: nec elevétur cor ejus in supérbiam super fratres suos, neque declínet in partem déxteram vel sinistram; ut longo témpore regnet ipse, et fílii ejus.

℟. *br.* Erudímini, reges * Qui judicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino * in timóre, * Qui. Glória. Erudímini. *Ps.* 2.

℣. Rex qui sperat in Dómino, ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Ps.* 20.

AD SEXTAM.

Ant. 8. G. Fecit judícium.

Capitulum. (*Prov.* 29.)

Rex qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in æternum firmábitur.

℟. *br.* Judicábit páuperes pópuli, * Salvos fáciet filios páuperum. Judicábit. ℣. Et humiliábit * calumniatórem; * Salvos. Glória. Judicábit. *Ps.* 71.

℣. Ad nihílum deductus est in conspectu ejus máligmus; ℟. Timentes autem Dóminum glorificat. *Ps.* 14.

AD NONAM.

Ant. 2. D. De omni.

Capitulum. (*Eccli.* 47.)

Stare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos: et dedit in celebratióníbus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent manè Dei sanctitátem.

℟. *br.* Confiteantur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteantur. ℣. Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini, * Omnes reges terræ. Glória Patri. Confiteantur. *Ps.* 137.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi, ℟. Qui das salútem régibus. *Ps.* 143.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. In géntibus non erat rex símilis ei, et diléctus Deo suo erat; et pósuit eum Deus regem super omnem Israel. 2. *Esdr.* 13.

Ant. 7. ç. Símilis illi non fuit rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde suo, et in tota ánima sua, et in universa virtúte sua. 4. *Reg.* 23.

Ant. 3. a. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa sanctórum. 1. *Mach.* 14.

Ant. 1. f. Hortabátur suos, ne formidárent ad adventum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo. 2. *Mach.* 15.

Ant. 4. E. Spíritu magno vidit última, et consolátus est lugentes in Sion. *Eccli.* 48.

Capitulum. (*Is.* 60.)

JERUSALEM, aperientur portæ tuæ júgiter : die ac nocte non claudentur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium, et reges eárum adducantur, gens enim et regnum quod non servíerit tibi, peribit.

HYMNUS.

TE sancta rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt : tu crucis clavum tenens,
Speíque sacras ánchorâ fundans rates,
Moves tyrannis bella, Christo mílitas.
VINCIS cadendo : mors tibi victóriam
Aufert et addit : corpus hic palmæ tegunt
Nondum sepultum ; sed triumpho nóbili
Cœlum parátur, et corónis sídera.
TUUS paternæ rédditus terræ cinis
Regnum tuétur, dum throno præsens Dei,
Æterna regnans pascis inter lília,
Favensque blando nostra cernis lúmine.
SIT Trinitáti sempiterna glória,
Honor potestas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubernans ómnia,
Per cuncta regnat seculórum sécula. Amen.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine : ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo. *Ps.* 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Ambulábunt reges in splendóre ortûs tui, Jerúsalem ; et ministrábunt tibi et vénient, et adorábunt vestígia pedum tuórum. *Is.* 60.

Collecta, ut suprà ad Laud.

DIE XXVII.

SANCTI CÆSARII

EPISCOPI ET DOCTORIS.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Doctorum, additis quæ sequuntur.

AD NOCTURNUM.

LECTIO IV.

CÆSARIUS Cabilóne claro génere ortus, in ínsula Liri-

uensi sub Porcário Abbáte Mónachus, ita per jejúnia, vigílias, et orandi stúdium, vires cóporis attrívit, ut Arelátem valetúdinis recuperandæ causâ missus fúerit. Illic cum Æónio Arelatensi Antístite junxit consuetúdinem, et ab ipso ad sacerdótium est evectus, Arelatensique Ecclésiæ adscriptus. Mórtuo Æónio, in ejus locum, invítus licet ac reluctans suffectus est. Quo in múnere omnes óptimi pastóris partes egrégiè adimplévit. Tértiæ, Sextæ et Nonæ officia, in Basílica sua instituit; Laicosque hortabátur Dei laudes in Ecclésia cánere, ut eos à fábulis avocáret. Ter apud reges Gothos proditiónis accusátus, ac tóties in exílium, et in cárcerem missus, ter innocéntiâ ejus comprobátâ, absolútus est et ad Ecclésiam suam remissus. In hac síngulis ferè diébus prædicábat; áliis verò Ecclésiis homílias pópulo recitandas suppeditábat. Páuperum et afflictórum misérias sublevâre nunquam déstitit: captivisque redimendis sacram étiam supelléctilem distrâhere non dubitávit.

LECTIO III.

Virginum Cœnóbium Arelâte construxit, cui sapientíssimam régulam præscripsit, cujus prima lex erat, ut nulli unquam licéret exíre è monastério. A Symmacho Papa, qui eum Romam invitáverat, humanissimè exceptus est, et pállii dignitáte auctus. Plúribus intérfuit præfuitque Concíliis; imprímis Araúsicáno secundo, in quo inter ália definítum est, quòd, si quis, sicut augmentum ità étiam ínitium fidei, ipsumque credulitátis affectum naturáliter nobis inesse dicat, Apostólicis dogmátibus adversari comprobétur. Scripsit Cæsárius librum de grátiâ Dei et libero arbítrio, adversùs sententiam Fausti Rheginensis, et in Scriptúram enarratiónes, et homílias, cum epístolis super vária rerum divinárum argumenta. Demùm exactis in Pontificátu annis quadraginta, prídie festum sancti Augustíni, uti se, et optáre, et speráre díxerat, è vivis excessit anno ætátis septuagésimo tértio, Christi quingentésimo quadragésimo secundo, et in Basílica Sanctæ Maríæ sepultus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui pópulo tuo æternæ salútis beátum Cæsárium ministrum tribuisti: præsta, ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Vesperæ *de sequenti.*

DIE XXVIII.

SANCTI AUGUSTINI,

EPISC. ET ECCLESIÆ DOCT.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Ant. 1. f. Erat vir astútus, multórum erudítor, et ánimæ suæ inútilis. *Eccli.* 37.

Ant. 2. D. Derelíquit Deum factórem suum, et recessit à Deo salutári suo. *Deut.* 32.

Ant. 6. *C.* Flebat mater ejus irremediabílibus lácrymis, atque dicébat : Heu, heu me, fili mi ! *Tob.* 10.

Ant. 5. *C.* Cùm esset amáro ánimo, orávit ad Dóminum, flens lárgiter; et ait ei Sacerdos : Vade in pace; et Deus det tibi petitiónem tuam, quam rogasti eum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 4. E. Fílius honorábilis mihi : ídcircò conturbáta sunt víscera mea super eum : míserans miserébor ejus, ait Dóminus. *Jerem.* 31.

Capitulum. (*Jerem.* 32.)

CASTIGASTI me, et erudítus sum, quasi juvénculus indómitus : converte me, et convertar : quia tu Dóminus Deus meus. Postquàm enim convertisti me, egi pœniténtiam.

℟. Audívi vocem dicentem : Accípe librum, et dévora illum; * Et ✝ Accépi librum, et devorávi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce. ℣. Factum est verbum à Dómino, dicens : Tolle et lege. * Et accépi. Glória Patri. ✝ Accépi. *Apoc.* 10. *Jerem.* 36.

HYMNUS.

QUID non, Christe, potes? Néscia cédere
Ut gaudes sine vi rúmpere péctora!
Ut victríce manu quos súbigis, tuæ
Formas milítiæ duces?
INSÁNA túmidus dùm sapiéntiâ
Augustínus ovat, nec pátiens regi,
Spreto, ferre priùs quod dócuit, jugo,
Vanis servit amóribus.
ERRORUM ténebris ut prémitur miser,
Lucem quærit amans, quam trépidus fugit,
Pectus sollícitant hinc bona gáudia,
Hinc rursùs mala dístrahunt.
AT cùm plena suo lúmine Véritas
Affulsit júveni, térrita nox fugit;
Et divínus amor sacrílegos piis
Ignes ígnibus éxcutit.
QUAS victus lácrymas, quos gémitus dedit!
Altè corda domans spíritus íncubat :

Rumpit vincla, sacro flúmine tíngitur,
Christi libérior jugo.
Tum quæsíta diu pax ánimo redit,
Vanescunt dúbiæ lucis imágines,
Sublími plácidæ mentis in ótio,
Vero lúmine páscitur.
Qui lucis pater est, glória sit Patri;
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio;
Amborumque tibi, nexus amábilis,
Compár glória, Spíritus.
Amen.

℣. Dirupísti, Dómine, víncula mea: ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Ps.* 115.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Grátiâ Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit. 1. *Cor.* 15.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Fit Commem. sancti Cæsarii, Ant. Qui docti. ℣. Beátus, xxxv. *Collecta,* Deus, qui pópulo tuo, *suprà,* 588.

Deindè S. Juliani, Martyris, Ant. Ecce. ℣. In Deo, ix. *Collecta,* Deus, qui, *infrà.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Nunc cœlo, stygiis líbera péstibus,
Effer conspícuum, Rellígio, caput:
Augustínus adest, cédite, Tártara,
Tanto cédite lúmini.
Sacris, undè Deum pléniùs háuserat,
Pectus multa capax imbúerat libris;
Illi nuda patent, quæ fúerant priùs
Densis óbsita núbibus.
Tantis quanta venit de ténebris dies!
Vires indè novas, hinc ánimos refert;
Armis undè Erebi tela retúnderet,
Se cœléstibus índuit,
Hinc hostes cálami figit acúmine,
Illinc ore potens fulmíneo tonat:
Christi vellit agro, quæ ségetem necant
Errórum mala sémina.
Christi sponsa, novas scissa per hæreses,
Per te tuta suis fulget honóribus,
Cui dos una fuit, pactaque désuper,
Simplex, unaque véritas.
Actos dissídiis, et malè tránsfugas,
Ut priscæ fídei restítuas Patres,
Ter centum, duce te, Pontífices suis
Sede sédibus ábdicant.
Quæ vis blanda Dei te rápuit tibi,
Illam gratus amas pándere pósteris,

Ut natúra húmilis cedat amábili
Ultrò súbdita grátiæ.
Qui lucis pater est, glória sit Patri;
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio;
Amborumque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus.
Amen.

Ant. ℣ ℣ ℣. *et* ℟ ℟ ℟. *de Communi Doctorum.*

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Augustinus, Tagaste in Africa natus, adolescens in amóres illícitos et Manichæórum hæresim impégit. Carthágine primùm Rhetóricam dócuit, deinde Romæ, ac Medioláni; ubi cùm Ambrósii frequens esset audítor, paulátim in Cathólicos propénsior factus, sacros códices, à quorum lectióne priùs abhorrébat, evólvere studiósiùs cœpit, et novæ vitæ institútum meditári. Verùm cùm diu multumque secum ipse luctátus, conversiónem procrastinasset; tandem insólitâ voce admónitus ut légeret, ex verbis Apóstoli in quæ íncidit, derepentè mutátus est, et ab Ambrósio aliquantò post, annum agens tricésimum-tértium, in Páschate baptizátus. Cùm pátriam repéteret, matri ad Ostia Tiberína defunctæ supréma christiánæ pietátis offícia persolvit. Reversus in Africam, rus se recépit, ut uni Deo vacáret.

LECTIO V.

Hipponem-regium evocátus, ut virum ipsíus audiendi cúpidum Deo lucrarétur; raptus à pópulo, invítus atque ubertim flens, Présbyter civitátis ordinátus est à Valério Epíscopo: qui cùm génere Græcus esset, nec satis Latínè sciret, potestátem ei fecit in Ecclésia coram se Evangélium prædicandi; idque ex more Orientálium, sed præter Africánæ Ecclésiæ consuetúdinem. Tum Augustínus monastérium intra Ecclésiam instítuit, et cum Dei servis vívere cœpit secundùm régulam sub sanctis Apóstolis constitútam. Véritus autem Valérius jam sénior, ne sibi Augustínus ab áliis Ecclésiis præriperétur, obtínuit à Primáte Carthaginensi, ut sibi adhuc viventi darétur Coepíscopus. In Episcopátu commúnem vitæ ratiónem quam Présbyter institúerat, cum Clericis ténuit. Vestis ejus ac supellex nec nítida nímiùm, nec abjecta. Ita frugáli et parcâ mensâ utebátur, ut non nisi propter hóspites et infirmos carnes ad legúmina et ólera adhibéret; eamque lectióne aut disputatióne, exclúsâ pénitùs obtrectatióne, sem-

per condiébat. Causis dirimendis vacábat per tótam diem, sæpè jejúnus. Ut páuperes áleret, cùm non esset ália facultas, sacra vasa frangi jubébat. Pupillos duntaxat invisébat et víduas: feminárum autem monastéria non adíbat, nisi urgente necessitáte: cùmque ab ægrotántibus peterétur ut ipsis manus impónceret, ad eos sine mora pergébat. Quin et áliquos, éditis miráculis, sublevávit; ægrum enim ad se adductum æger ipse manûs impositióne sanávit: energúmenos étiam fusis in oratióne lácrymis, Présbyter et Epíscopus liberávit.

LECTIO VI.

ACERRIMUS contra omnes hæreses cathólicæ veritátis propugnátor, Manichæos, quos statim à baptismo aggressus fúerat, tum scriptis, tum públicis disputatiónibus confutávit. Arianórum hæresim singulári veritátis illustratióne profligávit. Ecclésiæ unitátis stúdio, quam adversùs Donatistas validíssimè tutátus est, Epíscopos penè trecentos induxit, ut schismáticis ad Ecclésiam redeúntibus, non honórem modò sédium servárent, sed et, si opus esset, Episcopátum céderent. Grátiam Christi, suo témpore à Pelagiánis impugnátam, invictíssimè asséruit; eorumque in Semipelagiánis relíquias, morti jam próximus repressit. Adversùs Paganórum calúmnias et erróres Religiónem Christiánam, eruditíssimo præsertim ópere de Civitáte Dei, vindicávit. In Confessiónum ac Retractatiónum libris, à se gesta scríptaque magnâ cum humilitáte sevérus judex recénsuit. De scriptúra váriis tractátibus sapientíssimè disséruit. Difficíllimas quæstiónes undequáque sibi propósitas suis epístolis enodávit. Eum Theodósius júnior nominátim invitávit ad Synodum Ephesínam ín causa Nestórii, cujus erróres jam ipse scriptis præfocáverat: sed morte præventus, Concílio interesse non pótuit. Vándalis enim tértium jam mensem Hippónem obsidéntibus, in extrémum morbum incidit; atque ubi lecto decúbuit, Psalmos de pœniténtia paríeti jussit affígi, quos profúsis lácrymis júgiter meditátus, et per decem últimos dies soli intentus oratióni, obdormívit in Dómino anno ætátis septuagésimo sexto, Christi quadringentésimo trigésimo. Pro commendenda córporis ejus depositióne, sacrifícium Deo oblátum est. Testamentum nullum fecit; quia unde fáceret, ait Possídius, Christi pauper non hábuit. Corpus ejus primùm in Sardíniam translátum est; pósteà Papíam, ad Basílicam sancti

Petri in cœlo áureo, nunc sancti Augustíni dictam; ubi tunc Mónachi sub régula sancti Benedicti Deo militábant.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(In Joan. Tract. 23, n. 3.)

Omnes hómines, lucernæ, cùm sápiunt; lucent, et spíritu fervent. Permansérunt enim servi Dei lucernæ bonæ, ex óleo misericórdiæ illíus non ex víribus suis. Grátia quippe Dei gratúita, illa óleum lucernárum est. Plus enim illis ómnibus laborávi, ait quædam lucerna: et ne víribus suis ardére viderétur, adjunxit: non ego autem, sed grátia Dei mecum. Lucernæ ergo et Apóstoli: et grátias agunt, quia accensi sunt lúmine veritátis, et fervent Spíritu caritátis, et súppetit illis óleum grátiæ Dei. Si non essent lucernæ, non díceret illis Dóminus: Vos estis lumen mundi. Pósteà ostendit ne tale lumen se putárent, quale dictum est, Erat lumen verum quod illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. Ergo cùm et discípulis díceret: vos estis lumen mundi, ne áliquid sibi tribútum putárent quod de solo Christo intelligendum esset, et ita lucernæ vento supérbiæ extinguerentur; contínuò subjunxit: Sic lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut videntes bona ópera vestra, glorificent, non vos, sed Patrem vestrum qui in cœlis est.

LECTIO VIII.

(Serm. 340.)

Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Si dicam hoc me retribúere, quòd pasco oves ejus; hoc fácio, non ego, sed grátia Dei mecum. Ubi ergo retribútor invéniar, cum ubíque prævéniar? Et tamen, quia gratis amámus, quia oves páscimus, mercédem quærimus. Quómodò fiet istud? quómodò cónvenit, gratis amo ut pascam, et mercédem posco, quia pasco? Nullo modo fieret hoc, nullo modo merces quærerétur ab eo qui gratis amátur, nisi merces esset ipse qui amátur. Nam si hoc retribúimus pro eo quòd nos redémit, quia ejus

páscimus oves; pro eo ipso quid retribuémus, quòd nos fecit esse pastóres? Mali namque pastóres (quod à nobis absit) nostrâ malítiâ sumus: boni verò (quod ab illo nobis adsit) nisi ejus grátiâ esse non póssumus. Undè et vos, fratres mei, præcipientes rogámus, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Fácite nostrum ministérium fructuósum. Adjuváte nos et orando et obtemperando; ut nos vobis non tam præesse quàm prodesse delectet.

De sancto Juliano.

LECTIO IX.

JULIANUS Viennensis, hortante sancto Ferréolo, cujus in milítia comes erat, Viennâ ubi Diocletiáni persecútio fervébat, discessit, non præ mortis metu, sed ut, paréntibus et facultátibus relictis, ad subeundum martyrium esset expedítior. Igitur ad Arvernos se cóntulit, et imminente ibi persecutióne, ad Brivatensem vicum pervénit. Cùm autem intellígeret instáre persecutóres, víduam rogávit ut ejus ope delitésceret. Vix illa petitióni ejus ánnuit, cùm ecce prosíliens ad satéllites: Nolo, ait, diútiùs commorári in hoc século, quia toto ánimi ardóre Christum sítio. Moxque ab illis, resecto gútture, necátus est.

℟. Implétus es quasi flumen sapiéntiâ: * Longè divulgátum est nomen tuum, et dilectus es in pace tua, et in interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. ℣. Sciéntia, intelligentiaque ac sapiéntia amplióres inventæ sunt in te. * Longè. Glória Patri. * Longè. *Eccli.* 46. *Dan.* 5.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Os meum loquétur sapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Dedit illi Deus sapiéntiam multam nimis, et erat nominátus in universis géntibus per circúitum. 3. *Reg.* 4.

Ant. 5. a. Universa terra desiderábat vultum ejus, ut audíret sapiéntiam ejus, quam déderat Deus in corde ejus. 3. *Reg.* 10.

Ant. 3. *a.* Expósuit ómnia; nec quidquam fuit, quod non perspícuum fécerit. 2. *Paral.* 6.

Ant. 6. F. Consílium quod dabat in diébus illis, quasi si quis consúleret Deum: sic erat omne consílium ejus. 2. *Reg.* 16.

Ant. 4. E. Contrívit inimícos úndique, et extirpávit contrários, et subjécit ei Dómnus omnes hostes. *Eccli.* 47.

Capitulum. (*Eccli.* 50.)

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi lu-

na plena in diébus suis lucet; et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.

HYMNUS.

Assertor fídei summus, et árbiter,
Inconcussa stetit quo duce véritas,
Dicet Rellígio, te páriter suum
Dicet Grátia víndicem.
Tanti vix cápiens flúmina lúminis,
Scribis plena Deo mille volúmina,
Omnes unde bibant lárgiùs, et Deum
Puris fóntibus háuriant.
Dictat nempè tibi, qui Deus ássidet;
Scriptis ipse præest, ipse tenet manum;
Cœlestes áperit non penetrábilis
Thesauros sapiéntiæ.
Fidens ingénio ne caput éfferas,
Mentis prima vagæ vúlnera détegis;
Excelso ráperis quò própior Deo,
Hoc fis tu tibi vílior.
Doctor jam dócilis magnánimus sequi
Quo-te-cumque vocat prævia véritas,
Quâ solâ régeris, rebus in árduis
Hâc solâ regis ómnia.
Nil damnas témerè; nil léviter probas;
Anceps certa Dei lúmina cónsulis;
Cedis sponte, tibi víncere nam pudor
In quo cédere glória.
Tu, quem pascit amor, nudaque véritas,
Si te nostra movent, nos bonus áspice,
Flammis ure tuis frígida péctora,
Et mentes dúbias rege.
Qui lucis pater est, glória sit Patri,
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio;
Amborumque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus.
Amen.

℣. Introíbo in poténtias Dómini, ℟. Usque in altíssima quæ fecisti magnália. *Ps.* 70.

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Ministérium verbi accépi à Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei. *Act.* 20.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens et miséricors Deus, qui beátum Augustínum Evangélii grátiæ tuæ testem et propugnatórem in Ecclésia suscitasti: ejusdem grátiæ, quæsumus, in nobis ostende virtútem; ut et voluntátem tuam, te docente, cognóscere, et eam corde magno valeámus, te operante, perfícere; Per Dóminum.

Pro Comm. sancti Juliani, Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui in corde beáti

Juliáni ignem sancti tui amóris accendisti, ut persecutórum supplícia, te vincente, despíceret: da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre reborémur; Per Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Dedit.

AD TERTIAM.

Ant 5. a. Universa terra.

Capitulum. (*Sap.* 8.)

HABEBO propter sapiéntiam claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis: et acútus invéniar in judício, et in conspectu poténtium admirábilis ero, et fácies principum mirabuntur me.

℟. *br.* Constítuit eum, * Ut erudíret príncipes. Constítuit. ℣. Et senes * prudéntiam docéret. * Ut. Glória. Constítuit. *Ps.* 104.

℣. Loquétur poténtias Dómini; ℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus. *Ps.* 105.

AD SEXTAM.

Ant. 5. *a.* Expósuit.

Capitulum. (*Job.* 29.)

QUI me audiébant, expectábant senténtiam, et intenti tacébant ad consílium meum. Verbis meis áddere nihil audébant, et super illos stillábat elóquium meum.

℟. *br.* Pronuntiábo * Mirabília tua, Dómine. Pronuntiábo. ℣. Poténtiam tuam, et justítiam tuam. * Mirabília. Glória. Pronuntiábo. *Ps.* 70.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intellectum dat párvulis. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Contrívit

Capitulum. (*Eccli.* 46.)

INVOCAVIT Altíssimum potentem in oppugnando inimícos úndique, et audívit illum magnus et sanctus Deus.

℟. *br.* Pérsequar inimícos meos, * Et comprehendam illos. Pérsequar. ℣. Et non convertar * donec defíciant: * Et comprehendam. Glória. Pérsequar.

℣. Vivit Dóminus, et benedictus Deus meus; ℟. Liberátor meus de inimícis meis. *Ps.* 17.

AD II. VESPERAS.

Ant. 7. *d.* Magnificávit eum Deus in timóre inimicórum, glorificávit illum in conspectu regum. *Eccli.* 45.

Ant. 6. F. In vita sua suffulsit domum, et in diébus suis corroborávit templum *Eccli.* 50.

Ant. 3. a. Præ timóre ejus omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt; et de præliis ejus narrábant omnes gentes. 1. *Mach.* 3.

Ant. 4. E. Tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49.

Ant. 1. a. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39.

Capitulum. (*Philip.* 4.)

Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc ágite, et Deus pacis erit vobiscum.

Hymnus, Assertor fídei, *ut suprà ad Laudes.*

℣. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ; ℟. Obumbrasti super caput meum in die belli. *Ps.* 139.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Máximus in salútem electórum Dei expugnáre insurgentes hostes : quis ante illum sic réstitit? Nam hostes ipse Dóminus perduxit. *Eccli.* 46.

Collect. Omnípotens, *supr.*

DIE XXXI.

SANCTI LUPI,

SENONENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

De Communi Pontificum.

Pridiè AD VESPERAS, *Ant. sola*, Suscitábo.

Fit Commem. S. Paulini, Trevirensis Episc. Ant. Ego. ℣. Elégit, XXVI. *Collect. infrà.*

AD NOCTURNUM.

LECTIO II.

Lupus in território Aurelianensi natus est ex nobilíssimis paréntibus, Bettóne, et Agíâ seu Austregilde. Ab avúnculis suis Austréno Aurelianensi et Aunachário Autissiodorensi Epíscopis, propter déditos religióni mores, in Clerum cooptátus est. Crescéntibus cum ætáte méritis, Artémio in cáthedra Senonensi suffectus est, Clero et pópulo id apud regem agéntibus. Quo in múnere admirandis tum pietátis, tum sollicitúdinis pastorális, tum patiéntiæ opéribus eluxit, maximè sub Theodoríco Burgundiónum rege, apud quem váriis impetítus est calúmniis. Ejus tamen fílio Sigiberto servátâ post mortem ejus intemerátâ fide, missas à Clotário secundo contra Sénones cópias suis ad Deum précibus répulit. Unde Clotárius Burgundiónum regno potítus, invísum sibi Præsulem in Néustriam circa Vinemacensem pagum relegávit. Ibi cùm multos infidéles Lupus ad fidem adduxisset, innocéntiam ejus agnóvit tandem Clotárius óperâ sancti Vinebaldi Abbátis apud Trecas, eumque ab exílio revocávit, et ad ejus pedes advolútus véniam precátus est. Ex aula cùm ad sedem redíret, ac Parísios, cómite Vinebaldo, transíret, multos in cárcere detentos à vínculis liberávit. In prædio Briennonensi suæ Diœcésis

adversâ correptus valetúdine óbiit, plúrimis clarus miráculis; et sepultus est, ut ipse jussérat, sub stillicídio Basilicæ sanctæ Columbæ, Mártyris, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus.

De S. Paulino.

LECTIO III.

PAULINUS Aquitánus, vir, teste sancto Athanásio, vere Apostólicus acerrímusque fídei Orthodoxæ adversùs Ariánam impietátem defensor, post sanctum Maximínum, Trevirensis Episcopus ordinátus est. Romam profectus, ad Athanásium misit Ursátii et Valentis libellum, quo illatárum sancto Præsuli injuriárum pœnitentiam profitebantur. Ad Arelatensem pósteà Synodum ab Imperatóre Constántio Ariáno congregátam vocátus, nunquam addúci pótuit ut sanctum Athanásium condemnáret, et à veritáte Cathólica deviáret. Quare ipse à Constántio in Phrygiam inter Montanistas relegátus est, et váriis subinde usque ad mortem mutátis fatigátus exíliis. Is primus ex Occidentálibus in hac causa vexillum confessiónis éxtulit. Cùm annos quinque in exílio exegisset, ibídem defunctus est, vir beátæ passiónis, ut scribit Hierónymus.

COLLECTA. Orémus.

TRIBUE nobis, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam, intercedente beáto Lupo Pontífice; et quæcumque præcipis ut agámus, ipse ádjuva ut implére póssimus; Per Dóminum.

Fit Commem. S. Paulini. Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, pro cujus nómine beátus Paulínus Confessor tuus et Póntifex duri labóres exílii invictâ fide sustínuit; da nobis ejus exemplo magis elígere afflígi in hoc século; quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

VESPERÆ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi Abbatum.*

COLLECTA. Orémus.

SANCTI Abbátis Ægídii supplicatiónibus tríbue nos, Deus, adjuvári; ut quæ piè crédidit appetámus, et quod justè sperávit, consequámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Fit Commem. S. Lupi, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII. *Collecta*, Tríbue, *ut suprà.*

SUPPLEMENTUM.

PRO FESTO PRINCIPALI

PATRONI PRIMARII SEU TITULARIS

ALICUJUS ECCLESIÆ.

ANNUALE-MAJUS.

¶ *Si Officium desit in Breviario, aut non habeatur infrà in ordine quorumdam Officiorum quæ pro certis Festis disposita sunt, vel non sit proprium à DD. Episcopo approbatum, omnia sumentur de Communi tam in Breviario, quàm in præsenti Supplemento, servato aliundè ritu Annuali-majori.*

IN I. VESPERIS.

Psalmi sumuntur de Feria occurrente.

℟. *Post ultimam reclamationem repetitur ab initio usque ad* ℣. *Duplicatur Ant. ad* Magníficat.

AD COMPLETORIUM, *Psalmi et Capitulum de Feria. Ant. ut in Propr. vel in Communi.*

AD OFFIC. NOCT. *Psalmi proprii sive ut in Breviario, sive ut in hoc Supplemento designati sunt.*

IN I. NOCTURNO. *Lectiones dicuntur, prout habentur infrà.*

IN II NOCT. *si nihil habetur in Breviario de Sancto cujus fit Officium, tres Lectiones pariter dicentur ut infrà notantur in Patronorum Communi. Si verò vel una, vel duæ Lectiones in Breviario de illo Sancto habentur, præferentur his quæ hic notantur; quibus proindè locus non erit, nisi quando vel nullæ propriæ aderunt, vel non sufficient, aut dividi commodè non poterunt; et tunc pro secunda vel tertia sumentur quæ prima vel secunda in Patronorum Communi infrà ponuntur.*

IN III NOCT. *Lectiones dicentur ut in Breviario vel suprà dicto Comm. notantur.*

Ad singula Responsoria additur Glória Patri, *et tertium cujusque Nocturni post ultimam reclamationem repetitur ab initio usque ad* ℣.

AD LAUDES, *Psalmi de Dominica, cum Cantico infrà notato in Patronorum Communi. Duplicatur Ant. ad* Benedictus.

AD HORAS, *Psalmi de Dominica. Non dicitur Symbolum* Quicumque.

CANON.

Ex sancto Cæsário Epíscopo.

(Serm. 280, in Append. apud August.)

Ideo à Sanctis Pátribus nostris constitútum est Christiánis et mandátum, ut in solemnitátibus Sanctórum, et máximè in Domínicis diébus ótium habérent, et à terréno negótio vacárent; ut paratióres et promptióres essent ad divínum cultum, cùm non habérent quod eos indè retardáret incómmodum; relinquerentque eo témpore terrénam sollicitúdinem, quo facíliùs possent Dei inténdere voluntátem.

Ad Vesperas, *Psalmi proprii sive in Breviario, sive in Supplemento designati.*

Ad Completorium, *Psalmi et Capitulum de Dominica.*

Festum *Patroni primarii principale semper habet Octavam; nisi venerit in Quadragesima, aut intrà solemnitatem Antiphonarum majorum* O.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Officium fit ritu Semiduplici. De Festo Duplici-minore, et suprà, fiet Officium cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus (nisi fiat de Festo Annuali aut Solemni-majori Domini.) De Semiduplici verò et Simplici fiet sola Commemoratio in Officio Nocturno per tertiam Lectionem, et in utrisque Vesperis et Laudibus, si sit Semiduplex; si verò sit Simplex in primis Vesperis et Laudibus tantùm.

Omnia ut in die, excepti. quæ sequuntur.

Psalmi de Feria ad omne. Horas.

Ad Officium Noct. *tres Antiph. ℣. et ℟℟℣. ex uno Nocturno Festi secundùm Feriam. Lectio I de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; II et III ut habentur infrà pro qualibet die.*

Ad Laudes, *Psalmi sub unica Antiphona, 4 de Laudibus Festi. Canticum ut in die.*

Ad Primam, *Canon de Feria.*

Ad Horas, ℟℟℣. *brevibus adduntur duo* Allelúia, *etiam in Festis occurrentibus, nisi hæc Octava occurrat à Septuagesima ad Cineres.*

Ad Vesperas, *Psalmi sub una Antiphona, vel propria, vel prima de Vesperis diei. Omittitur* Allelúia, *cum suo versu.*

Ad Completorium, *ut in die.*

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Totum Officium fit de Dominica cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus.

LECTIONES INTRA OCT.

DIE II.

LECTIO II.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

(Orat. in 40 Mart.)

Hi sunt qui acceptam à Deo nostram regiónem, quasi turres quædam contra adversariórum incursum munientes, refúgium éxhibent. Beneficium hoc, fratres dilectíssimi, grátiam hanc mínimè cessantem à Deo obtinémus. Parátum est hìc Christiánis auxílium. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit; qui rursùs lætátur, ad hos recurrit: hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier orans pro fíliis audítur, peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò salútem implórat et óbtinet.

LECTIO III.

O Sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris custódes! óptimi curárum sócii, precum ac votórum ínvicem suffragatóres! legáti apud Deum potentíssimi! astra mundi, flores Ecclesiárum, vos non terra contexit, sed cœlum excépit. Apertæ sunt vobis paradísi portæ, dignum profectò exercítibus Angelórum, Patriarchis, Prophétis et Justis ómnibus spectáculum.

DIE III.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 1 in c. 2 Ep. Joan.)

Joannes quid dixit: Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jesum Christum Justum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo et Epíscopi et Præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, et vidéte quia et Præpósiti commendant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orantes simul et pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed et vos oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpellet.

LECTIO III.

(Serm. 280.)

Benedixit Dóminus pusillos cum magnis. Non nobis parùm videátur quòd ejus córporis membra sumus, cujus et illi quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiuntur ómnia membra; ita, cùm glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Glória cápiti

unde consúlitur, et superióribus mánibus, et ínfimis pédibus. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis pósuit, ita et imitáti sunt Mártyres, et ánimas pro frátribus posuérunt. Fructus labóris ergo illórum étiam nos sumus. Mirámur eos, miserantur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

DIE IV.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Vigil. SS. Petri et Pauli.)

TRIA sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter consideráre debémus: auxílium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxilium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hìc viveret, misertus est peccatóribus, et oravit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, sed augmentávit; neque enim quia impassíbilis omninò, ídeò et incompassíbilis factus est.

LECTIO III.

DEBEMUS étiam atténdere exemplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, et cum homínibus conversátus est, non declinávit neque ad déxteram, neque ad sinistram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego sum via, véritas et vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; et tunc vidébitis quòmodò tam verbo quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, et non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est; rectus callis justi ad ambulandum.

DIE V.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(In Vigil. SS. Petri et Pauli.)

DILIGENTIORI intúitu, in festivitátibus Sanctórum, confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo et nos. Quid ergo est quòd non solùm difficile, sed et impossíbile crédimus ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, et contremiscámus. Hómines isti fuérunt qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo et gaudére, et confundi debémus: gaudére, quia patrónos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus.

LECTIO III.

Ita semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut semper non solùm extréma, sed et prima gáudii luctus óccupet: quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suum, júdicem nostrum, qui est Deus benedictus in sécula. Amen.

DIE VI.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(In Fest. om. SS. Serm. 2, § 1.)

Erit, præstante Dómino, triplex sermónis (de Sanctórum felicitáte) utílitas, quátenus ágnitâ, vel ex parte áliqua, felíci retributióne Sanctórum, abundantiori deinceps sollicitúdine ipsórum inhærére vestígiis, ac ferventiori desidério ad eórum suspiráre consórtia, propensiori quoque devotióne eorumdem nos commendáre patrocíniis studeámus. Fidélis quippe sermo, et omni acceptióne dignus; ut quos solemni veneratióne proséquimur, étiam símili conversatióne sequámur. Quos beatíssimos prædicámus, ad eórum beatitúdinem totâ avidítate currámus: quorum delectámur præcóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

LECTIO III.

Nec sanè parùm fructuósa invenítur memória festíva Sanctórum, languórem, tepórem, erroremque depellens: cùm eórum intercessióne juvétur infirmitas nostra, consideratióne beatitúdinis excitétur negligéntia nostra, ignoránti a quoque nostra ipsórum érudiátur exemplis.

DIE VII.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Cæsárii Episcopi.

(Serm. 230, in App. apud Aug.)

Quando festivitátes cólimus, fratres caríssimi, diligenter debémus atténdere, et totis víribus laboráre, ut quod visibíliter cólitur, in nobis invisibíliter compleátur. Qui nec castitátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gáudium potest habére, in cujus ánima multis vítiis occupátâ magis diábolus probátur habitáre

quàm Christus? Nos verò, fratres caríssimi, etiamsi nobis áliqua, ut solet fíeri, peccáta subrépunt, quantùm póssumus, cum Dei adjutório laborémus, jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemósynis mundáre sórdida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos suæ majestátis offendat.

LECTIO III.

(Serm. 265.)

FILIOS et omnes famílias vestras admonéte, fratres, semper ut castè et justè ac salúbriter vivant: nec solùm eos verbis, sed étiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, sive in domo, sive in itínere, sive in convívio, sive in consessu, verba túrpia et luxuriósa nolíte ex ore vestro proferre; sed magis vicínos et próximos vestros júgiter admonéte, ut semper quod bonum est et honestum, loqui stúdeant; ne fortè detrahendo, mala loquendo, et in sanctis festivitátibus choros ducendo, cántica luxuriósa et túrpia proferendo, de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre, inde sibi vúlnera videantur inflígere. Isti enim infelíces et míseri hómines, qui balatiónes et saltatiónes ante ipsas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubescunt, etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, pagáni de Ecclésia revertuntur; quia ista consuetúdo balandi de paganórum observatióne remansit.

VESPERÆ *de die Octava ut in I Vesperis Festi, servato ritu Duplici-majori.*

OCTAVA PATRONI,

SEU TITULARIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in die Festi, servato ritu Duplici-majori. Psalmi de Feria ad omnes Horas.

IN I NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 5, de omnib. Sanctis.)

NON tantúmmodò societas, sed étiam felícitas nobis est optanda Sanctórum, ut quorum desiderámus præséntiam, glóriam quoque ferventíssimis stúdiis ambiámus. Neque enim perniciósa hæc ambítio, aut illíus affectátio glóriæ ullátenus periculósa est. Sanè ut eam nobis speráre líceat, et ad tantam beatitúdinem adspiráre, summóperè nobis desideranda sunt suffrágia quoque Sanctórum, ut quod possibílitas nostra non óbtinet,

eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini mei, miserémini mei saltèm vos amíci mei. Nostis ipsi perículum nostrum : nostis figmentum nostrum : nostis ignorántiam nostram, et dolos adversariórum : nostis eórum ímpetus et nostram fragilitátem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatióne fuistis ; qui eosdem superastis conflictus, eosdem láqueos evasistis ; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassiónem.

LECTIO V.

Etsi de Angelis mihi árbitror præsumendum, ob spirituális substántiæ et rationális formæ similitúdinem ; ampliori tamen fidúciâ ad eos mihi reor vertendum, quos habére me novérim, et in ipsâ humanitáte consortes ; ut opórteat eos familiáriùs et speciáliùs miseréri ossi de óssibus suis, et carni de carne sua. Dénique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pígnora reliquérunt. Apud nos síquidem cópora eórum in pace sepulta sunt, quorum nómina vivent in séculum, id est quorum nunquam glória sepelítur. Absit, absit à vobis, ánimæ sanctæ, Ægyptia illa crudélitas pincernæ Pharaónis, qui in gradum prístinum restitútus, statim oblítus est Joseph sancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, vel áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla sociétas Israelítæ ad Ægyptium, non plus quàm luci ad ténebras.

LECTIO VI.

Nos quoque si non sumus ipsíus cápitis membra, cujus et sancti, unde eis tam solémnibus votis, et tanto gratulámur affectu? Cèterùm qui dixit : Si glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra : hoc quoque nihilóminus ait : Quòd si pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra. Hæc ígitur nostra et eórum cohærèntia est, ut nos congratulémur eis, ipsi compatiantur nobis ; nos devótâ moderatióne regnémus in eis, ipsi in nobis, et pro nobis mílitent piâ interventióne. Nec est quòd de eórum pia ergà nos sollicitúdine dubitémus, quando quidem non consummandi sine nobis, expectant nos usque dum retribuátur nobis : ut vidélicet in novíssimo die magno festivitátis ómnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso cápite membra concurrant, et laudétur cum hæreditáte sua Jesus Christus Dóminus noster, qui est super ómnia benedictus, et laudábilis, et gloriósus in sécula. Amen.

In III Noct. *Lectiones ut infrà in quolibet Communi.*

FESTUM *primarium S. Institutoris in proprio Ordine, sicut et Festa Sanctorum qui in aliquibus Congregationibus quasi Patroni habentur, celebrabuntur ritu Solemni-majori, cum Octava, intrà quam fiet de Semiduplicibus, si occurrant, cum Commemoratione Octavæ.*

AD NOCTURNUM.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia tantùm de Octava; nisi occurrat Festum Simplex: tunc enim Lectio II erit de Octava; tertia de Simplici occurrente.

DE DOMINICA, *intrà Octavam occurrente fiet Officium ut in Psalterio, cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus.*

FESTA *secundaria Patroni primarii celebrantur ritu Duplici-majori, nec habent Oct.*

OFFICIA ET SUPPLEMENTA

FESTORUM QUORUMDAM PRÆCIPUORUM,

QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS RITU ANNUALI AUT SOLEMNI-MAJORI CELEBRARI POSSUNT.

IN FESTO SS. TRINITATIS,

IN ECCLESIIS SUB SS. TRINITATIS INVOCATIONE DEDICATIS.

ANNUALE-MAJUS.

Omnia ut in Breviario, adhibito ritu Annuali-majori ad ℟. I Vesperarum et ad III Responsorium cujusque Nocturni.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Totum Officium ordinatur juxtà Rubricam suprà positam.

FERIA SECUNDA.

DE OCTAVA.

LECTIO I, *de Scriptura occurrente.*

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 71, de verbis Evang.)

NOSTIS, Caríssimi, in illa invisíbili et incorruptíbili Trinitáte, quam fides nostra et Cathólica Ecclésia tenet et prædicat, Deum Patrem non Spíritûs sancti Patrem esse, sed Fílii; et Deum Fílium non Spíritûs sancti Fílium esse, sed Patris; Deum autem Spíritum sanctum non solíus Patris, aut solíus esse Fílii Spíritum, sed Patris et Fílii. Et hanc Trinitátem, quamvis servátâ singulárum proprietáte et substántiâ Personárum; tamen propter ipsam indivíduam et inseparábilem æternitátis, veritátis, bonitátis esséntiam vel natúram, non esse tres deos, sed unum Deum. Ac per hoc pro captu nostro, quantùm ista per spéculum et in enígmate, præsertim tálibus, quales adhuc sumus, vidére concéditur, insinuátur nobis in Patre auctóritas, in Fílio natívitas, in Spíritu sancto Patris Filiique commúnitas, in tribus æquálitas.

LECTIO III.

Quod ergo commúne est Pàtri et Fílio, per hoc nos voluérunt habére communiónem et inter nos, et secum, et per illud donum nos colligere in unum quod ambo habent unum, hoc est, per Spíritum sanctum Deum et donum Dei. In hoc enim reconciliámur divinitáti, eâque delectámur. Nam quid nobis prodesset quidquid boni nossémus, nisi étiam diligerémus? Sicut autem veritáte díscimus, ita caritáte dilígimus; ut et pléniùs cognoscámus, et beáti cógnito perfruámur. Cáritas porrò diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis. Et quia peccátis alienabámur à possessióne verórum bonórum, Cáritas coóperit multitúdinem peccatórum. Est ergo Pater Fílio veritáti orígo vera, et Fílius de veráci Patre orta véritas, et Spíritus sanctus à Patre bono et Fílio bono effúsa bónitas: ómnium est autem non impar divínitas, nec separábilis únitas.

FERIA TERTIA.

LECTIO II.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

(Tract. de Fide. Orat. 49.)

Quis Catholicórum ignórat Patrem verè esse Patrem, Fílium verè Fílium, et Spíritum sanctum verè esse Spíritum sanctum? Sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit: Euntes, baptizáte omnes gentes in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. Hæc est perfecta Trínitas in unitáte consistens, quam scílicet uníus substántiæ profitémur. Non enim nos secundùm córporum conditiónem, divisiónem in Deo fácimus; sed secundùm divínæ natúræ poténtiam, quæ in matéria non est: et nóminum persónas verè constáre crédimus; et unitátem divinitátis esse testámur.

LECTIO III.

Nec extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dícimus: nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus; sed tria nómina, et tres persónas uníus esse essentiæ, uníus majestátis atque poténtiæ crédimus. Et ideò unum Deum confitémur; quia únitas majestátis, plúrium vocábulo deos próhibet appellári. Dénique Patrem et Fílium cathólicè nominámus; duos autem deos dícere, nec póssumus, nec debémus. Non quòd Fílius Dei Deus non sit; imò verus Deus de Deo vero: sed quia non aliundè, quàm de ipso uno Patre, Dei Fílium nóvimus, perindè unum Deum dícimus. Hoc enim

Prophétæ, hoc Apóstoli tradidérunt; hoc ipse Dóminus dócuit, cùm dicit: Ego et Pater unum sumus. Unum ad unitátem Divinitátis, ut dixi, refert: Sumus autem, Persónis assignat.

Vesp. *de die Octava quæ propter Solemnitatem Corporis Christi anticipatur in Feriam sequentem. Omnia ut in I Vesperis Festi.*

FERIA QUARTA.

OCTAVA

SS. TRINITATIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in die, servato ritu Duplici-majori.

Psalmi de Feria ad omnes Horas.

In I Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni, Episcopi.

(Epist. 170, aliàs 66.)

Si Patri, et Fílio et Spíritui Sancto latría debétur et exhibétur à nobis, de qua dictum est: Dóminum Deum tuum adorábis, et soli illi sérvies: procul dúbio Dóminus Deus noster, cui soli per latríam servíre debémus, non est Pater solus, nec Fílius solus, nec solus Spíritus sanctus: sed ipsa Trínitas unus Deus solus, Pater, et Fílius et Spíritus sanctus; non ut Pater sit ipse qui Fílius, vel Spíritus sanctus ipse sit aut Pater, aut Fílius, cùm sit in illa Trinitáte Pater Fílii, et Fílius Patris solíus; Spíritus autem sanctus et Patris et Fílii sit Spíritus: sed propter unam eamdemque natúram atque inseparábilem vitam, ipsa Trínitas, quantùm ab hómine potest, fide præcedente intellígitur unus Dóminus Deus noster, de quo dictum est: Dóminum Deum tuum adorábis, et illi soli sérvies.

LECTIO V.

Non enim sic ex Deo Patre unigénitus Fílius, quemádmodùm ex illo est universa creatúra, quam ex níhilo creávit. Hunc quippe de sua substántia génuit, non ex níhilo fecit: nec eum ex témpore génuit, per quem cuncta témpora cóndidit. Quóniam sicut flamma splendórem quem gignit, témpore non præcédit; ita Pater nunquam sine Fílio fuit. Ipse est quippe sapiéntia Dei Patris, de qua scriptum est; splendor est enim lucis æternæ. Luci ergo cujus candor est, id est, Deo Patri sine dúbio coæterna est. Et ídeò non sicut in princípio fecit Deus cœlum et terram, ita in princípio fecit Verbum, sed in princípio erat Verbum. Spí-

ritus quoque sanctus non sicut creatúra ex níhilo est factus; sed sic à Patre Fílioque procédit ut nec à Fílio, nec à Patre sit factus.

LECTIO VI.

Hæc Trínitatis uníus est ejusdémque natúræ atque substántiæ; non minor in síngulis quàm in ómnibus, nec major in ómnibus quàm in síngulis; sed tanta in solo Patre, vel in solo Fílio, quanta in Patre simul et Fílio, et tanta in solo Spíritu sancto, quanta simul in Patre et Fílio et Spíritu sancto. Neque enim Pater, ut habéret Fílium de seipso, mínuit seipsum; sed ita génuit de se álterum se, ut totus manéret in se, et esset in Fílio tantus, quantus et solus. Simíliter et Spíritus sanctus ínteger de íntegro, non præcédit unde procédit, sed tantus cum illo, quantus ex illo, nec mínuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc ómnia nec confúsè unum sunt, nec distinctè tria sunt; sed cùm sint unum, tria sunt; et cùm sint tria, unum sunt.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 28.)

In illo témpore; dixit Jesus Discípulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. Et réliqua.

Homília sancti Athanásii Epíscopi.

(Epist. 1, ad Serapionem.)

Haud abs se fúerit véterem traditiónem, doctrinamque ac fidem cathólicæ Ecclésiæ investigáre, quàm scílicet Dóminus trádidit, Apóstoli prædicavére, et Patres servavére. In ea enim Ecclésia fundáta est, à qua si quis excíderit; is nec esse, nec ámpliùs dici Christiánus ulla ratióne póterit. Itàque Trínitas Sancta et perfecta est, quæ in Patre et Fílio et Spíritu Sancto agnóscitur, nihilque aliénum, vel extrínsecùs admixtum habet, neque ex creatóre, et re creáta constat, sed tota creandi et efficiendi vi prædita est: sibi quoque símilis, et indivídua est natúra unáque ejus est efficácia et áctio. Nam Pater per Verbum in Spíritu sancto ómnia facit, eóque modo Sanctæ Trinitátis únitas servátur.

LECTIO VIII.

Ita unus Deus in Ecclésia prædicátur, qui est super ómnia, et per ómnia, et in ómnibus super ómnia quidem ut Pater, ut princípium

et fons : per ómnia verò, nempe Verbum : in ómnibus dénique in Spíritu sancto. Porrò Trínitas non nómine tenus, et solâ verbórum spécie est Trínitas, sed verè et reipsa existit Trínitas. Nam sícuti verè est Pater, ita et verè est ejus Verbum, quod et ipsum super ómnia est Deus. Nec item Spíritus sanctus non existit; sed útique verè est, et existit.

LECTIO IX.

Nec his minùs áliquid sentit Cathólica Ecclésia, ne hodiernos Judæos Caïphæ haud absímiles et Sabéllium sequátur; nec his item plus áliquid comminíscitur, ne in multitúdinem deórum gentílium devolvátur. Sed ut hanc esse fidem Ecclésiæ intélligant, eos díscere óperæ prétium est, quonam modo Dóminus mittens Apóstolos, iisdem præcéperit ut istud fundamentum in Ecclésia jácerent : Euntes, inquit, docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. Profecti verò Apóstoli, ita sine dúbio docuérunt, atque hæc ipsa prædicátio in universam Ecclésiam quæ sub cœlo est, permanávit.

Officium terminatur ad Nonam.

DIE XXIII JUNII.

In Ecclesiis sub invocatione S. Joannis Baptistæ dedicatis, fit Officium de Vigiliâ hoc modo.

[*Si venerit in Dominica, Officium fit de Dominica usquè ad versiculum tertii Nocturni exclusivè : reliqua de Vigilia, id est, septima et octava Lect. de Evangelio Vigiliæ, cum Homilia sancti Ambrosii, infrà, divisione factâ ad* * *Asteriscum : Lectio IX de Evangelio et Homil. Dominicæ occurrentis.*

℟. ℟. *ut infrà, et dicitur* Te Deum.

Ad Laudes, et ad Horas, *Psalmi de Dominica, sum Commem. Dominicæ. Reliqua de Vigilia.*]

¶ *Si Vigilia ista venerit in Feriis, Officium fit ut sequitur.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Simplex.

INVITATORIUM.

Dominum mittentem Angelum suum ante fáciem suam; * Veníte, adorémus. *Malach.* 3.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Sanctior sancto sóboles parente,

Ipsa vox Verbi, tuba veritátis;
Cándidum Sylvis jubar, ô Joannes,
Máxime vatum.
Quis tibi certet mérítis vel ortu,
Cui pluunt dextro bona larga cœlo;
Edito nondùm grave crimen Adæ
Cui Deus aufert?
In sinu matris vétulæ jacenti
Se tibi Verbi páriter latentis
Blanda majestas dedit intuendam
Lúmine puro.
Hujus obtútu recreátus, almæ
Vírginis clausum veneráris alvo;
Et rudis fandi, saliendo, castos
Promis amóres.
Luminis primas ubi carpis auras,
Vínculo linguæ rélevas parentem;
Prótinùs tales modulátur hymnos,
Númine plenus:
Orte felíci, puer alme, partu,
Ut viam sternas, Dómino præíbis,
Dans Palestínæ documenta plebi
Certa salútis.
Summus æterno sit honos Parenti,
Fílio sit laus, hómini Deóque;
Et tibi manans ab utróque compar
Glória, Flamen. Amen.

Ps. et Antiph. de Feria occurrente.

℣. De ventre matris meæ Deus meus es tu, ℟. Spes meaab ubéribus matris meæ. *Ps.* 21.

Lectiones duæ priores de Scriptura occurrente; è tribus fiunt duæ.

Post I Lect. ℟. Erit gáudium tibi, et exultátio, * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Dicétis in die illa: Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus. * Et multi in nativitáte. *Luc.* 1. *Is.* 12.

Post II Lect. ℟. Ecce Elísabeth, quæ vocátur stérilis, concépit fílium in senectúte sua, * Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. ℣. Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi et benè patientes erunt ut annúntient: * Quia non. *Luc.* 1. *Ps.* 91.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

Fuit in diébus Heródis regis Judææ Sacerdos quidam, nómine Zacharías, de vice Abía; et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

(Comment. in Luc. Lib. 1, § 15 et 16.)

DOCET nos Scriptúra divína non solùm mores in iis qui prædicábiles sunt, sed étiam parentes oportére laudári; ut véluti transmissa immaculátæ puritátis hæréditas in iis quos vólumus laudáre, præcellat. Quæ enim ália intentio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi ut sanctus Joannes Baptista nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, passióne? Sic étiam sancti Sámuel mater Anna laudátur: sic Isaac à paréntibus nobilitátem pietátis accépit, quam pósteris derelíquit. * Sacerdos ítaque Zacharías, nec solùm sacerdos, sed étiam de vice Abía, id est, nóbilis inter superióres famílias. Et uxor, inquit, ejus de filiábus Aáron. Non solùm ígitur à paréntibus, sed étiam à majóribus sancti Joannis nobílitas propagátur; non seculári potestáte sublímis, sed religiónis successióne venerábilis. Tales enim majóres habére débuit pænúntius Christi, út non repentè conceptam, sed à majóribus acceptam, et ipso infúsam jure natúræ prædicáre fidem Domínici viderétur adventûs.

℟. Ne tímeas, Zacharía; quóniam exaudíta est deprecátio tua: et * Uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et ✝ Vocábis nomen ejus Joannem. ℣. Dixit Deus: Benedícam uxóri tuæ, et ex illa dabo tibi fílium cui benedictúrus sum: * Uxor. Glória Patri. ✝ Vocábis. *Luc.* 1. *Gen.* 17.

℣. *Sacerd.* Benedictus es, Dómine, Deus Israel patris nostri, ℟. Ab æterno in æternum. 1. *Paral.* 29.

AD LAUDES.

Semiduplex.

Ant. 1. f. Dixit Zacharías ad Angelum: Ego sum senex, et uxor mea processit in diébus suis. *Luc.* 1.

Ant. 3. *a.* Respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum. *Luc.* 1.

Ant. 8. *c.* Missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre, quæ implebuntur in témpore suo. *Luc.* 1.

Canticum, de Festis.

Ant. 2. D. Erat plebs expectans Zacharíam, et mirabantur quòd tardáret ipse in templo. *Luc.* 1.

Ant. 7. b. Egressus non póterat loqui ad illos, et cognovérunt quòd visiónem vidisset in templo. *Luc.* 1.

Capitulum. (*Malach.* 3.)

ECCE ego mitto Angelum meum et præparábit viam ante fáciem meam, et statim véniet ad templum suum

Dominátor quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.

HYMNUS.

Vix humum signas pede, mollis infans,
Móntium cæcos pénetras recessus;
Hic sacro gaudes tácitam sub antro
Cóndere vitam.
Corpus, hirsúti spólio caméli,
Melle Sylvestri teris et locustis,
Ne venenáto malè cor inescet
Lacte voluptas.
Lustra sex vitæ tibi dùm recurrunt;
Ecce Jordánis próperas ad oram
Alter Elías, pópulis supernæ
Núntius iræ.
Anne quot lustras benè pœnitentes!
Autor ut subdant sua corda Christo,
Cui datum sancto renováre puras
Flámine mentes.
Hunc lavas undis nive puriórem.
Quæ seges laudis? venit undè nomen.
Grande Baptistæ, quod ad astra festis
Tóllitur hymnis.
Summus æterno sit honos Parenti,
Summus et Nato; decus et potestas
Sit tibi compar, utriusque Nexus
Omne per ævum. Amen.

℣. Veritátem tuam, et salutáre tuum dixi: ℟. Non abscondi misericórdiam tuam et veritátem tuam. *Ps.* 39.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. *E.* Initium Evangélii Jesu Christi Fílii Dei, Joannes in deserto baptízans et prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. *Marc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum.

AD HORAS.

Duplex-minus.

In fine Hymn. Doxologia.

Quem vox Joannis núntiat,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, et almo Spíritu
Nunc et per omne séculum.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Dixit Zacharías.

In ℟. *br.* ℣. Qui mittis Angelum tuum * ante fáciem tuam. *Mal.* 3.

AD TERTIAM.

Ant. 3. *a.* Respondens.

Capitulum. (*Apoc.* 22.)

CONSERVUS tuus sum, et fratrum tuórum prophetárum, et eórum qui servant verba Prophetiæ libri hujus : Deum adóra.

℟. *br.* Adoráte Deum * Omnes Angeli ejus. Adoráte. ℣. Confitémini memóriæ * sanctificatiónis ejus. * Omnes. Glória. Adoráte.

℣. Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

Ant. 8. c. Missus sum.

Capitulum. (*Num.* 23.)

AUDI fili Sephor : Non est Deus quasi homo, ut mentiátur : nec ut filius hóminis, ut mutétur. Dixit ergo, et non fáciet? locútus est, et non implébit?

℟. *br.* Recordátus est Dóminus * Misericórdiæ suæ. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ * Dómini Israel, * Misericórdiæ. Glória. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, ℟. Et sanctus in ómnibus opéribus suis. *Ps.* 144.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Egressus.

Capitulum. (*Tob.* 12.)

SACRAMENTUM regis abscóndere bonum est : ópera autem Dei reveláre et confitéri honoríficum est.

℟. *br.* Aspícite quæ fecit nobiscum Dóminus, * Et confitémini illi. Aspícite. ℣. Credentes quod fáciat vobiscum * misericórdiam suam. * Et. Glória. Aspícite. *Tob.* 13.

℣. Cantáte Dómino cánticum novum ; ℟. Quia mirabília fecit. *Ps.* 97.

DIEBUS INTRA OCT.

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Omnia, demplo ritu Solemni, ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de feria in toto Officio.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Tres Antiph. ℣. *et* ℟℟℟. *è Nocturno diei, secundum Feriam.*

Lectio I de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

Lectio II et III ut infrà in qualibet die.

AD LAUDES, *unica Antiph. super Psalmos, quæ quarta Laudum diei, cum Cantico,* Super montem, *ut in die Festi.*

AD HORAS, *dicitur* Allelúia, *in* ℟℟℟. *brev. etiam in Fest. occurr.*

AD VESPERAS, *unica Ant. super Ps. quæ prima Vesp. diei. Post Capitulum omittitur* Allelúia, *cum suo* ℣.

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Fit Commemoratio Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus.

Ad Primam, *dicitur Symbolum* Quicumque.

DIE XXV.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 21, de Sanctis.)

Natalem sancti Joannis, fratres caríssimi, hódiè celebrámus, quod nulli umquàm Sanctórum légimus fuisse concessum. Solíus enim Dómini, et beáti Joannis dies nativitátis in universo mundo celebrátur et cólitur. Hunc enim stérilis péperit, illum virgo concépit : in Elísabeth sterílitas víncitur, in beáta María consuetúdo mutátur. Elísabeth virum cognoscendo fílium génuit : María Angelo crédidit, et concépit. Hóminem concépit Elísabeth, hóminem et María : sed Elísabeth solum hóminem, María Deum et hóminem. Magnus ígitur Joannes, cujus magnitúdini étiam Salvátor testimónium pérhibet, dicens : Non surréxit inter natos mulíerum major Joanne Baptistà.

Lect. III de Festo occurr:

DIE XXVI.

DE OCTAVA.

Ut in Breviario.

DIE XXVII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Basílii magni.

(Homil. 2, in Psalm. 28.)

Vox Dómini super aquas. Qualis vox, super quas aquas? Velut prophetíam accipiámus quod dictum est. Memíneris Joannis, qui interrogátus à Judæis, tu quis es? Quod responsum dábimus iis qui misérunt nos? Respondit : Ego vox clamantis in deserto. Igitur vox Dómini est Joannes, Angelus à Deo missus ante fáciem Dómini, ut paráret Dómino plebem perfectam. Hæc ígitur vox super aquas, erat super Jordánem, in quo baptizábat prædicans pœniténtiæ baptismum. Et non solùm in Jordáne, sed étiam in Ænon propè Salim, quia multæ aquæ erant illic. Igitur vox Dómini super aquas, Joannes est super baptismum. Illic et Deus majestátis intónuit. Venit enim vox de cœlo dicens : Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi complácui. Tunc étiam Dóminus super aquas multas dignátus est descéndere in baptisma Joannis, ut com-

pléret omnem justítiam quæ in lege est.

Lectio III ut in Breviario.

DIE XXVIII.

Ut in Breviario.

DIE XXIX.

Ut in Breviario, cum Commemoratione Octavæ.

DIE XXX.

Ut in Breviario.

VESPERÆ *de die Octava.*

DIE I JULII.

OCTAVA NAVIVITATIS

S. JOANNIS BAPTISTÆ,

ET FESTUM

DECOLLATIONIS EJUSDEM.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiph. et Capit. ut in II Vesp. Festi.

℟. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes: * Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. ℣. Surrexit quasi ignis; et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. * Non erat. Glória Patri. * Non erat. *Joan.* 1. *Eccli.* 48.

Hymnus, Quid moras, *ut in II Vesp. Festi.*

℣. Dixi iníquís. *Ant. ad* Magníficat J. Dico vobis, *ut notatur in Breviario pro ejúsdem. Commem. die* 30 *Junii.*

Fit Commem. SS. Apost. Petri et Pauli, Ant. Príncipes. ℣. Dómini. *Collecta*, Deus, qui hodiernam diem, *ut in Breviario, die* 29.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITAT. *et* HYMNUS *ut in Proprio SS.*

IN I.° NOCTURNO.

Antiph. et ℣. *è I Noct. unius Martyris.*

Lectiones de Scriptura occurrente. ℟℟℟. *è I Noct. unius Martyris.*

IN II.° NOCTURNO.

Antiph. ℣. *et* ℟℟℟. *è II Noct. unius Martyris.*

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 28, in Ep. 2, ad Cor.)

UT virtúte nihil púrius est, improbitáte nihil obscœnius est. Illa enim sole splendídior est: hæc cœno fœtídior. Atque hoc suo testimónio comprobáre illi queant, qui in cœno volutantur, atque in tenébris versantur, cùm ab áliquo eórum, qui in virtúte vivunt, sese coárgui víderint, vel étiam eum conspéxerint. Tum demum misériam suam apértiùs agnoscunt, ac velut immisso quodam rádio fœditátem suam cóntegunt, atque ante consciórum ora erubescunt; etiamsi hic servus sit, ille liber; hic súbditus, ille rex.

Sic Heródes, cùm reprehensiónem pudórem ferre non posset, (siquidem prophéticæ vocis ingens, ac præclárus splendor erat) Joannem in cárcerem conjécit, tanquam qui nudus esset, ac lucernam extínguere conarétur, ut rursus in ténebris dégeret. Cur enim non eum contempsit? Num Joannes eum in judícium tractúrus erat? Num adultérii pœnas ab eo expétiit? Nonne reprehénsio duntaxat erant ea quæ dicebantur? Quid ergo métuit ac trémuit? Annon verba erant, ac simplex sermo. Sed hujúsmodi verba magis quàm rei ipsæ pungébant. Non eum ad judícium, sed ad áliud conscientiæ tribúnal pertrahébat; omnesque eos qui líberà cogitatióne suffrágium tunc ferébant, júdices ipsi constituébat. Quocirca tremébat tyrannus, virtútis splendórem haud ferens. Vides quanta philosóphiæ vis sit? Eum qui caténis vinctus erat, tyranno splendidiórem réddidit; effecitque ut hic illum formidáret ac trémeret.

LECTIO V.

(Ex Libro ejusdem ad eos qui scandalizati sunt. Cap. 22.)

Perpende quómodò affectum fuisse verisímile est Heródem reprehensum à vincto, cùm cérneret nihil eum de loquendi libertáte propter caténam remittere, sed occídi malle quàm pulchérrimam illam líberè loquendi facultátem amittere. Cógita quis ex homínibus illius ætátis, vel étiam consequentis ævi, cùm hæc cérneret et audíret, quantumvis deses ac remissus esset, at exíguo tamen judício valéret, non summam utilitátem inde decérperet. Noli enim mihi commemoráre scelerátos et stultos hómines, socordes, totos córpori curando addictos, ac fóliis levióres. Isti enim non his solùm, sed re quavis quæ accíderit, offenduntur: non áliter ac pópulus Judæórum, qui et cùm manna coméderet, et cùm panem, páriter morósus erat et offendebátur, sive in Ægypto esset, sive ab Ægypto liberátus, sive adesset Móyses, sive abesset. Verum illos in médium mihi prodúcito, qui sóbrii erant et vígiles; et cum ánimo tuo réputa quantam ipsos probábile sit utilitátem inde percepisse, cum ánimam constantem cérnerent, mentem invictam, linguam máximâ libertáte loquendi præditam; hóminem deserti íncolam, regem superáre; vinctum esse, nec tamen cédere; cápite truncári, nec silére.

LECTIO VI.

Sed ne hic quidem subsiste; verùm ea quæ secúta sunt, exámina. Caput amputávit

Heródes, cápite truncátus est Joannes. Quis ergo beátus ab ómnibus prædicátur? quis imitandus propónitur? quis celebrátur? quis coronátur? quis præcóniis ornátur? quis laudátur? quis commendátur? quis in hunc usque diem reprehendit? nonne in síngulis Ecclésiis hic quidem clamat: Non licet tibi habére uxórem fratris tui? ille verò diffamátur étiam post óbitum ob adultérium, insániam, et audáciam? Consídera verò præter ea quæ dicta sunt, quanta virtus esset captívi, quanta tyranni imbecíllitas. Nam hic quidem non pótuit linguam unam compéscere; sed, eà sublátâ, sexcenta pro illa et cum illa ora reserávit. Síquidem unusquisque dum Evangélium illud legit, dicit: Non licet tibi habére uxórem fratris tui: et sine Evangélio in cœtibus, in congréssibus, vel étiam ad ipsos últimos mundi límites, hanc vocem áudies; et justum illum vidébis etiamnum clamantem, inculcantem, et nequítiam tyranni redarguentem. Quid ergo detrimenti cepit ex óbitu justus ille? quid ex morte violenta? quid ex caténa? quid ex cárcere? Quos autem non correxit, quibus cor sáperet, ex iis quæ dixit, ex iis quæ passus est, ex iis quæ nunc prædicat, eadem prorsus quæ cùm víveret.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. Dómine, *etc. ut in Breviario.*

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangélii secundùm Marcum.

(Cap. 6.)

In illo témpore; Heródes misit, ac ténuit Joannem, et vinxit eum in cárcere, propter Herodiádem uxórem Philippi fratris sui. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 3, de Virg. c. 6, n. 26.)

Quoniam Joannis prænúntii Christi non strictim prætereunda est recordátio; interest ut quis, et à quibus, et quam ob causam, quo modo, et quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et à reis in júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deinde præmium saltatrícis, mors est Prophétæ. Postrémò (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia consummandæ crudelitátis profertur edictum; et à convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium, ferális flagítii circumfertur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina!

LECTIO VIII.

(N. 29.)

Quis non cùm è convívio ad cárcerem cursáre vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimitti? Quis, inquam, cùm audisset natálem esse Heródis, solemne convívium, puellæ optiónem eligendi quod vellet datam, missum ad Joannem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? Quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta, conviváli témpore, convíváli præcepto, quo non cúperet vel absolví: perímitur gládio, caput ejus affertur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

LECTIO IX.

(N. 30.)

Intuere, rex acerbíssime, tuo spectácula digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid sævítiæ tuæ desit, ut inter dígitos tuos rivi défluant sancti cruóris. Et quóniam non exsaturári épulis fames, non restingui póculis pótuit inaudítæ sævítiæ sitis; bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exsecti cápitis profluentem. Cerne óculos in ipsa morte scéleris tui testes, aversantes conspectum deliciárum. Clauduntur lúmina, non tam mortis necessitáte, quàm horróre luxúriæ. Os áureum illud exangue, cujus senténtiam ferre non póteras, conticescit, et adhuc timétur.

DIE XXVII JUNII.

¶ *In Ecclesiis sub invocatione S. Petri dedicatis fit hodiè per anticipationem de SS. Irenæo et sociis ejus, propter Vigiliam SS. Apost. de qua juxtà Rubricas generales debet fieri Officium crastinâ die.*

DIE XXVIII.

IN VIGILIA SS. APOSTOLORUM

PETRI ET PAULI.

¶ *Si venerit in Dominica, Officium fiet de Dominica usquè ad versiculum tertii Nocturni exclusivè: reliqua de Vigilia, id est, septima et Octava Lectio de Evangelio et Homilia, ut in Breviario, ex una fiunt duæ: Lectio IX de Evang. et Homil. Dominicæ occurr.* ℟.℟.℟. *ut infrà. Et dicitur* Te Deum.

Ad Laudes, *Commem. Dominicæ.*

Ad Primam, *non dicitur Symbol.* Quicumque.

¶ *Si Vigilia ista venerit in Feriis, Officium fit ut seq.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum Apostolórum Magistrum et Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

AMBO divíni Próceres Senátûs
Príncipes cœli, sócii labórum,
Quos amor junxit, simul una jungat
Pompa triumphi.
PAR fides, et par utriusque votum,
Corda divíno penetrante verbo,
Sub jugo Christi nimis obstinátas
Súbdere gentes.
MAGNA vos vidit stupuitque Roma,
Roma tot diris habitáta monstris;
Vidit excísis pénitùs sepulta
Númina fanis.
TOTUS in Roma superátus orbis:
Par locus tantis utriusque palmis,
Usque cœlestis pretiósa servat
Sémina verbi.
LAUS Deo Patri, genitoque Verbo,
Laus tibi compar utriusque Flamen:
Nosque fac, tantis dúcibus, beátos
Tángere portus. Amen.

Psalmi et Antiph. de Feria occurrente.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini: ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

Lect. duæ priores de Script. occurr ex tribus duæ.

Post. I Lect. ℟. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur: et mirabília tua narrábunt: * Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, et glóriam magnificéntiæ regni tui. ℣. Duo testes prophetábunt: hi habent potestátem claudendi cœlum, et percútere terram. * Ut notam. *Ps.* 144. *Apoc.* 11.

Post II Lect. ℟. Cùm finíerint testimónium suum, béstia, quæ descendit de abysso, * Fáciet adversùm eos bellum, et vincet eos, et óccidet eos. ℣. Rex ímpudens fácie, suprà quàm credi potest, universa vastábit, et contrà Príncipem príncipum consurget. * Fácict. *Apoc.* 11. *Dan.* 8.

Lectio III de Vigilia ut in Breviario.

℟. *III.* Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. * Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia. ℣. Amodò jam dicit spíritus, ut requiescant à labóribus suis, ópera enim illórum sequuntur illos. * Sapiéntiam. Glória. * Sapiéntiam. *Eccli.* 44. *Apoc.* 14.

℣. *Sacerd.* Afferte Dómino, fílii Dei, ℟. Afferte Dómino, glóriam et honórem. *Ps.* 28.

AD LAUDES.

Semiduplex.

Ant. 3. a. Isti sunt duo

filii óbsi, qui assistunt Dominatóri universæ terræ. *Zach.* 4.

Ant. 2. D. Testamentum æternum constitúit cum illis: et magnália honóris ejus vidit óculus illórum. *Eccli.* 17.

Ant. 8. G. Erit sacerdos super sólio suo, et consílium pacis erit inter illos duos. *Zach.* 5.

Canticum, de Festo.

Ant. 5. a. Ipsi duo constitúti, prohibére gentem à peccátis, et indúcere illos in hæreditátem. *Eccli.* 46.

Ant. 4. E. Sit memória illórum in benedictióne, et nomen eórum permánet in æternum. *Eccli.* 46.

Capitulum. (*Eccli.* 44.)

Isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in láudibus.

HYMNUS.

Supreme Princeps, dux gregis,
Qui clausa pandis sídera,
Spectante Româ clárior
Intras olympum sánguine.
Affixus alto stipiti,
Invertis in terram caput:
Quò te magis nunc déjicis,
Hoc mente major émicas.
Non ausus erectæ crucis
Ambíre Petrus glóriam,
Cœlo datúrus spíritum
Pedes adórat núminis.
Paulus magister géntium
Mactátur ense víctima;
Minorque ponit vérticem
Christo suprémo vértici.
Cursus perégit ímpigros,
Gaudetque Christo pérfrui;
Labóre partis árduo
Victor corónis cíngitur.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suum
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Déxtera tua, Dómine, salvávit eos: ℟. Quóniam complacuisti in eis. *Ps.* 43.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Tantáti sunt Patres nostri, et per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith.* 8.

Collecta, ut in Breviario.

AD HORAS.

Duplex – minus.

In fine Hymnorum, Doxol. Uni sit et trino, *suprà.*

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Isti sunt.

In ℟. *br.* ℣. Qui es Caput* córporis Ecclésiæ. *Coloss.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Testamentum.

Capitulum. (*Eccli.* 17.)

Posuit óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália óperum suórum, ut nomen sanctificatiónis collaudent, et gloriári in mirabílibus illíus, ut magnália enarrent óperum ejus.

℟. *br.* Nolíte * Tángere christos meos. Nolíte. ℣. Et in prophétis meis * Nolíte malignári. * Tángere. Glória Patri. Nolíte. *Ps.* 104.

℣. Gládii ancípites in mánibus eórum; ℟. Ad faciendam vindictam in natiónibus. *Ps.* 149.

AD SEXTAM.

Ant. 8. G. Erit sacerdos.

Capitulum. (*Galat.* 2.)

Cum cognovissent grátiam, quæ data est mihi, Jacóbus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dedérunt mihi, et Bárnabæ societátis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisiónem.

℟. *br.* Exaltent eum * In Ecclésia plebis. Exaltent. ℣. Et in cáthedra seniórum * laudent eum. * In. Glória. Exaltent. *Ps.* 106.

℣. Ecce quàm bonum et quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum. *Ps.* 132.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Sit memória.

Capitulum. (*Eccli.* 44.)

Hæreditas sancta nepótes eórum, et in testamentis stetit semen eórum; et fílii eórum propter illos, usque in æternum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquetur.

℟. *br.* Pro pátribus tuis * Nati sunt tibi fílii. Pro pátribus. ℣. Constítues eos príncipes * super omnem terram. * Nati sunt. Glória. Pro pátribus. *Ps.* 44.

℣. Príncipes Juda, duces eórum: ℟. Príncipes Zabúlon, Príncipes Néphtali. *Ps.* 67.

DIE XXIX JUNII.

IN FESTO

SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Omnia ut in Breviario, servato ritu Annuali-majori.

DIE XXX.

Omnia ut in Breviario.

DIEBUS I ET II JULII.

Omnia ut in Breviario.

DIE III.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni, Epíscopi.

(Serm. 295, in Nat. SS. Petri et Pauli. 3.)

Celebramus diem festum, Apostolórum nobis sánguine consecrátum. Amémus fidem, vitam, labóres, passiónes, confessiónes, prædicatiónes. Profícimus enim amando; non ista propter carnálem lætítiam celebrando. Mártyres enim à nobis quid quærunt? Minus habent, si adhuc laudes hóminum quærunt. Si adhuc laudes hóminum quærunt, nondum vicérunt. Si autem vicérunt, à nobis propter se nihil quærunt, sed propter nos ipsos quærunt. Dirigátur ergo via nostra in conspectu Dómini. Arcta erat, spinósa erat, dura erat: tálibus tamque multis transeuntibus lenis facta est. Tránsiit ipse prior Dóminus, transiérunt Apóstoli intrépidi, pósteà Mártyres, púeri, mulieres, puellæ. Sed quis in eis? Ille qui dixit, Sine me nihil potestis fácere.

Lectio III de S. Martiali, duabus in unam junctis, et de eo fit Commem ad Laudes et Vesp.

DIE IV.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Ex Epístola prima sancti Clementis, Papæ et Mártyris ad Corínthios.

Petrus ob iníquam æmulatiónem non unum aut álterum, sed multos sustínuit labóres; atque ita Martyr effectus, discessit ad débitum glóriæ locum. Propter æmulatiónem Paulus patiéntiæ præmium obtínuit, cùm caténas sépties portasset, vapulasset, lapidátus esset;

præco factus in Oriente ac Occidente, exímium fídei suæ decus accépit, totum mundum docens justítiam; et ad Occidentis términum véniens, et sub princípibus martyrium passus, ita è mundo migrávit, atque in locum sanctum ábiit, patiéntiæ magnum exemplar factus.

Lectio III, de S. Martino, duabus in unam junctis, et de eo fit Commem. ad Laudes et Vesp.

DIE V.

DE OCTAVA.

Lectio II et III, De sermóne sancti Leónis, *ut in Breviario, divisione factâ ad hæc verba :* Isti sunt patres tui.

VESP. *de die Octava, ut in Breviario.*

DIE XXX JUNII.

IN COMMEMORATIONE

SANCTI PAULI

Si Commem. S. Pauli celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario additis quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Dominica. Fit Commem. S. Petri ut habetur post II Vesp. S. Pauli.

AD COMPLETORIUM.

Ant. de Communi Apostolorum.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Psalmi de Communi Apostolorum.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Actibus Apostolórum.

(Cap. 20.)

PROPOSUERAT Paulus transnavigáre Ephesum; ne qua mora illi fíeret in Asia. Festinábat enim si possíbile sibi esset, ut diem Pentecostes fáceret Jerosólymis. A Miléto autem mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cùm venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis à prima die, quâ ingressus sum in Asiam, quáliter vobiscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrymis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum : quómodò nihil subtráxerim utílium, quóminus annuntiárem vobis, et docérem vos públicè et per domos, testíficans Judæis atque Gentílibus in Deum pœ-

niténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

LECTIO II.

Et nunc ecce alligátus ego spiritu vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi ignóra: nisi quòd Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens, quóniam vincula et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dummodò consummem cursum meum, et ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei. Et nunc ecce ego scio quia ámpliùs non videbitis fáciem meam, vos omnes per quos transívi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodiernâ die quia mundus sum à sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis.

LECTIO III.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Episcopos, régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte, memóriâ retinéntes: quóniam per triénnium nocte et die non cessávi, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm. Et nunc commendo vos Deo et verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, et dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis, quóniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quóniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare quàm accípere. Et cùm hæc dixisset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium; et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes máximè in verbo quod díxerat: quóniam ámpliùs fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

In Laudibus, *Psalmi de Dominica, Canticum* Juda, *ut in Festo S. Petri. Commem. S. Petri.*

AD HORAS.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Canon ut in Offic. Patroni.

IN II VESPERIS.

Psalmi de Comm. Apost. Allelúia, *cum ℣. ut in Communi. Comm. seq. et S. Petri.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

Omnia ut suprà notatum est diebus intra Oct. sancti Petri.

DIE VI.

Completur Octava sancti Pauli, unà cùm Octava sancti Petri, ut in Breviario.

DIE XXII JULII.

IN FESTO

S. MARIÆ MAGDALENES

¶ *Si Festum S. Mariæ Magdalenes celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario, exceptis quæ sequuntur.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. a. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærenti illum. *Thren.* 3.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Invéni quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimittam. *Cant.* 3.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Psalmi de Communi Virginum, infrà.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

De Cánticis Canticórum.

(Cap. 3.)

PER noctes quæsívi quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : num quem díligit ánima mea vidistis? Paúlulùm cùm pertransissem eos, invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimittam.

LECTIO II.

(Cap. 5.)

SURREXI ut aperírem dilecto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrhâ probatíssimâ. Péssulum óstii mei apérui dilecto meo : at ille declináverat, atque transíerat. Anima mea liquefacta est, ut locútus est : quæsívi, et non invéni illum; voçávi, et non respondit mihi. Invenérunt me custódes qui circúmeunt civitátem : percussérunt me et vulneravé-

runt me; tulérunt pállium meum mihi custódes murórum. Adjúro vos, filiæ Jerúsalem, si invenéritis dilectum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulchérrima muliérum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus cándidus, et rubicundus, electus ex míllibus.

LECTIO III.

(Cap. 8.)

Quis mihi det te fratrem meum, sugentem úbera matris meæ, ut invéniam te fóris, et deóscular te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ, ibi me docébis; et dabo tibi póculum ex vino cóndito, et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, filiæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delíciis áffluens, innixa super dilectum suum?... Pone me, ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut infernus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica, cum Cantico sequenti.

CANTICUM.

(Sap. 6.)

Sapientia fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, * et invenítur ab his qui quærunt illam.

Præóccupat qui se concupiscunt, * ut illis se prior ostendat.

Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: * assidentem enim illam fóribus suis invéniet.

Cogitáre ergo de illa, sensus est consummátus; * et qui vigiláverit propter illam, citò secúrus erit:

Quóniam dignos se ipsa círcuit quærens, * et in viis ostendit se illis hiláriter, et in omni providéntia occurrit illis.

AD HORAS.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Canon, ut in Festo Patroni.

AD VESPERAS.

Psalmi de Communi Virginum.

Allelúia, allel. ℣. Christus resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras, et visus est mihi. Allelúia. 1. *Cor.* 15.

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

Semiduplex.

Officium ordinatur ut suprà in Festo Patroni. Lectiones ibidem.

DIE XXIX.

OCTAVA

S. MARIÆ MAGDALENES.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

(De Sepult. Dom. et de Maria Magd.)

MARIA Magdaléne non léviter fuit objurgáta, cùm post resurrectiónem Dóminum quæreret in sepulcro; et, non reminiscens verbórum ejus quibus se ab ínferis tértiâ die reditúrum esse díxerat, putáret eum inferni légibus detinéri. Fide enim húmilis, et ignára, quærit quod nescit, oblivíscitur quod docétur: festína quidem est ad obséquium, sed non perfecta est ad credendum Anxia est de Domínicæ carnis injúria, sed incerta de resurrectiónis glória. Plorat quidem amóre Christi, sed mœret desperatióne córporis non reperti: periisse putat, quem jam regnáre constábat: scrutátur eum in túmulo, quem vocáre pótiùs debéret è cœlo.

LECTIO V.

INCREPATUR ígitur María tanquam pígrior ad credendum; et cùm, sera licet, Dóminum cognovisset, dícitur ei à Salvatóre: Noli me tángere, quia nondum ascendi ad Patrem. Noli me tángere, increpatiónis verbum est: hoc est, Noli me tángere mánibus, quóniam resurrectiónem meam mentis oblivióne non rétines. Nondum, inquit, ascendi ad Patrem, hoc est, Tibi nondum ascendi ad Patrem, quia apud fidem tuam adhuc detíneor in sepulcro. Quantùm in te est, adhuc humilíbus ímmoror; adhuc inhæreo terrénis, quia nondum me fides tua elevávit ad cœlum. Quid ergo me festínas contíngere ut Dei Fílium, quem redeuntem ad Patrem, mentis intentióne non séqueris?

LECTIO VI.

QUISQUIS ígitur vult contíngere Dóminum Salvatórem, priùs illum debet fide suâ ad déxteram Divinitátis impónere; et credulitáte cordis collocáre in cœléstibus, pótiùs quàm inter defunctos inquírere. Illi autem ascendit Dóminus ad Patrem, qui eum semper esse credit in Patre. Ascendit beáto Paulo,

qui non contentus solum se scire quod nóverat, nos quoque dócuit quemádmodum Salvatórem in cœléstibus quærerémus, dicens : Quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens. Et ut nos ab hac húmili vel terréna inquisitióne Maríæ pénitùs submovéret, áddidit : Quæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram. Ergo jam non super terram, nec in terra, nec secundùm carnem debémus quærere Salvatórem, si vólumus eum invenire atque contíngere; sed secundùm Divínæ Majestátis glóriam, ut dicámus cum Apóstolo Paulo : Nunc autem secundùm carnem non nóvimus Christum.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 20.)

In illo témpore; María stabat ad monumentum foris, plorans. Et réliqua.

Homília sancti Cyrilli Alexandríni Episcopi.

(Comment. in Caput. 20. Joan.)

Non concessit Dóminus córporis sui tactum mulíeri quamvis concupiénti; mercédem autem perseveántiæ lacrymarumque suárum dúplicem illico réddidit. Nam in ea prima univérsum muliérum genus, ut in superióribus díximus, à mœróre ac lácrymis ad lætítiam revocátur; et quemádmodum in Paradíso, quóniam diábolo múlier ministrávit, in dolóribus paritúram se filios audívit; ita nunc in horto à maledictióne líberáta, plorâre prohibétur. Hæc ígitur una merces est. Altera, quia míttitur ad Discípulos núntia, ut eis hoc Evangélium afferat, quòd Christus jam surrexit, et ascendit ad Patrem; ut véluti prima múlier, quia diábolo ministrávit, et se et muliérum genus unà pérdidit; sic et múlier, quia Christo ministrávit, muliébre genus à maledictióne in se prima liberávit.

LECTIO VIII.

Largitur ergo illi Dóminus primùm ne plóret, neve dolóri ánimum subjíciat; deinde mirábilem quamdam pedum pulchritúdinem; pulchérrimi enim sunt, ut Prophéta dicit, pedes evangelizántium bonum..... Multò ferventior hæc céteris muliéribus fúerat, præcedebatque álias quasi dux ac princeps illárum. Non ignorámus autem eventus rerum principaliórибus plerumque attríbui. Ad honórem ígitur et glóriam Magdaléne à Salvatóre concessum est, ut hæc posset ad discípulos Evan-

gélium deferre, quia Christus surrexit, et ad Patrem, ac Deum suum et Discipulórum ascendat.

Lectio IX. De sancto Lupo Trecensi ut in Breviario, et ejus commem. in Laudibus et Vesperis.

DIE XXVI JULII

IN FESTO

SS. JOACHIM ET ANNÆ.

In Festum SS. Joachim et Annæ celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario et Officio de Patrono, exceptis quæ sequuntur.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 6. F. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. *Thren.* 3.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Fílii sanctórum sumus, et vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 20. Dómine in virtúte tua, 80.

Ps. 44. Eructávit, 137.

Ps. 45. Deus noster refúgium, 139.

LECTIO I.

De Libro secundo Regum.

(Cap. 7.)

FACTUM est in illa nocte: et ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: Vade, et lóquere ad servum meum David: Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitávi in domo ex die illâ quâ eduxi fílios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc; sed habitábam in tabernáculo, et in tentório. Per cuncta loca quæ transívi cum ómnibus fíliis Israel, numquid loquens locútus sum ad unam de tríbubus Israel, cui præcépi ut pásceret pópulum meum Israel, dicens quare non ædificastis mihi domum cédrinam?

LECTIO II.

ET nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ego tuli te de páscuis sequentem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel; et fui tecum in ómnibus ubicumque ambulasti, et interféci universos inimícos tuos à fá-

cie tua: fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Israel, et plantábo eum, et habitábit sub eo, et non turbábitur ámpliùs: nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut priùs, ex die quâ constítui júdices super pópulum meum Israel: et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis. Prædicitque tibi Dóminus, quòd domum fáciat tibi Dóminus.

LECTIO III.

Cumque compléti fúerint dies tui, et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de útero tuo, et firmábo regnum ejus. Ipse ædificábit domum nómini meo, et stabíliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium: qui si iníquè áliquid gésserit, árguam eum in virga virórum, et in plagis filiórum hóminum. Misericórdiam autem meam non áuferam ab eo, sicut ábstuli à Saül, quem amóvi à fácie mea. Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in æternum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus júgiter.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 71. Deus judícium tuum regi da, *integer*, 49.

Ps. 84. Benedixisti, Dómine, terram tuam, 53.

Ps. 86. Fundamenta, 140.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 88. Misericórdias Dómini, 90.

Divisio. Beátus pópulus, 91.

Altera divisio. Semel jurávi, 92.

AD LAUDES ET HORAS.

Psalmi de Dominica. Canticum ut in Comm. Justorum, infrà, CXXI.

AD PRIMAM.

Canon de Patrono.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica, ultimo excepto, cujus loco dicitur Psalmus Memento, 143, *et dicitur integer.*

Post. Capit. Allelúia, allelúia. ℣. Nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Allel. *Eccli.* 44.

Nulla fit Commemoratio.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Omnia ut in Officio Patroni, suprà.

DIE II AUGUSTI.

OCTAVA

SS. JOACHIM ET ANNÆ.

Pridie IN VESPERIS *fit Commem. S. Petri ad Vincula. Tum S. Stephani Papæ et Martyris.*

Omnia ad reliquum Offic. ut in die. Psalmi de Feria.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

De Sermóne sancti Joannis Damascéni.

(Hom. 1, in Nativ. B. M. V. § 9.)

Vitis ubérrima ex Anna pullulávit, úvaque suavíssima efflóruit potum néctaris terrígenis fundens in vitam æternam. Jóachim et Anna ad justítiam sibi ipsi seminárunt, ac vitæ fructum messuérunt. Sciéntiæ lumen sibi illuminárunt, ac Dóminum exquisiérunt, venitque illis germen justítiæ. Audáciam sumat terra, ac fílii Sion. Gaudéte in Dómino Deo vestro, quia germinávit desertum : stérilis prótulit fructum suum.

LECTIO V.

Joachim et Anna ut montes spirituáles dulcédinem stillavérunt. Lætáre, beáta Anna, quòd féminam pepéreris. Hæc enim fémina Dei mater futúra est, porta lucis, fons vitæ; et feminárum crímen abolébit. Hujus féminæ vultum deprecabuntur omnes dívites plebis. Féminam hanc reges géntium munéribus oblátis adorábunt. Hanc féminam Deo universórum regi ófferes, virtútum, tanquam fímbriis aúreis, circumamictam elegántiâ, sanctique Spíritûs grátiâ coronátam, cujus glória ab intus. Omnis quippe féminæ glóriæ vir est, à foris véniens : At Dei genitrícis glória ab intus est, ventris útique fructus.

LECTIO VI.

(Hom. 2, § 5.)

Age jam videámus, ex quo génere semper virens virginitátis ramus rectà vénerit; quis génitor, quæve génitrix illíus extíterit. Jóachim scílicet et Anna, illustre celebratissimumque Verbi par, conjúgiis ómnibus divínior compáges. Cujus enim ramus ómnia exúperat, cur radix cum eo non máximè cóngruat?... Límpidíssimus fons, sed qui nullum fluéntum emittébat. Quid ígitur? (Clamavérunt justi; et Dóminus exaudívit eos, et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos)... Exaudívit ítaque eos Dóminus, qui velox sit ad miserandum et tardus ad iram, donans eam quæ própriè Maríæ nomen gerit, in spléndidum et magníficum pro Eva prétium.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 3.)

In illo témpore; Jesus erat incípiens quasi annórum triginta, ut putabátur fílius

Joseph, qui fuit Heli. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Expos. Evang. secund. Luc. L. 3, § 13.)

Quod per Salomónem Matthæus generatiónem derivandam putávit, Lucas verò per Nathan, alter regálem, alter sacerdotálem Christi familiam vidétur ostendere. Quòd non ita accípere debémus, quòd álterum áltero vérius, sed alter álteri pari fide et veritáte concordet. Fuit enim vere et secundùm carnem regalis et sacerdotális familiæ rex ex régibus, sacérdos ex sacerdótibus, licèt oráculum non de carnálibus, sed de cœléstibus exprimátur; quóniam et rex in Dei virtúte lætátur, cui judícium à Patre rege defertur, et sacerdos in æternum secundùm quod scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. Bene igitur uterque ténuit fidem, ut Matthæus per reges ductam oríginem comprobáret; et Lucas per sacerdótes à Deo transmissam in Christum sériem géneris deducendo, sanctiórem ipsam oríginem declaráret.

LECTIO VIII.

(§ 43 et 44.)

Quomodo Scriptúra sólvitur, quæ regnáre eum dicit, et regnáre non ádstruit?... Interrogémus Scriptúras: invenímus quia regnum Dómini non est de hoc mundo; ipse enim dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Qui dicit non esse de hoc mundo regnum suum, ostendit esse suprà mundum. Ita et erat regnum ejus, et non erat: non erat in sæculo, erat suprà sæculum. Erat ergo regnum áliud veri David, quod solus Christus accépit; et erat semen áliud David quod in æternum manet, de quo solus generátus est Christus, qui solus verus filius David, cujus étiam solus nomen accépit, juxta quod scriptum est: Invéni David servum meum, in óleo sancto unxi eum; quod útique non de prophéta David, sed de Dómino dici præmissa déclarant... : Pósui adjutórium super potentem, et exaltávi electum de pópulo meo: solus enim potens, solus electus est Christus. Sanctórum enim majus in fide quàm in generatióne semen est; et ídeò Apóstolus: Si enim qui ex fide sunt, hi fílii sunt Abrahæ.

Lectio IX, de S. Stephano Papa et Martyre, et ejus commem. in Laudibus.

IN II VESPERIS.

Commem. sequentis ut in Breviario.

DIE I AUGUSTI.

IN FESTO

S. PETRI AD VINCULA.

Si Festum sancti Petri ad Vincula sit Annuale aut Solemne-majus, omnia ut in Breviario, supplendo ea quæ desunt, è Communi unius Martyris, et addendo ea quæ sequuntur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Psalmi de Communi unius Martyris.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Actibus Apostolórum.

(Cap. 12.)

Misit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joannis gládio. Videns autem quia pláceret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies azimórum. Quem cùm apprehendisset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiendum, volens post Pascha producere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

LECTIO II.

Cum autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus : et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit; et lumen refulsit in habitácnlo, percussoque látere Petri, excitávit eum dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum; Præcíngere et cálcea te calígas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et séquere me. Et éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est quod fiébat per Angelum : existimábat autem se visum vidére. Transeuntes autem primam et secundam custódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem; quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processérunt vicum unum. Et contínuò discessit Angelus ab eo

LECTIO III.

Et Petrus ad se reversus,

dixit : Nunc scio verè, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judæórum. Consideransque venit ad domum Maríæ matris Joannis qui cognominátus est Marcus, ubi erant multi congregáti, et orantes. Pulsante autem eo óstium jánuæ, processit puella ad audiendum, nómine Rhode. Et ut cognóvit vocem Petri, præ gáudio non áperuit jánuam, sed, intrò currens nuntiávit stare Petrum ante jánuam. At illi dixérunt ad eam : Insánis. Illa autem affirmábat sic se habére. Illi autem dicébant : Angelus ejus est. Petrus autem perseverábat pulsans. Cùm autem aperuissent, vidérunt eum et obstupuérunt. Annuens autem eis manu ut tacérent, narrávit quómodò Dóminus eduxisset eum de cárcere, dixitque : Nuntiáte Jacóbo et frátribus hæc. Et egressus ábiit in álium locum.

IN II.° NOCTURNO.

Ex unica Lectione quæ reperitur in Breviario fiunt tres, divisione factâ ad hæc verba : Non ita, *et* Ultimo Romæ.

IN III.° NOCTURNO.

Antiph. ℣. *et* ℟℟. *ut in Breviario.*

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 18.)

In illo témpore, Venit Jesus in partes Cæsáreæ Philippi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Hómilia sancti Joannis Chrysóstomi.

(In Matth. Homil. 55, n. 1.)

Vos verò quem me esse dícitis? Quid ígitur os Apóstolórum Petrus? Semper fervens, chori Apostólici coryphæus, cùm omnes interrogáti essent, ipse respondet. Et cùm de senténtia pópuli Christus sciscitarétur, omnes respondérunt : cùm autem de sua eos rogáret, Petrus prósilit et prævertit, aitque : Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Quid ergo Christus? Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam : et, Quæcumque sólveris super terram, erunt solúta et in cœlis. Viden quómodò ad sublimiórem de se opiniónem Petrum érigat, et seipsum revélet, ac per hasce duas promissiónes se Fílium Dei esse ostendat? Nam quæ uni Deo sunt própria, nempe peccáta sól-

vere, Ecclésiam in tanto flúctuum concursu immótam réddere, hominemque piscatórem, toto impugnante orbe, petrâ firmiórem réddere, hæc se illi datúrum pollicétur : sicut Pater Jeremíam álloquens, dicébat se posuisse illum sicut columnam æream et sicut murum; sed illum uni genti, hunc autem in universo terrárum orbe.

LECTIO VIII.

(N. 2.)

Libenter quærerem ab iis qui dignitátem Fílii minórem quàm Patris volunt, quæ majóra sint dona, an quæ Pater, an quæ Fílius Petro dedit. Nam Pater revelatiónem Fílii Petro dedit; Fílius verò et Patris et suam revelatiónem per totum orbem disseminávit, ac mortáli hómini omnem in cœlo potestátem dedit, dum claves illi trádidit, qui Ecclésiam per totum terrárum orbem extendit, et cœlis firmiórem monstrávit. Nam ait : Cœlum et terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt. Quómodò ergo minor is qui tália dedit, qui tália fecit? Hæc porrò dico non quòd Patris et Fílii ópera dívidam : ómnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; sed ut impudentem illórum linguam réprimam, qui tália proferre audent. Ex his autem ómnibus ejus poténtiam animadverte : Ego tibi dico, tu es Petrus : ego ædificábo Ecclésiam : ego tibi dabo claves cœlórum.

LECTIO IX.

(N. 3.)

Cum hæc dixisset, præcépit eis ut némini dícerent quòd ipse esset Christus. Et cur præcépit? Ut scándalis de médio sublátis, et cruce atque áliis quæ passus est consummátis, nulloque demum restante quod vel impedíret, vel turbáret fidem in ipsum à multis susceptam, sincéra et immóbilis circa ipsum opínio in auditórum ánimis imprimerétur. Certè, si ii qui signa víderant plúrima, et tot ineffabílium mysteriórum partícipes erant, vel solo audítu scandalizáti sunt, immò non ipsi soli, sed et Petrus ómnium coryphæus; cógites velim quid passúri erant plúrimi, si didicissent ipsum esse Fílium Dei, et pósteà vidissent eum crucifígi, et sputis fœdári, cùm mysteriórum hujúsmodi arcána non nossent, necdum Spíritum sanctum accepissent. Et ut discas quantùm intérerat plenam pósteà doctrínam accípere, summótis iis quæ offendículo esse póterant, id ab ipso coryphæo áccipe. Ipsa namque Petrus, qui post tot mirácula ádeò imbecillus appáruit, ut ne-

gáret, vilemque puellam timéret, postquàm crucis peracto mystério, resurrectiónis claras hábuit demonstratiónes, cùm nihil illi ultrà offendículo esset, nihil illum turbáret; sic immótam ténuit Spiritùs doctrínam, ut veheméntiùs quàm leo in Judæórum pópulum irrúeret, etsi perícula et mille mortes imminérent.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

CANTICUM.

(Eccli. 51.)

LIBERASTI me, Dómine, secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, * à rugiéntibus præparátis ad escam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

A lingua coinquináta, et à verbo mendácii, * à rege iníquo, et à lingua injusta.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, * et vita mea appropinquans erat in inferno deorsùm.

Circumdedérunt me úndique, * et non erat qui adjuváret.

Respíciens eram ad adjutórium hóminum, * et non erat.

Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, * et operatiónis tuæ quæ à século sunt:

Quóniam éruis sustinentes te, Dómine, * et líberas eos de mánibus géntium.

AD HORAS

Psalmi de Dominica.

Canon de Patrono.

IN II VESPERIS.

Psalmi de Comm. Apostolorum.

Post Capit. Allelúia, allel. ℣. Vivit Dóminus, quóniam revocávit me vobis gaudentem in victória sua, in evasióne mea. Allel. *Judith.* 13.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Omnia ut in Officio Patroni.

IN DIE OCTAVA.

Omnia ut in die, servato ritu Duplici-majori.

IN II.° NOCTURNO

Lectiones ut in Officio Patroni.

IN III.° NOCTURNO.

Lectiones ut in die.

DIE VI AUGUSTI.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

In Ecclesiis sub titulo Salvatoris dedicatis, hoc Festum est Annuale-majus. Omnia ut in Breviario, additis quæ sequuntur. Nulla fit Commemoratio.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Fidélis sermo: si commórtui sumus, et convivémus; si sustinébimus, et conregnábimus. 2. *Tim.* 2.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. F. Sumus Filii Dei et hærédes; cohærédes autem Christi, si tamen compátimur, ut et conglorificémur. *Rom.* 8.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 2. Quare fremuérunt, 2.

Ps. 8. Dómine, Dóminus noster, 37.

Ps. 20. Dómine, in virtúte tua, 80.

LECTIO I.

De Epístola secunda beáti Petri Apóstoli.

(Cap. 1.)

FRATRES, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem, et electiónem faciátis: hæc enim facientes, non peccábitis aliquando. Sic enim abundánter ministrábitur vobis introitus in æternum regnum Dómini nostri, et Salvatóris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper commonére de his, et quidem scientes et confirmátos vos in præsenti veritáte. Justum autem árbitror quámdiù sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne; certus quòd velox est depositio tabernáculi mei, secundùm quod et Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi.

LECTIO II.

DABO autem óperam et frequenter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. Non enim doctas fábulas secúti notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et præséntiam: sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accipiens enim à Deo Patre honórem et glóriam, voce

delapsâ ad eum hujuscémodi à magnífica glória : Hic est fílius meus dilectus, in quo mihi complácui, ipsum audíte. Et hanc vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm essémus cum ipso in monte sancto.

LECTIO III.

Et habémus firmiórem prophéticum sermónem : cui benefácitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginóso loco, donec dies elucescat, et lúcifer oriátur in córdibus vestris ; hoc primùm intelligentes quòd omnis prophetía scriptúræ própriâ interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquando prophetía : sed Spíritu sancto inspiráti, locúti sunt sancti Dei hómines.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 25. Dómini est terra, 52.

Ps. 28. Afferte Dómino, 137.

Ps. 35. Dixit injustus ut delinquat, 74.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 44. Eructávit cor meum, 137.

Ps. 75. Notus in Judæa, 129.

Ps. Quàm dilecta, 98.

AD LAUDES ET HORAS,

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM

CANON.

Ex sancto Bernardo.

(Serm. 33, de diversis.)

Christus Dóminus mons est, in quo omnes thesauri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi sunt. Veníte, ascendámus in hunc montem, fratres : et si via nobis vidétur árdua, exonerémus nos ; si arcta, étiam exinaníre nos non parcámus ; si longa, tantò magis festinémus ; si laboriósa, clamémus ei : Trahe nos post te, in odóre unguentórum tuórum currémus.

AD VESPERAS.

Ps. 109. Dixit, 21.

Ps. 111. Beátus vir, 22.

Ps. 112. Laudáte púeri, 23.

Ps. 121. Lætátus sum, 63.

Ps. 144. Exaltábo te, *cum suis divisionibus,* 102.

DIE VII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(De Transfigurat. c. 3.)

Aperit Dóminus coram electis téstibus glóriam suam, et commúnem illam cum céteris córporis formam tanto splendóre clarífícat, ut et fácies ejus solis fulgóri símilis, et vestítus

candóri nívium esset æquális. In qua Transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tollerétur; nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas passiónis, quibus reveláta esset abscónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntiâ spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum corpus Christi agnósceret quali esset commutatióne donandum; ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfulsisset.

Lect. III, de Festo occurr.

DIE VIII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

(Undè suprà.)

Confirmandis Apóstolis, et ad omnem sciéntiam provehendis, ália quoque in illo miráculo accessit instrúctio. Móyses enim et Elías, lex scílicet et Prophétæ, apparuérunt cum Dómino loquentes; ut veríssimè in illa quinque virórum præséntia complerétur quod dictum est: In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum.* Quid hoc stabílius, quid fírmius verbo, in cujus prædicatióne véteris et novi Testamenti cóncinit tuba, et cum evangélica doctrína antiquárum protestatiónum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi invicem utriusque fœderis páginæ; et quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, manifestum atque perspícuum præsentis glóriæ splendor ostendit.

Lectio III, de Festo occurrente, vel dividitur ad asteriscum.

DIE IX.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

(Undè suprà.)

His ergo sacramentórum revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, mundána spernens, et terréna fastídiens, in æternórum desidérium quodam mentis rapiebátur excessu; et gáudio totíus visiónis implétus, ibi cum Jesu optábat habitáre, ubi manifestátâ ejus glóriâ lætabátur. Undè et ait: Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Sed huic suggestióni Dóminus non respondit significans non quidem improbum, sed inordinátum esse quod cúperet, cùm salvári mundus, nisi Christi morte,

non posset, et exemplo Dómini in hoc vocarétur credéntium fides: ut licèt non oportéret de beátitudinis promissiónibus dubitári, intelligerémus tamen inter tentatiónes hujus vitæ priùs nobis tolerántiam postulandam esse quàm glóriam.

Lectio III, de Festo occurr.

DIE X.

Commemoratio Octavæ.

DIE XI.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Presbyteri.

(De Transfig. Dom.)

Ad nostram, Fratres carissimi, consciéntiam revertámur, et si Dómini glóriam vidére delectat, transítis carnálibus desidériis, subeámus in montem virtútum. Si ad vestimenta Dómini candidíssima pertinére vólumus, mundémus nos ab omni inquinamento carnis et spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei. Si vocem Dei Patris audíre, si consubstantiális ejus Fílii majestátem desiderámus intuéri, studeámus sollíciti perversa et inutília mortálium verba declináre, studeámus à supervácuis séculi fallentis óculos avértere spectáculis, quátenus resurrectiónis nostræ glóriâ coruscante, et ipsi quidem quæ modo nequímus, magnália nostri Conditóris vidére simul et dicere mereámur.

LECTIO III.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. de divers. 23.)

Quandoquidem omnes ascéndere nitímur, omnes téndimus in sublíme, sursùm adspirámus omnes, omnes conámur in altum: illuc studeámus ascéndere, ubi bonum sit nos esse, ubi secúrum sit non esse, unde cádere non opórteat, ubi stáre possímus. Nec modo ut desidérium provócet, ascensórem montis Dómini Prophéta requírit: verùm étiam ut ascéndere cupientem, modum dóceat ascendendi Felix, qui hujus montis ascensiónes in corde suo dispósuit concupiscens, et defíciens in átria Dómini. Síquidem mons iste mons uber, bonórum ómnium cúmulus, mons voluptátis æternæ, domus Dei est. Et beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! in sécula seculórum laudábunt te.

DIE XII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Leŏnis Papæ.

(Undè suprà.)

Assumpsit Jesus Petrum, et

Jacóbum, et fratrem ejus Joannem, et conscenso cum eis seorsùm monte præcelso, claritátem illis suæ glóriæ demonstrávit: quia licèt intellexissent in eo majestátem Dei, ipsíus tamen córporis, quo Divínitas tegebátur, poténtiam nesciébant. Et ídeò própriè signanterque promíserat quosdam de astántibus discípulis non priùs gustáre mortem, quàm vidérent Fílium hóminis venientem in regno suo, id est, régiâ claritáte, quam spiritáliter ad natúram suscepti hóminis pertinentem, his tribus viris vóluit esse conspícuam, Nam illam ipsíus Deitátis ineffábilem et inaccessíbilem visiónem, quæ in æternam vitam mundis corde servátur, nullo modo mortáli adhuc carne circúmdati intuéri póterant et vidére.

Lectio III, de sancta Clara.

VESPERÆ *de die Oct. ut in I Vesp. Festi, cum Commem. sanctæ Radegundis, et sanctæ Claræ.*

DIE XIII.

OCTAVA

TRANSFIGURATIONIS

DOMINI

Duplex-majus.

Omnia ut in die servato ritu Duplici-majori.

IN I. NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo Venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Undè suprà.)

QUIA Dóminus ac Redemptor noster electos suos per hujus vitæ labóres, ad illam, quæ labórem nescit vitam futúræ beatitúdinis introdúcere dispósuit, modò per Evangélium suum sudóres certáminum temporálium, modò æternórum descríbit palmam præmiórum: ut audítis vidélicet agónum necessitátibus, memínerent sibi réquiem in hac vita nequáquàm esse petendam: audítâ rursùm dulcédine futúræ retributiónis, lévius ferant mala transeúntia, quæ bonis speráverint remuneranda perpétuis.

LECTIO V.

OSTENSURUS glóriam suam discípulis, in montem eos ducit excelsum: ut dóceat omnes qui hanc vidére desíderant, non in ínfimis jacére voluptátibus, non illécebris servíre carnálibus, non cupiditátibus adhærére terrénis, sed æternórum amóre ad superna semper érigi. Transfigurátus ante discípulos Dóminus et sui córporis glóriam, quâ per resurrectiónem erat illustrandus, significat; et electórum ómnium quantæ cla-

ritátis post resurrectiónem sint córpora futúra manifestat.

LECTIO VI.

Quod si beátus Petrus glorificátam Christi humanitátem contemplátus, tanto afficitur gáudio; quis sermo explicáre, quis sensus valet comprehéndere quanta sint gáudia justórum, cùm accésserint ad Sion montem, et ad civitátem Dei viventis Jerúsalem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, ipsumque civitátis ejusdem artíficem et conditórem Deum, non per spéculum et in enígmate sicut nunc, sed fácie ad fáciem conspéxerint?

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 17.)

In illo témpore; Assúmit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem fratrem ejus; et ducit illos in montem excelsum seorsùm; et Transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(In Cap. 17. Matth.)

Dominus Scribis et Pharisæis tentántibus se, et de cœlo signa poscéntibus, dare nóluit, sed pravam postulatiónem confutávit responsióne prudenti. Hic verò ut Apostolórum áugeat fidem, dat signum de cœlo: Elíà indè descendente quò conscénderat, et Móyse ab ínferis resurgente: quod et Achaz per Isaíam præcípitur, ut petat sibi signum de excelso, aut de inferno. Nam quod dictum est: Apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquentes; et in álio refertur Evangélio, nuntiasse ei quæ Jerosólymis passúrus esset, lex osténditur et Prophétæ, qui et passiónem Dómini, et resurrectiónem crebris vócibus nuntiárunt.

LECTIO VIII.

Vox de cœlo Patris loquentis audítur, quæ testimónium perhíbeat Fílio: Hic est, ait, Fílius meus dilectus. Et audientes discípuli, cecidérunt in fáciem suam: quia humána fragílitas conspectum majóris glóriæ ferre non sústinet; ac toto ánimo et córpore contremiscens, ad terram cadit. Quantò quis amplióra quæsíerit, tantò magis ad inferióra collábitur, si ignoráverit mensúram suam. Levantes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Ne si Móyses et Elías perseverassent cum Dómino, Patris vox viderétur incerta, cui potíssimùm daret testimó-

nium. Vident ergo Jesum stantem ablátâ nube, et Móysen et Elíam evanuisse: quia postquam Legis et Prophetárum umbra discésserit, quæ velamento suo Apóstolos téxerat, utrumque lumen in Evangélio reperítur.

Lectio IX, de sancta Radegunde, duabus in unam junctis.

DIE X.

Si Festum sancti Laurentii celebretur ritu Annuali aut Solemni-majori, omnia ut in Proprium Sanctorum et in Comm. unius Martyris, servatis quæ suprà notata sunt pro Patronis.

Si habeat Octavam, non fit de ea nisi Commemoratio in Vigilia Assumptionis.

DIE XXV AUGUSTI.

IN FESTO

SANCTI LUDOVICI.

Si Festum sancti Ludovici celebretur ritu Annuali aut Solemni-majori, omnia ut in Breviario, exceptis quæ seq.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. et Capit. de Laudibus. ℟. 1. *ex Offic. Noct. cum* Glória.

Hymnus, Rex summe regum, *ut in Breviario, ad Offic. Noct.*

℣. Invéni servum meum: ℟. Oleo sancto meo unxi eum. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. *Duplicanda.* Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. 1. *Reg.* 13.

Collecta ut in Breviario. Fit Comm. sancti Bartholomæi.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capit de Feria.

Ant. de Communi Justorum.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir qui non ábiit, 2.

Ps. 2. Quare fremuérunt gentes, 2.

Ps. 5. Verba mea, 73.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 13.)

Omnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit. Non est enim potestas nisi à

Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinátæ sunt. Itaque qui resistit potestáti, Dei ordinatióni resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnatiónem acquírunt : nam príncipes non sunt timóri boni óperis, sed mali. Vis autem non timére potestátem ? Bonum fac ; et habébis laudem ex illa : Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum féceris, time : non enim sine causa gládium portat : Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.

LECTIO II.

Ideo necessitáte súbditi estóte, non solùm propter iram, sed étiam propter consciéntiam. Ideò enim et tribúta præstátis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Réddite ergo ómnibus débitum : cui tribútum, tribútum ; cui vectígal, vectígal ; cui timórem, timórem ; cui honórem, honórem. Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.

LECTIO III.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

(Cap. 2.)

Subjecti ígitur estóte ómni humánæ creatúræ propter Deum ; sive regi, quasi præcellenti ; sive dúcibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactórum, laudem verò bonórum : quia sic est voluntas Dei ; ut benè facientes obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignoántiam : quasi liberi, et non quasi velámen habentes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei. Omnes honoráte ; fraternitátem dilígite ; Deum timéte ; Regem honorificáte.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. Dómine, quis habitábit, 48. Exáudiat, 87. Dómine, in virtúte tua, 80.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. Dóminus illuminátio mea, *integer*, 97. Deus judícium, *integer*, 49. Misericórdiam, 50.

Ad Laud. *Pss. de Dominic. cum Cantico*, Benedictus es, Dómine, *in Laud. Feriæ V, pro Festis*, 94.

Ad Horas, *Psalmi de Dominica.*

Ad Primam, *Canon ut in Officio Patroni.*

Ad Vesp. *Psalmi* Dixit, 21. Beátus vir, 22. Laudáte Dóminum, omnes gentes, 135. Confitébor... quóniam, 102. Benedictus, *integer*, 143.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Omnia ut in die, servato ritu Octavarum. Psalmi de Feria.

DIE XXVI.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Enar. 3, in Ps. 32.)

JAM cessavérunt reges mali, facti sunt boni, credidérunt, et ipsi signum Crucis Christi in fronte jam portant, pretiósius signum quàm quælibet gemma diadématis. Illi qui sæviérunt, destructi sunt. Sed quis fecit hoc? fortè tu, ut extollas te? Dóminus díssipat consília géntium, réprobat autem cogitatiónes populórum, réprobat consília príncipum. Quando dixérunt, Tollámus eos de terra, non erit nomen christiánum si hoc fecérimus, si occidantur, si torqueantur, tália et tália illis infligantur, dicta sunt hæc, et inter hæc crevit Ecclésia.

LECTIO III.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

(Oratio de Obitu Theodosii, n. 12.)

LOCUTA est scriptúra dicens: Magnum et honorábile est homo misérícors: invenire autem virum fidélem difficile est. Si magnum est misericordem aut fidélem quemcumque hóminem invenire; quantò magis Imperatórem, quem potestas ad ulciscendum impellit, sed révocat ab ultióne miserátio! Quid præstántius fide Imperatóris quem non extollat poténtia, supérbia non érigat, sed píetas inclínet? de quo præcláre Sálomon ait: Iníquis regis minitátio símilis rugítui leónis; sicut autem ros in herba, sic et hilaritas ejus. Quantùm ígitur est depónere terrórem poténtiæ, præférre suavitátem grátiæ!

DIE XXIX.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Enar. in Psal. secundum.)

ET nunc, reges, intellígite. Jam innováti, jam contrítis carnálibus vasis erróris, quæ ad prætéritam vitam pértinent, nunc intellígite jam reges, id est, jam valentes régere quidquid in vobis servíle est: erudímini qui judicátis terram, servite Dómino in timóre et exultáte ei cum tremóre..... Id enim vobis éxpedit ut sub illo sitis à quo intellectus et erudítio vobis datur..... Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus et pereátis de via justa. Hæc magna pœna est quæ ab iis formidátur qui áliquid dulcédinis justítiæ percepérunt. Qui enim

perit de via justítiæ, cum magna miséria per vias iniquitátis errábit.

LECTIO III.

Ex ejusdem Epístola ad Bonifácium Cómitem.

(Ep. 185, al. 50.)

QUOMODO Reges Dómino serviunt in timóre, nisi ea quæ contrà jussa Dómini fiunt religiósâ severitáte prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, áliter quia étiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fidéliter: quia verò étiam rex est, servit, leges justa præcipientes et contrária prohibentes, convenienti rigóre sanciendo. Sicut servívit Ezechías, lucos et templa idolórum et illa excelsa quæ contra præcepta Dei fúerant constructa destruendo. In hoc ergo sérviunt Dómino reges, in quantum sunt reges, cùm ea fáciunt ad serviendum illi quæ non possunt fácere nisi reges.

DIE XXXI.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(In Ps. 103, Concion. 3, post medium.)

CEDRI Líbani, nóbiles et dívites et excelsi hujus sécúli, quóniam cum timóre áudiunt, Beátus qui intélligit super egénum et páuperem; attendunt res suas, villas suas et omnes supérfluas cópias quibus videntur excelsi, et præbent illas servis Dei; dant agros, dant hortos, ædificant Ecclésias, monastéria, cólligunt pásseres ut in cedris Líbani nidificent pásseres. Præbent ista, fáciunt hæc cedri Líbani quas plantávit Dóminus; fáciunt et libenter fáciunt; novérunt quid fáciant, novérunt quid accípiant.

LECTIO III.

(In Ps. 137.)

CONFITEANTUR tibi, Dómine, omnes reges terræ; sed et ipsi cùm tibi confitentur, cùm laudant te, non terréna desíderant à te. Quid enim reges terræ desideratúri sunt? Nonne jam habent ipsum impérium? Quidquid ámplius desideráverit homo in terra, usque ad impérium est desidérium ejus. Quid ámplius potest? Altior sublímitas necessária est. Sed fortasse quantò áltior, tantò periculósior. Ideòque reges quantò sunt in majóre sublimitáte terréna, tantò magis Deo humiliári debent... Non ergò sint reges terræ superbi, sed húmiles sint. Ambulent ergo et reges terræ in viis tuis, ámbulent et cantent in viis tuis. Quid cantent? Quóniam magna est glória Dómini, non regum

DIE I SEPTEMBRIS.

OCTAVA

SANCTI LUDOVICI.

Omnia ut in Die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Feria.

In I. Noct. *Lectiones de Script. occurr.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(Orat. de obitu Theodosii.)

Gratulatur Ecclésia, erubescit Judæus : nec solùm erubescit, sed étiam torquétur; quòd ipse sibi author confusiónis est. Dum insultat Christo, confessus est eum regem : dum regem Judæórum appellávit, sacrilégium suum, qui non crédidit, confitétur. Ecce, ínquiunt, crucifíximus Jesum; ut Christiáni, et post mortem resurgant, et mórtui regnent. Ecce et clavus in honóre est; et quem ad mortem préssimus, remédium salútis est, atque invisíbili quâdam potestáte dæmónes torquet.

LECTIO V.

Putabamus nos vicisse, sed victos fatémur. Iterum Christus resurrexit, et resurrexisse eum príncipes agnovérunt. Prona enim potestas in vítium ferebátur, et more pécudum vagà sese libídine polluébant. Ignorábant Deum, restrinxit eos crux Dómini, et revocávit à lapsu impietátis. Levávit óculos eórum ut Christum in cœlum quærerent.

LECTIO VI.

Exuerunt se chamo perfídiæ, suscepérunt fræna devotiónis et fídei, secúti dicentem: Tóllite jugum meum super vos..... Jugum enim meum suáve est et onus meum leve. Non ergo mentíta est prophétia dicens : Ambulábunt reges in lúmine tuo. Ambulábunt planè, non jam armis mílitum, sed méritis suis tecti; non purpúreum hábitum, sed amictum indúti glóriæ.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 22.)

In illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis. Reges géntium dominantur eórum, et qui potestátem habent super eos benéfici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrátor. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Episcopi.

(De veritate Præd. et Gratiæ l. 2, c. 22.)

CLEMENTISSIMUS Imperátor non ídeo est vas misericórdiæ præparátum in glóriam, quia ápicem terréni principátûs accépit; sed si in imperiáli cúlmine rectâ fide vivat, et verâ cordis humilitáte præditus, culmen régiæ dignitátis sanctæ religióni subjíciat. Si magis in timóre sérviat Deo, quàm in timóre dominári pópulo delectétur. Si in eo lénitas iracúndiam mítiget, ornet benígnitas potestátem. Si se magis diligendum, quàm metuendum cunctis exhíbeat: si subjectis salúbriter cónsulat. Si justítiam sic téneat, ut misericórdiam non relinquat: si præ ómnibus se sanctæ matris Ecclésiæ Cathólicæ memínerit fílium, ut ejus paci atque tranquillitáti, per universum mundum prodesse fáciat suum principátum.

LECTIO VIII.

Non ergo per quámlibet séculi aut Ecclésiæ dignitátem, sed per fidem quæ per dilectiónem operátur, unusquisque vas in honórem dono Dei miserantis effícitur. Non enim Salvátor noster beátos vóluit nuncupári habentes seculárem aut ecclesiásticam dignitátem; sed páuperes spíritu, mites, lugentes, esurientes, sitientesque justítiam, misericordes, mundo corde, pacíficos, et qui persecutiónem propter justítiam patiuntur. Nec Abraham patrem nostrum temporáles honóres vel divítiæ ad Dei amicítiam perduxérunt: sed quia crédidit Deo reputátum est ei ad justítiam, et ámicus Dei appellátus est. Nec páuperem Lázarum ærumnâ paupertátis et famis afflictum, ab æternâ réquie inópia atque ignobílitas temporális exclúsit. Deus enim páuperes elégit in hoc mundo dívites in fide, et hærédes regni quod promísit diligéntibus se. Ipsâ fide divites fiunt omnes, qui scientes quia præterit figúra hujus mundi, mórtui peccáto, viventes autem Deo, non in dignitáte temporáli, sed in cruce Dómini nostri Jesu Christi cum Apóstolo gloriantur.

Lect. IX, de sancto Ægidio, cum Commem. de eo, in Laud. et Vesp.

TOUSSAINT

COMMUNE SANCTORUM.

PARS ÆSTIVA.

COMMUNE APOSTOLORUM.

(*In hoc Communi, et in ceteris, ad primas Vesperas semper dicuntur Psalmi de Feria.*)

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. Vocávit Jesus discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Ant. 3. a. Vocávit ad se quos vóluit; et dedit illis potestátem curandi infirmitátes, et ejiciendi dæmónia. *Marc.* 3.

Ant. 4. E. Hos misit Jesus, præcípiens eis: Ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. *Matth.* 10.

Ant. 5. C. Euntes prædicáte, dicentes: Quia appropinquávit regnum cœlórum. *Matth.* 10.

Ant. 7. d. Egressi autem, circuíbant per castella, evangelizantes, et curantes ubíque. *Luc.* 9.

Capitulum. (*Hebr.* 2.)

Cum inítium accepisset salus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestante Deo signis et portentis, et váriis virtútibus, et Spíritûs sancti distributiónibus secundùm suam voluntátem.

[*In Duplicibus-majoribus et suprà;*

℟. Ecce dedi vobis potestátem super omnem virtútem inimíci: * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: ✝ Gaudéte quòd nómina vestra scripta sunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, et in laudem ómnibus pópulis: * Verúmtamen. Glória. ✝ Gaudéte. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

HYMNUS.

Lætare, cœlum; pláusibus
Tellus resultet æmulis:
Apostolórum glóriam
Solemnis instaurat dies.

Vos ceu tubis sonántibus,
Christum per orbem spárgitis:
Vos illa sacris vátibus
Prædicta mundi lúmina.

Qui, dante Christo, pánditis,
Qui cláuditis cœli fores,
Nos críminum tenácibus
Vinclis ligátos sólvite.

Potente qui nutu graves
Morbos fugátis córporum
Desiderátam póscite
Ægris medélam móribus.

Sublimis ut cùm vénerit,
Vobis simul sedéntibus,
Ad déxterum Judex latus
Nos inter agnos cóllocet.
Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit vérbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

[*In Solemnibus-minoribus et supra, Antiphona sequens dicitur integra ante et post Canticum : et sic in aliis Communibus.*]

Ad Magnificat, *Ant.* 1. f. Prædicábant ut pœniténtiam ágerent : et dæmónia multa ejiciébant, et ungébant óleo multos ægros, et sanábant. *Marc.* 6.

Collecta, ut in Proprio.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium,* (*in quo semper dicuntur Ps. feriales*) *Ant.* 1. a. Vos estis lux mundi : lúceat lux vestra coram homínibus. *Matth.* 5.

In fine Hymni Doxologia: Uni sit, VI.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Vox speculatórum Sion : parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium. *Is.* 52.]

AD OFFIC. NOCTURNUM

INVITATORIUM.

Christum Apostolórum Magistrum et Dóminum, * Veníte adorémus. *Joan.* 13.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Supréme, quales, Arbiter,
Tibi ministros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas committere !
Hæc nempe plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis :
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fúlgura.
Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant :
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérplaunt.
Christum sonant : veres ruunt
Arces superbæ dæmonum.
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.
Fac, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent :
Accensa de te lúmina.
Pellant tenébras méntium.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

[*In Annualibus et Solemnibus-majoribus, ad Officium Noct. itemque ad II. Vesperas, Psalmi sunt proprii, prout designantur in Proprio Ecclesiarum, vel, si nulli sunt ejusmodi, sumuntur de Dominica : ad Laudes verò, ad Horas, et ad Completorium,*

dicuntur de Dominica; et sic in omni alio Communi.

In Solemnibus-minoribus et infra, Psalmi in toto Officio semper sunt de Feria.]

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 1. g. Convocátis, Jesus duódecim Apóstolis, cœpit illos míttere binos prædicáre regnum Dei. *Luc.* 9. *Marc.* 6.

Ant. 2. D. Præcípiens, dicébat eis: Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, dæmones ejícite: gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10.

Ant. 3. c. Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris: dignus enim est operárius cibo suo. *Matth.* 10.

℣. Custodiébant testimónia ejus, ℟. Et præceptum quod dedit illis. *Ps.* 98.

Pater noster. *Benedictiones habentur in Ordinario*, 151.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

[*In Annualibus et Solemnibus-majoribus, Lectiones sunt propriæ; et sic in omni alio Communi.*]

℟. I. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum: * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, et símplices sicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prudéntia, et próteget gradientes simplíciter: * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

℟. II. Tradémini à parentibus, et cognátis, et amícis; et morte affícient ex vobis, et capillus de cápite vestro non perìbit: * In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. ℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis; ego, ego ipse consolábor vos: * In patiéntia. *Luc.* 21. *Is.* 51.

℟. III. Cùm tradent vos; nolíte cogitáre quómodò, aut quid loquámini: * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Spíritus meus erit in médio vestrûm, nolíte timére: * Non. Glória. * Non. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 4. E. In quamcumque domum intravéritis, dícite: Pax huic dómui, et si ibi fúerit fílius pacis, requiescet super illum pax vestra. *Luc.* 10.

Ant. 5. a. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10.

Ant. 6. F. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. *Matth.* 10.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

Pater noster. *Benedictiones habentur in Ordinario*, 151.

Tres Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. IV. Vos estis qui permansistis mecum in tentatiónibus meis : * Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum. ℣. Dispósui testamentum electis meis : * Et ego dispóno vobis. *Luc.* 22. *Ps.* 88.

℟. V. Jam non dicam vos servos : vos autem dixi amícos ; * Quia ómnia quæcumque audívi à Patre meo, nota feci vobis. ℣. Antíqua ne intueámini : ecce ego fácio nova, et nunc orientur : útique cognoscétis ea ; * Quia. *Joan.* 15. *Is.* 43.

℟. VI. Elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat ; * Ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. ℣. Quod salvátum fúerit de domo Juda, fáciet fructum : zelus Dómini exercítuum fáciet istud ; * Ut. Glória Patri. * Ut. *Joan.* 15. *Is.* 37.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 8. G. Príncipes géntium dominantur eórum ; et qui majóres sunt, potestátem exercent in eos : non ita erit inter vos. *Matth.* 20.

Ant. 7. d. Quicumque volúerit inter vos major fíeri, sit vester minister : sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre. *Matth.* 20.

Ant. 3. à. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inútiles sumus ; quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam ℟. Super misericórdia tua et veritáte tua. *Ps.* 113.

Pater noster. *Benedictiones habentur in Ordinario*, 152.

Evangelium et Homília, ut in Proprio Sanctorum.

℟. VII. Mementóte sermónis mei quem ego dixi vobis : * Non est servus major dómino suo : si me persecúti sunt, et vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguà dolósà, et sermónibus ódii circumdedéruntme: * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

℟. VIII. De mundo non estís, sed ego elégi vos de mundo ; proptéreà odit vos mundus : sed * Confídite, ego vici mundum. ℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos ; éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos : * Confídite. *Joan.* 15. *Ps.* 36.

℟. IX. Pater sancte, serva eos in nómine tuo quos dedisti mihi. Sicut tu me misisti in mundum, ego misi eos in mundum ; et * Pro eis ego sanctífico meipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte. ℣. Sanctificábunt Sanctum Jacob, et Deum Israel prædicábunt : * Pro. Glória. * Pro. *Joan.* 17. *Is.* 29.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confitémini

Dómino, et invocáte nomen ejus : ℟. Annuntiáte inter gentes ópera ejus. *Ps.* 104.

AD LAUDES.

Ant. 8. *G.* Jesus locútus est úndecim discípulis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo, docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

Ant. 6. F. Prædicáte, Evangélium omni creatúræ baptizantes eos, docentes serváre ómnia quæcumque mandávi vobis. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

Ant. 2. D. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; et quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20.

Ant. 4. D. Accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos; et éritis mihi testes usque ad últimum terræ. *Act.* 1.

Ant. 1. a. Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

Capitulum. (*Ephes.* 4.)

CHRISTUS dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres, et Doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

HYMNUS.

CŒLESTIS aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bisséna mundi lúmina,
Olim futúri júdices :
MERSIS gravi calígine,
Per vos dies renáscitur :
Quos vanus error lúserat,
Illustrat alma véritas.
NON vi, nec armis míli-
tum,
Fandi nec ullis ártibus,
Verbo sed irrísæ Crucis,
Christo rebelles súbditis.
QUIBUS gemébat súbditus,
Rumpuntur orbis víncula :
Jam gaudet, excusso jugo,
Liber Dei sub légibus.
VULGATA terris ómnibus
Per vos Dei mystéria :
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.
UNI sit et trino Deo
Supréma laus, summum de-
cus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham. ℟. Quóniam Dii fortes terræ vehementer eleváti sunt. *Ps.* 46.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà, Antiph. sequens dicitur integra, ante et post Canticum, et sic in aliis Communibus.*]

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Vos qui secúti estis me, in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos judicantes duódecim tribus Israel. *Matth.* 19.

Collecta ut in Proprio.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia :*

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.]

Antiph. de Laudibus, quartâ prætermissâ ; quod semper observatur, in aliis Communibus, nisi aliter notetur.

AD PRIMAM.

Ant. 8. *G.* Jesus.

[*In Solemnibus-maj. et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui es Apostolórum Magister, * et Dóminus. *Joan.* 13.]

Cetera, ut in Ord. Brev.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Prædicáte.

Capitulum. (2. *Cor.* 2.)

Deo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

[*In Solemnibus-minoribus et supra, ac per Octav. Annualium (nisi aliter notetur in* ℟℟℟. *brevibus additur* * Allelúia, allelúia. *Isque ritus servatur in quolibet Communi.*]

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ * verba eórum. * Exívit sonus eórum. Glória. In.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

Collecta ut in Proprio, et sic ad Sextam et ad Nonam, quod observatur in omni alio Communi.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Quorum.

Capitulum. (2. *Cor.* 5.)

Posuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. *br.* Dóminus excelsus * Subjécit pópulos nobis. Dóminus. ℣. Elégit nobis * hæreditátem suam : * Subjécit pópulos nobis. Glória Patri. Dóminus excelsus. *Ps.* 46.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : ℟. Nimis confortátus est príncipátus eórum. *Ps.* 138.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Ecce.

Capitulum. (2. *Thess.* 2.)

State, et teneté traditiónes quas didicistis sive per sermónem, sive per epístolam nostram. Ipse autem Dóminus noster Jesus Christus, et Deus, et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolatiónem æternam, et spem

bonam in grátia, exhortétur corda vestra, et confirmet in omni ópere et sermóne bono.

℟. *br.* Confitébimur tibi, Deus : * Invocábimus nomen tuum. Confitébimur. ℣. Narrábimus * mirabília tua : * Invocábimus nomen tuum. Glória Patri. Confitébimur. *Ps.* 74.

℣. Confitébimur tibi in séculum : ℟. In generatiónem et generatiónem annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. Injecérunt manus in Apóstolos, et posuérunt eos in custódia. *Act.* 5.

Ant. 2. D. Cæsis denuntiavérunt ne omnínò loquerentur in nómine Jesu. *Act.* 5.

Act. 4. E. Ibant gaudentes à conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Act.* 5.

Ant. 1. g. Loquebantur verbum Dei cum fidúcia; et virtúte magnâ reddébant testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4.

Ant. 3. a. Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Capitulum. (1. *Cor.* 4.)

Deus non Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et ángelis, et homínibus.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia ℣. Exulta cœlum, et sancti Apóstoli, quóniam judicávit Deus judícium vestrum. Allelúia. *Apoc.* 18.]

HYMNUS.

Quem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

Occisus Agnus à lupis,
Vos misit agnos ad lupos :
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere;
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ.
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : ℟. Constítues eos príncipes super omnem terram. *Ps.* 44.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà, Antiphona sequens dicitur integrà, ante et post Canticum ; et sic in aliis Communibus.*]

Ad Magnificat, *Ant.* 5. C. In fundámentis civitátis sanctæ Jerúsalem nómina duódecim Apostolórum Agni : et lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

Collecta, ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 8. G. Fortitúdo símplicis via Dómini : justus in æternum non commovébitur. *Prov.* 10.

Ant. 4. E. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34.

Ant. 3. a. Qui audit Sapiéntiam, permanébit confídens; quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis elígit eum. *Eccli.* 4.

Ant. 6. *C.* Timórem, et metum, et probatiónem indúcet super illum, donec credat ánimæ illíus; et firmábit illum. *Eccli.* 4.

Ant. 1. D. In tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit à malis; et non illidétur quasi in procella navis. *Eccli.* 33.

Capitulum. (*Josue* 1.)

Ecce præcípio tibi : Confortáre, et esto robustus. Noli metúere, et noli timére; quóniam tecum est Dóminus Deus tuus.

In Duplicib.-maj. et suprà:

℟. Cepérunt me inimíci mei gratis : dixi, Périi; vocem meam, Dómine, audísti : * Dixisti, Ne tímeas : ✝ Judicasti causam ánimæ meæ, Redemptor vitæ meæ. ℣. Ego non solùm alligári, sed et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu : Dixisti. Glória. ✝ Judicasti. *Thren.* 3. *Act.* 21.

HYMNUS.

Ex quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Christi pudet :
Quin surgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

Parata spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat :
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da Christe, tanti mílitis

Æquáre facta fórtia :
Da sustinére pro tuo
Quodcumque durum nómine.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Mártyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.

℣. In Deo spéravi, ℟. Non timébo quid fáciat mihi caro. *Ps.* 55.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. G. Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. *Is.* 12.

Collecta, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

[*In Solemn.-maj. et supr., ad Complet. Ant.* 3. *à.* Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus. *Joan.* 8.

In fine Hymni Doxol. Sit laus, v.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Ego ad Dóminum aspíciam : expectábo Deum salvatórem meum. *Mich.* 7.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum patiéntiæ et solátii,
*Veníte, adorémus. *Rom.* 15.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Felix morte tua, qui cruciátibus
Cœlo diffícilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem!
Pœnis victa quibus defíceret fides,
Tu pœnas ávidà mente præóccupas :
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.
Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere :
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.
Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infída Deo, quærimus ánxii :
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat.
Semper máxima laus ingénito Patri :
Semper laus génito máxima Fílio :
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Omnis qui te colit, Dómine, vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

Ant. 8. G. Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injustè. 1. *Petr.* 2.

Ant. 6. F. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit. *Marc.* 13.

℣. Cepérunt ánimam meam; irruérunt in me fortes: ℟. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine. *Ps.* 58.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem transit : * Vestígia ejus secútus est pes meus ; viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoscendum Christum, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus : * Vestígia. *Job.* 23. *Philipp.* 3.

℟. II. Certámen fórte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret ; et sciret quóniam ómnium poténtior est Sapiéntia. ℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo, * Ut vínceret. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. III. Custodívit illum Dóminus ab inimícis : * Descendit cum illo in fóveam, et † In vínculis non derelíquit illum. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus : * Descendit. Glória. † In vínculis. *Sap.* 10. *Act.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 1. f. Etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effúgiam, quamobrem fórtiter vità excedendo, exemplum forte relinquam. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. *d.* Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6.

Ant. 8. c. E cœlo membra ista possídeo ; sed propter Dei leges hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero. 2. *Mach.* 7.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam ; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Factus es mihi adjútor, Dómine, et liberásti me* A rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quærénti um ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me ; et liberátus sum de ore leónis, * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 2. *Tim.* 4.

℟. V. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres ; secundùm ánimam verò, propter timórem tuum, libenter hæc pátior. ℣. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea : * Duros. 1. *Mach.* 6. *Coloss.* 1.

℟. VI. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo ; * Et salvum fáciet in regnum suum cœleste. ℣. In die tribulatiónis exultábo in Deo Jesu meo : super excelsa dedúcet me victor ; * Et. Glória. * Et. 2. *Tim.* 4. *Habac.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam tuam ; et quia sustinuisti

propter nomen meum, et non defecisti. *Apoc.* 2.

Ant. 4. d. Scient omnes quia ego dilexi te: quóniam servasti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab hora tentatiónis. *Apoc.* 3.

Ant. 3. c. Qui vícerit, et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, sicut et ego accépi à Patre meo. *Apoc.* 2.

℣. In die tribulatiónis éruam te, ℟. Et honorificábis me. *Ps.* 49.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam. ℣. Erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuisti fidúciam, ait Dóminus. * Qui. *Marc.* 8. *Jer.* 39.

℟. VIII. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ: * Qui vícerit, non lædétur à morte secunda. ℣. Usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit pro te inimícos tuos: * Qui vícerit. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

℟. IX. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei; * Et foràs non egrediétur ámpliùs: et ✝ Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitátis novæ Jerúsalem. ℣. Plantábo eum, et non turbábitur ámpliùs; nec addent fílii iniquitátis, ut afflígant eum sicut prius,* Et foras. Glória. ✝ Scribam. *Apoc.* 3. 2. *Reg.* 7.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam: ℟. Et exultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

AD LAUDES.

Ant. 3. à. Dóminus mecum est, quasi bellátor fortis: idcircò qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt. *Jerem.* 20.

Ant. 1. f. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret: memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, quóniam éruis sustinentes te. *Eccli.* 51.

Ant. 2. D. Bonus Dóminus, et confortans in die tribulatiónis, et sciens sperantes in se. *Nahum* 1.

Ant. 4. A. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum, quia liberávit ánimam páuperis de manu málórum. *Jer.* 20.

Ant. 7. d. Eripuisti me de témpore iníquo, proptéreà confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. *Eccli.* 51.

Capitulum. (*Apoc.* 3.)

Qui vícerit, vestiétur vestimentis albis; et non delébo nomen ejus de líbro vitæ: et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.

HYMNUS.

JAM non te lácerant carnífícum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco
Fulgentes hábitas domos.
NON jam víncla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
NEC te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas;
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus et índuit.
SIC tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória vindicet;
Confundisque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.
SEMPER máxima laus ingénito Patri:
Semper laus génito máxima Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Adjútor meus, tibi psallam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Tim.* 4.

COLLECTA. Orémus.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injuste persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per Dóminum nostrum.

ALIA COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide et sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per Dóminum.

Si sit summus Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui beátum *N.* apostólici principátûs prærogatívâ conspícuum, martyrii corónâ illustriórem effecísti; da Ecclésiæ tuæ ejus patrocínio adjuvári, cujus labóribus exculta flóruit et sánguine crevit fœcundáta; Per Dóminum.

Si sit fundator alicujus Ecclesiæ,

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui per beátum *N.* Mártyrem tuum atque Pontíficem (*vel* Presbyterum), in fidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis venire tribuísti; da nobis ejus intercessióne, in fide stábiles, et à spe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per.

Si sit tantùm Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis: da nobis in festivitáte beáti *N.* cum gratiárum actióne lætári, qui Filii tui Martyr et Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; et quod prædicávit ore, confirmávit exemplo; Per eumdem.

ALIA COLLECTA. Orémus.

DEUS, cujus grátia beátum *N.* Pontíficem tuum in Sacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit: da nobis ex ejus imitatióne pópulum christiánum et instrúere vivendi exemplo, et confirmáre patiendo; Per.

Si sit Sacerdos tantùm.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, à quo constántiam fides, et virtútem sumit infírmitas: quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis et Mártyris tui exemplo et précibus, quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per.

AD HORAS, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia sequens:*

SIT laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Mártyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 3. à. Dóminus.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui confortas * in die tribulatiónis. *Nahum.* 1.]

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Circumdedérunt me.

Capitulum. (*Is.* 41.)

ERUNT quasi non sint, et véluti consúmptio, hómines bellantes adversùm te; quia ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne tímeas, ego adjúvi te.

℟. *br.* In Deo salutáre meum, * Et glória mea. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, * et spes mea in Deo est, * Et glória mea. Glória. In. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, et sperábo in eum: ℟. Protector meus, et cornu salútis meæ. *Ps.* 17.

Collecta, ut suprà ad Laudes; et sic ad Sextam et ad Nonam:

AD SEXTAM.

Ant. 2. D Bonus Dóminus.

Capitulum. (2. *Tim.* 1.)

PATIOR, sed non confundor: scio enim cui crédidi; et certus sum quia potens est

depósitum meum serváre in illum diem.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra, * Non timébit cor meum. * Si. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo: * Non. Glória. Si. *Ps.* 26.

℣. Dóminus mihi adjútor, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Eripuisti me.

Capitulum. (*Tob.* 3.)

Post tempestátem tranquillum facis, Dómine, et post lacrymatiónem et fletum, exultatiónem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula.

℟. *br.* Factus es, Dómine, * Susceptor meus. Factus es. ℣. Et refúgium meum * in die tribulatiónis, * Susceptor. Glória Patri. Factus. *Ps.* 58.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

AD II. VESPERAS.

Ant. 8. G. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ánimam suam. *Philipp.* 2.

Ant. 3. a. Patienter sústinens, destinávit non admittere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. a. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. *Hebr.* 11.

Ant. 5. C. Gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam complectens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6.

Ant. 1. D. Hoc modo vitâ decessit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis et fortitúdinis derelinquens. 2. *Mach.* 6.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

Beatus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà:*

Allelúia, allelúia. ℣. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod est in paradíso Dei mei. Allelúia. *Apoc.* 2.]

Hymnus, Ex quo, salus, *ut in I. Vesperis, p.* VIII.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam ℟. de lápide pretióso. *Ps.* 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. D. Justum non derelíquit Deus, donec afferret illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant; et dedit illi claritátem æternam. *Sapient.* 10.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. Vénit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. *Joan.* 16.

Ant. 3. c. Injícient vobis manus suas, et persequentur, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum. *Luc.* 21.

Ant. 4. *D.* Tradet autem frater fratrem in mortem; et insurgent filii in parentes, et morte eos affícient. *Matth.* 10.

Ant. 1. D. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10.

Ant. 8. *G.* Dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. *Luc.* 21.

Capitulum. (1. *Petr.* 4.)

Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiescit.

In Duplicibus-majoribus, et supra:

℟. In nullo terreámini ab adversáriis; *Quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. Confortámini, et non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces óperi vestro; *Quia. Glória Patri. *Quia. *Philipp.* 1. 2. *Paral.* 15.

HYMNUS.

Christi Martyribus débita nos decet
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere séculum.
Cœlestis Pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi spernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carnificum truces:
Fœtas supplíciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.
O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus' láceros qui crúciat dolor,
Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
Ergo nunc própior, Christe, tibi sedet

Palmis turba niters usque
viréntibus,
Victorumque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio:
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contemptâ nece, Mártyres.
Amen.

℣. Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, et exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte et exultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

Collecta, ut infrà ad Laud.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium: Ant.* 2. A. Complebuntur dies luctûs tui, Sion: non óccidet ultrà sol tuus: pópulus tuus omnes justi. *Is.* 60.

In fine Hymni, Doxologia: Sit laus, XIX.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Sérvient Deo servi ejus, et vidébunt fáciem ejus; et nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Dominum legítimè certantes
coronantem, * Veníte, adorémus. 2. *Tim.* 2.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Fortes cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœlestis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.
Acti procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur, et Christo duce,
Portus beátos óccupant.
Sævit tyrannus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem díligunt.
Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.
Et ille mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.
Implére vos omnes decet
Passo Deo quod défuit:
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Mártyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Convenérunt adversùm nos, ut nos dispérdant: quómodò potérimus

subsístere, nisi tu, Deus, ádjuves nos? 1. *Mach.* 3.

Ant. 5. a. Séquimur te in toto corde, et timémus te, et quærimus fáciem tuam: érue nos, et da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3.

Ant. 8. G. Omnes qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua; et sciant quia tu es Dóminus Deus solus. *Dan.* 3.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne, ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Nos stulti propter Christum: maledícimur, et benedícimus: * Persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis: * Persecutiónem pátimur. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43

℟. II. Quis nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an persecútio? an gládius? * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à caritáte Dei. ℣. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, Dómine; * Neque mors. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. III. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu, * Módicum passos ipse perfíciet: ipsi glória et impérium ✝ In sécula seculórum. ℣. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit: * Módicum. Glória Patri. ✝ In sécula. 1. *Petr.* 5. 2. *Mach.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. b. In mortem trádimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 3. b. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

Ant. 6. F. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem et justítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem; ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Absit à nobis, ut relinquámus Dóminum, et serviámus diis aliénis: * Dómino Deo nostro serviémus, et obedientes érimus præceptis ejus. ℣. Et si sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra; nobis tamen unus Deus: * Dómino. *Josue* 24. 1. *Cor.* 8.

℟. V. Dóminus Deus aspíciet veritátem, et consolábitur in nobis. * Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, íterùm ab ipso resuscitandos.

℣. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolátio nostra: * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

℟. VI. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles.* In. Glória Patri. * In. 2. *Cor.* 6. *Judith* 8.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Ruent in gládio, et in flamma, et in captivitáte; ut conflentur, et dealbentur usque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11.

Ant. 4. A. Distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. *Hebr.* 11.

Ant. 8. c. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est! *Sap.* 5.

℣. Salus justórum à Dómino; ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Ludíbria et vérbera experti, ínsuper et víncula et cárceres. * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. ℣. Tradidérunt córpora sua, ne servírent, et ne adorárent omnem deum, excepto Deo suo: * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

℟. VIII. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptéreà lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: * Proptéreà. *Apoc.* 12. 2. *Mach.* 7.

℟. IX. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi; * Et ✝ Regnum obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes; * Et regnum. Glória Patri. ✝ Regnum. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

AD LAUDES

Ant. 8. G. Datum est bestiæ bellum fácere cum sanctis, et víncere eos. *Apoc.* 13.

Ant. 7. *d.* Elegérunt magis mori, et noluérunt infringere legem Dei sanctam; et trucidáti sunt. 1. *Mach.* 1.

Ant. 1. f. Si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

Ant. 2. D. In paucis vexá-

ti, in multis bene disponentur; quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. *Sap.* 3.

Ant. 7. d. Tanquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocausti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respectus illórum. *Sap.* 3.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

OMNE gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: scientes quòd probátio fídei vestræ patiéntiam operátur; patiéntia autem opus perfectum habet.

HYMNUS.

QUAM, Christe, signasti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequuntur mílites.
FOSSUS manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres
Addunt triumpho se tuo.
OMNES in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.
AUDÍRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat,
Audi tuos, qui sánguinem
Fudêre pro te, Mártyres.
FAC, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péotora,
Ipsis tyrannis sævior.
SIT laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Martyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. *Matth.* 5.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiernâ die sanctórum Mártyrum tuórum *N.* et *N.* gloriósum triumphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiæ muniámur; Per Dóminum nostrum.

ALIA COLLECTA. Orémus.

OMNÍPOTENS sempiterne Deus, qui in sanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis: da méntibus nostris eamdem fídei caritatisque virtútem; ut Mártyrum tuórum *N.* et sociórum, quorum gaudémus victóriis, proficiámus exemplis; Per.

[AD HORAS, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia:*

SIT laus Patri laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,

Quo roborante, Martyres,
Victis triumphant hóstibus.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Datum est béstiæ.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui legítimè certantes * corónas. 2. *Tim.* 2.]

AD TERTIAM.

Ant. 7. *d.* Elegérunt.

Capitulum. (*Sap.* 3.)

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum; et quod à nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace.

℟. *br.* Custódit Dóminus * Animas sanctórum suórum. Custódit. ℣. De manu peccatóris * liberábit * Animas sanctórum suórum. Glória Patri. Custódit. *Ps.* 96.

℣. Dóminus loquétur pacem in plebem suam, ℟. Et super sanctos suos. *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Si coram homínibus.

Capitulum. (2. *Cor.* 4.)

Quod in præsenti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.

℟. *br.* Probasti nos, Deus, * Et eduxisti nos in refrigérium. Probasti. ℣. Igne nos examinasti * sicut examinátur argentum, * Et eduxisti. Glória Patri. Probasti. *Ps.* 65.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Tanquam aurum.

Capitulum. (*Isaiæ* 9.)

Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victóres captà prædà, quando dividunt spólia.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, * In exultatióne metent. Qui. ℣. Euntes ibant et flebant, * mittentes sémina sua; * In exultatióne metent. Glória Patri. Qui séminant.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. Vidi ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium quod habébant. *Apoc.* 6.

Ant. 4. *D.* Stabant ante thronum in conspectu Agni; et palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 8. G. Venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7.

Ant. 1. D. Ante thronum Dei sunt, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; etqui sed et in throno, habitábit super illos. *Apoc. c.* 7.

Ant. 3. a. Non esúrient, neque sítient ámpliùs; nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. *Apoc.* 7.

Capitulum. (*Apoc.* 21.)

ABSTERGET Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; et mors ultrà non erit: neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà:*

Allelúia, allelúia, ℣. In his secunda mors non habet potestátem, sed erunt Sacerdótes Dei et Christi, et regnábunt cum illo. Alleluia. *Apoc.* 26.]

Hymnus, Christi Martyribus, *ut in primis Vesperis*, xv.

℣. In æternum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiéscerent, donec compleantur conservi eórum, qui interficiendi sunt sicut et illi. *Apoc.* 6.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE PONTIFICUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 3. a. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet. 1. *Reg.* 2.

Ant. 8. *G.* Elégi eum ex ómnibus mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, et adoléret mihi incensum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 2. D. Ædificábo ei domum fidélem; et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

Ant. 5. C. Erit ipsi pactum sacerdótii sempiternum, quia zelátus est pro Deo suo, et expiávit scelus filiórum Israel. *Num. c.* 25.

Ant. 1. f. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16.

Capitulum. (*Hebr.* 5.)

Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tanquam Aáron. Sic et Christus non semetipsum clarificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te; quemádmodùm et in álio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchisedech.

[*In Duplicibus-majoribus, et supra:*

℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, et dixisti: Invéni servum meum, * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens, dixit: Invéni virum secundùm cor meum: * Oleo sancto meo unxi eum. Glória. † Manus. *Ps.* 88. *Act.* 13.]

HYMNUS.

Christe, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.
Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.
Strénuum bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem
Fit gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.
Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.
Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, pariterque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum. Amen.

℣. Beátus quem elegisti et assumpsisti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente offerre sacrifícium Deo, incensum et bonum odórem pro populo suo. *Eccli.* 45.

Collecta, ut infrà ad Laud.

[*In Solemnibus-maj. et supra, ad Complet. Ant.* 3. *à.* Die noctúque fugiébat somnus ab óculis meis pro grégibus tuis, Dómine. *Gen.* 31.

In fine Hymni, Doxologia: Supréme, XXVI.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 7.

G. Cùm vénerit Dóminus, et pulsáverit, beáti servi quos invénerit vigilantes. *Luc.* 12.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CHRISTUM Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

CHRISTE, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi, qui fidéles
Quos legis, formas pópulis regendis
Ipse ministros:
HUNC juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens et invítus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.
NÓVERAT quantis páteat periclis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
FÉCERAT fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus: mora non euntem
Ulla retardat.
DUX iter, vitâ præeunte, monstrat:
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odóre.
LUX erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.
CHRISTE, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut æternæ súbeant ópima
Páscua vitæ. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Vocávit eum Dóminus, et ait: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, et mittam te, ut edúcas pópulum meum. *Exod.* 3.

Ant. 1. g. Dixit ad Deum: Quis sum ego, ut vadam et edúcam filios Israel? Qui dixit ei: Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. 8. G. Vade in hac fortitúdine tua, et liberábis Israel: scito quòd míserim te. *Judic.* 6.

℣. Pósui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi electum de plebe mea. *Ps.* 88.

Lectiones de Script. occurr.

℟. I. Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, et óm-

nium minister: * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

℟. II. Speculatórem dedi te dómui Israel: * Audiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. ℣. In mente habe quáliter accéperis, et audíeris, et serva: * Audiens. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. III. Accéde ad altáre, et ímmola pro peccáto tuo: * Offer holocaustum, et † Deprecáre pro te et pro pópulo. ℣. Debet Póntifex quemádmodùm pro pópulo, ita étiam et pro semetipso offerre pro peccátis: * Offer. Glória Patri. † Deprecáre. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. In lege Dómini congergatiónem judicávit, et in fide sua probátus est prophéta; et cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46.

Ant. 3. a. Dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Dómini, et ut non exerrárent méntibus; et hortabátur ne legem amovérent à corde suo. 2. *Mach.* 2.

Ant. 8. c. Apériet os suum, et in oratióne confitébitur Dómino; et ipse díriget consílium ejus et disciplínam. *Eccli.* 39.

℣. Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos; ℟. In columnâ nubis loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Audívit eum Dóminus et vocem ipsíus, et dedit illi præcepta et legem vitæ et disciplínæ, * Docére Jacob testamentum suum, et judícia sua Israel. ℣. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis, * Docére Jacob. *Eccli.* 45. *Act.* 7.

℟. V. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis; et dedi ei timórem, et timuit me: * Lex veritátis fuit in ore ejus; et iníquitas non est inventa in lábiis ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant: * Lex. *Malach.* 2. *Hebr.* 3.

℟. VI. In pace et in æquitáte ambulávit, et multos avertit ab iniquitáte: * Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus; † Quia ángelus Dómini exercítuum est. ℣. Oportet Epíscopum amplecti eum, qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana: * Lábia. Glória Patri. † Quia. *Malach.* 2. *Tit.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. A. In omni ópere dedit confessiónem Sancto et Excelso in verbo glóriæ. *Eccli.* 47.

Ant. 7. *d.* Erogávit pecúnias multas: justítiam et fidem conservávit genti suæ; et exquisívit omni modo

exaltáre pópulum suum. 1. *Mach.* 14.

Ant. 1. *a.* Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* c. 39.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi : ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Quis est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? * Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic facientem. ℣. A Dómino suo præpósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi domum : * Beátus. *Matth.* 24. *Genes.* 39.

℟. VIII. Dóminus supra ómnia quæ póssidet, constítuet illum : * Omni autem cui multùm datum est, multùm quærétur ab eo; et cui commendavérunt multum, plus petent ab eo. ℣. In manu Dei potestas terræ, et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam : * Omni. *Luc.* 12. *Eccli.* 10.

℟. IX. Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam : * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Super pópulum meum constítui te: sapiéntia et sciéntia data sunt tibi; et glóriam dabo tibi : * Intra. Glória. * Intra. *Matth.* 25. 2. *Paral.* 1.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Domus Aáron, benedícite Dómino. ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Ps.* 134.

AD LAUDES.

Ant. 7. a. Qui intrat per óstium, pastor est óvium; huic ostiárius áperit; et oves vocem ejus áudiunt. *Joan.* c. 10.

Ant. 2. D. Próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas, et ante eas vadit. *Joan.* 10.

Ant. 7. d. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

Ant. 6. F. Si perdíderit unam ex illis, vadit ad illam donec invéniat eam; et cùm invénerit, impónit in húmeros suos gaudens. *Luc.* 15.

Ant. 8. G. Fur venit ut perdat; mercenárius videt lupum, et fugit : bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

PASCITE qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum; neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

HYMNUS.

Jesu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere

Hos novit, et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet: áudiunt,
Sequuntur, et vivunt oves.

Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet frementes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Offert frequentem victímam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

Supreme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps* 77.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Ego sum óstium: per me si quis introíerit, salvábitur, et ingrediétur, et egrediétur, et páscua invéniet. *Joan.* 10

Si sit summus Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum *N.* ad sedem Apóstoli tui Petri evectum, et fídei firmitáte, et vitæ integritáte illustrem effecisti, ejus méritis et intercessióne, tales Ecclésiæ tuæ próvide pastóres, qui fidélibus tuis síncerae doctrínæ præbeant alimentum, et rectæ conversatiónis ministrent exemplum; Per.

Si sit fundator alicujus eccles.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus ineffábili misericórdiâ beátus Póntifex, *N.* in géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi; da nobis ejus intercessióne créscere in sciéntiâ tuâ; et in omni ópere bono fructificantes, secundùm Evangélii veritátem coram te ambuláre; Per eumdem.

Si tantum sit Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónsulis, et amóre domináris; quique illis regendis vicários caritátis tuæ præficis ministros; da, quæsumus, intercedente beato *N.* Pontífice, Spíritum sapiéntiæ, quibus praesse dedisti Ecclésiæ tuæ, ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia æterna pastórum; Per.... in unitáte.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Deus, fidélium lumen et Pastor animárum, qui beátum *N.* Episcopum in Ecclésia posuisti, ut oves tuas

verbo pásceret, et informáret exemplo: da nobis ejus intercessióne, et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exemplo monstrávit; Qui vivis.

[Ad Horas, *in Annual. et Solemnibus-maj. dicitur in fine Hymnorum Doxologia:*

Supreme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Qui intrat per óstium.

[*In Solemn. maj. et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui es pastor * magnus óvium. *Hebr.* 13.]

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Próprias oves.

Capitulum. (*Prov.* 27.)

Diligenter agnosce vultum pécoris tui, tuosque greges considera; non enim habébis júgiter potestátem; sed coróna tribuétur in generatiónem et generatiónem.

℟. *br.* Deus protector meus, * In ipso speráví. Deus. ℣. Qui subdit * pópulum meum sub me, * In. Glória. Deus. *Ps.* 143.

℣. Constitútus sum à Deo super montem sanctum ejus, ℟. Prædicans præceptum ejus. *Ps.* 2.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Oves.

Capitulum. (*Jerem.* 3.)

Introducam vos in Sion, et dabo vobis Pastóres juxta cor meum; et pascent vos sciéntiâ et doctrínâ.

℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. Deduxit eos. ℣. Ut irent * in civitátem habitatiónis. * In. Glória. Deduxit. *Ps.* 106.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum, ℟. Et deduxit eos in spe. *Ps.* 77.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Fur venit.

Capitulum. (*Act.* 20.)

Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam requisívit sánguine suo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum * deduxit eos, * In. Glória. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Nos pópulus tuus et oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Ecclésiæ factus sum ego minister secundùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. *Coloss.* 1.

Ant. 4. E. Scitis quómodo nihil subtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, et docérem vos públicè, et per domos. *Act.* 20.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Venite, adorémus. *Eccli.* 1.

Ps. 94. Venite, 150.

HYMNUS.

Jam nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sidéreum, Religio, caput:
Quot sunt nota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.
Cum per mille neces impiétas furit,
Oppóniis válido péctore Mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.
Quando sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
Firmant instábiles, et dúbios regunt:
Monstrant tuta procul líttora náufragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixêre tuis cónsona sénsibus;
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas:
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te méntibus inseris Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sapiéntia non est multis manifesta; quibus autem cógnita est pérmanet usque ad conspectum Dei. *Eccli.* 6.

Ant. 4. E. Os prudentis quæritur in ecclésia, et verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Eccli.* 21.

Ant. 5. a. Sciéntia sapientis tanquam inundátio abundábit, et consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Sápiens apériet os suum in oratióne: * Si enim Dóminus magnus volúerit, Spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntià, póstulet à Deo qui dat ómnibus affluenter. * Si. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

℟. II. Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: * Ipse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testamenti Dó-

mini gloriábitur. ℣. Multos filiórum Israel convertet ad Dóminum Deum ipsórum. * Ipse. *Eccli.* 39. *Luc.* 1.

℟. III. Omnis scriba doctus in regno cœlórum, * Símilis est hómini patrifamíliàs qui † Profert de thesauro suo nova et vétera. ℣. In corde prudentis requiescit sapiéntia, et indoctos quosque erúdiet. * Símilis. Glória. † Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te ut evellas, et déstruas, et disperdas, et ædífices, et plantes. *Jerem.* 1.

Ant. 8. G. Ne retíneas verbum in témpore salútis: in lingua enim sapiéntia dignóscitur; et sensus, et sciéntia, et doctrína in verbo sensáti. *Eccli.* 4.

Ant. 2. D. Depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. 1. *Tim.* 6.

℣. Deus, docuisti me à juventúte mea: ℟. Pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

Lectiones, ut in Proprio,

℟. IV. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè. * Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi málleus cónterens petram? ℣. Si quis volúerit voluntátem fácere ejus qui misit me, cognoscet de doctrína, utrùm ex Deo sit. * Numquid non. *Jerem.* 23. *Joan.* 7.

℟. V. Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ómnia quæ præcépero illi: * qui autem verba ejus audíre nolúerit, ego ultor existam. ℣. Qui à semetipso lóquitur, glóriam própriam quærit: qui quærit glóriam ejus qui misit eum, hic verax est. * Qui. *Deut.* 18. *Joan.* 7.

℟. VI. Dabo te, dicit Dóminus, in murum æreum, fortem: * Et bellábunt adversùm te, et † Non prævalébunt; quia ego tecum sum. ℣. Exurgent viri loquentes perversa, ut abdúcant discípulos post se: * Et bellábunt. Glória Patri. † Non. *Jerem.* 15. *Act.* 20.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. f. Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivendum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea; et efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

Ant. 1. f. Inventi sunt sermónes tui, Dómine; et comédi eos: et factum est mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

℣. Scrutábor legem tuam, Dómine; * Et custódiam

illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Super salútem et spéciem dilexi sapiéntiam : * Et propósui pro luce habére illam : venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ desursum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, plena misericórdiâ et frúctibus bonis; * Et propósui pro luce. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

℟. VIII. Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me Spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei; * Et divítias nihil esse. *Sap.* 1. *Philip.* 3.

℟. IX. Sapiéntia bonórum ómnium mater est; quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico : infinítus enim thesaurus est; * Quo qui usi sunt, † Partícipes facti sunt amicítiæ Dei. ℣. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; * Quo qui usi sunt. Glória Patri. † Partícipes. *Sap.* 7. *Luc.* 6.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totà die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Dóminus dedit mihi linguam erudítam; ut sciam sustentáre eum qui lassus est, verbo. *Is.* 50.

Ant. 6. F. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne Spiritûs, et virtútis. 1. *Cor.* 2.

Ant. 3. c. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extra dicens quám ea quæ Prophétæ locúti sunt. *Act.* 26.

Ant. 4. f. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2.

Ant. 5. a. Si nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. 1. *Cor.* 13.

Capitulum. (*Sap.* 7.)

Mihi dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor : in manu enim illíus et nos, et sermónes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia et disciplína.

HYMNUS.

Vos succensa Deo splendida lúmina :
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;

Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo cóndimur in álterum.
Per vos Rellígio, tútaque Véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus :
Per vos Christus amat pándere dívites
Thesauros sapiéntiæ.
Vestris unda fluit pura canálibus ;
Christi floret ager ; munda nitet seges :
Lac aptum púeris, et sólidum viris
Cauti suffícitis cibum.
Hi sunt, summe Deus, qui tibi mílitant ;
Hi sunt, qui stábiles ædificant dómos :
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.
Vicistis stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tèla supérstites :
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu ;
His armis quoque víncimus.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna ;
℟. Ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Sapiéntia et fortitúdo Dómini sunt : tibi, Deus, confíteor, teque laudo ; quía sapiéntiam et fortitúdinem dedisti mihi. *Dan. c.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, æterne Deus, qui Ecclésiæ tuæ fílios, sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre : da fidélibus tuis intercessióne béati *N.* quem eis æternæ salútis ministrum tribuisti, ut te miserante, sciéntiam recta faciendi, et virtútem cápiant exequendi ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

ALIA COLLECTA Orémus.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo beátus *N.* servívit ; ut eódem nos replente, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit ; Per... in unitáte ejusdem Spíritûs.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus dicitur in fine Hymnorum Doxologia :*
Suprema, Christe, Véritas,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Dóminus.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in ℟ br.*

℣. Qui es fons * sapiéntiæ. *Eccli.* 1.]

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Sermo meus.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

UNICUIQUE datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem: álii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii autem sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum.

℟. *br.* Da mihi intellectum, * Et scrutábor legem tuam. Da mihi. ℣. Státue servo tuo * elóquium tuum, Dómine, * Et. Glória Patri. Da mihi. *Ps.* 118.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Auxílio.

Capitulum. (1. *Tim.* 6.)

SI quis áliter docet, et non acquiescit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundùm pietátem est doctrínæ, superbus est, nihil sciens.

℟. *br.* Viam veritátis elégi, * Judícia tua non sum oblítus. Viam. ℣. Adhæsi * testimóniis tuis, Dómine: * Judícia. Glória Patri. Viam.

℣. A judíciis tuis non declinávi; ℟. Quia tu legem posuisti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Si nóverim.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

FINIS præcepti est cáritas de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ: à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℟. *br.* Veritátem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem ℣. Non abscondi misericórdiam tuam, * et veritátem tuam; * Et salutáre. Glória Patri. Veritátem. *Ps.* 39.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. f. Fuit gratus Deo, erudítus omni sapiéntiâ; et erat potens in verbis et in opéribus suis. *Act.* 7.

Ant. 5. C. Juxta manum Dei sui bonam super se, parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, et fáceret, et docéret. 1. *Esdr.* 7.

Ant. 8. c. Postquàm se ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis et Prophetárum, vóluit et ipse scríbere

quæ ad doctrínam et sapiéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

Ant. 3. a. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum : quæsívit verba utília, et conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccles.* 12.

Ant. 4. E. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes; et laudem ejus enuntiábit Ecclésia. *Eccli.* 39.

Capitulum. (*Prov.* 3.)

Beatus homo qui invénit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntiâ : mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti et auri primi; et puríssimi fructus ejus : pretiósior est cunctis ópibus; et ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

[*In Solemnibus minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. Qui fécerit et docúerit hic, magnus vocábitur in regno cœlórum. Allelúia. *Matth.* 6.

Hymnus, O qui perpétuus, *ut in I. Vesperis*, XXIX.

℣. Beátus vir qui dispónet sermónes suos in judício : ℟. In æternum non commovébitur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan. c.* 12.

Collecta, ut suprà ad Laud.

COMMUNE PRESBYTERORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. a. Locútus est Dóminus : Sanctificábor in iis qui appropinquant mihi : et in conspectu omnis pópuli glorificábor. *Levitic. c.* 10.

Ant. 3. a. Ingredientur tabernáculum fœderis, ut sérviant mihi pro Israel, et orent pro eis, ne sit in pópulo plaga. *Num.* 18.

Ant. 4. *D.* Holocausta eórum, et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Is.* 56.

Ant. 5. C. Invocábunt nomen meum super fílios Israel, et ego benedícam eis. *Num.* 6.

Ant. 1. g. Inebriábo ánimam Sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jerem.* 31.

Capitulum. (*Num.* 16.)

Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, et sanctos

applicábit sibi; et quos elégerit, appropinquábunt ei.

[*In Duplicibus-majoribus, et suprà.*

℟. Sacerdótes sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus. * Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium. ℣. Sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. * Qui. Gloria. * Qui. *Levit.* 21. *Tit.* 2.]

HYMNUS.

Quid reluctátur, sibi quem ministrum,
Christus elégit? Tremor undè tantus?
Scílicet magnum timet imminentis
Pondus honóris.

Colla submittit, Dómino jubenti
Cedit: en sacris pius astat aris;
Sumit et curas, neque jam recúsat
Ferre labóres.

Providus cunctis, sibi parcus uni,
Páuperes, ægros, ope sublevábat:
Comis in cunctos ánimus, suprémis
Gratus et imis.

Campus ut ridens dómini virescit
Dum vigil plantat, rigat et minister!
Ut, Deus, largo tríbuis rigáta
Crescere fructu!

Quam docet verbo, stábilit sevéris
Móribus legem: gemit, orat, urget,
Usquedúm fingens, páriat suórum
Péctore Christum.

Quid venenóso, nóvitas profána
Tentet afflátu violáre mentes?
Excubat vindex fídei Sacerdos
Arcet et hostem.

Quæ tuis formas pópulis ministros,
Laus, tibi, jugis, déitas suprema:
Fac ut in Clero sua prima virtus,
Christe, resurgat. Amen.

℣. Stabit in loco sancto Dómini, ℟. Innocens mánibus et mundo corde. *Ps.* 23.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. G. Quasi thus ardens in igne, in ascensu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amictum. *Eccli.* 58.

Collecta, ut infra ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium: Ant.* 6. *C.* Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebátur ánima mea páuperi. *Job* 30.

In fine Hymni, Doxologia: Jesu Sacerdos, xl.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. D. Nocte et die non cessávi cum lácrymis monens unumquemque. *Act.* 20.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

SACERDOTEM in æternum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 6.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O TUA dignum pietáte munus!
Christe, cùm per te légitur Sácerdos
Ille, qui primum decus et ministris
Reddit et aris.
QUAM pavens, sanctus, procul à tumultu,
Cùm dapes Christi meditátur Agni,
In quibus manat sacer incruento
Fúnere sanguis!
THURE fumantes quis hic inter aras?
Quanta majestas sedet ore sancto!
Nec minùs fervent calefacta puris
Péctora flammis.
NEC sacrum durus sedet ad tribúnal:
Sublévat tristes miseráta casus,
Cáritas, clemens, aliisque mater,
Dum sibi judex.
QUAS relaxávit, luit ipse noxæ
Innocens pœnas; aliéna culpa
Hunc reum fecit; piat acta largo
Non sua fletu.
LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 3. à. Hæc dicit Dóminus: Elégi eum mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 1. g. Implévi eum Spíritu Dei, sapiéntiâ et intelligéntiâ, et sciéntiâ in omni ópere. *Exod.* 31.

Ant. 7. d. Juxta cor meum et ánimam meam fáciet; et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

℣. Servábo illi misericórdiam meam, ℟. Et testamentum meum fidéle ipsi. *Ps.* 88.

Lectiones de Script. occur.

℟. I. Dóminum elegisti, ut sit tibi Deus, et ámbules in viis ejus, et custódias cæremónias illíus, et * Dóminus elégit te, ut sis ei, et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam. ℣. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi, cum impositióne mánuum. * Dóminus. *Deut.* 26. 1. *Tim.* 4.

℟. II. Quia sanctus es Dómino Deo tuo, te elégit Dóminus. * Et scies quia Dóminus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidélis,

custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se. ℣. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. * Et scies. *Deut.* 7. 2. *Tim.* 4.

℟. III. Prædica verbum, insta opportúnè, importúnè: * Argue, óbsecra, increpa in omni patiéntia, et doctrína. ℣. Discurre, festína, súscita amícum tuum: ne déderis somnum óculis tuis. * Argue. Glória. * Argue. 2. *Tim.* 4. *Prov.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. C. De sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, et incendat sacrifícium. *Jerem.* 33.

Ant. 2. D. Exorábit pro peccátis, et continébit se ab illis, et in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 4.

Ant. 8. c. Rogante pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4.

℣. Exáudiet íllum de cœlo sancto suo: ℟. In potentátibus sálus déxteræ ejus. *Ps.* 19.

Lectiones ut in Proprio.

℟. IV. Oblátio justi impinguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. ℣. Multùm enim valet deprecátio justi assídua, * Et. *Eccli.* 35. *Jac.* 5.

℟. V. Accédens ad altáre, * Immolávit holocausti victímam pro peccáto pópuli, et extendens manus ad pópulum, benedixit ei. ℣. Fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, * Immolávit. *Levit.* 9. *Luc.* 12.

℟. VI. Obtulit holacaustum Dómino: et * Clamávit ad Dóminum pro Israel, et † Exaudívit eum Dóminus. ℣. Plúrimam hóstiam óbtulit, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo. * Clamávit. Glória. † Exaudívit. 1. *Reg.* 7. *Hebr.* 11.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. A. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum filii Israel. 3. *Reg.* 19.

Ant. 7. ç. Quis infirmátur, et ego non infirmor? quis scandalizátur, et ego non uror? 2. *Cor.* 11.

Ant. 1. f. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, et converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera facientes. *Act.* 25.

℣. Vidi prævaricantes, et tabescébam; ℟. Quia elóquia tua non custodiérunt. *Ps.* 118.

Evang. et Homil. ut in Prop.

℟. VII. Operátus est bónum, et rectum, et verum coram Dómino Deo suo, * In universa cultúra domûs Dómini juxta legem et cæremónias. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei tanquam fá-

mulus.* In. 2. *Par.* 13. *Heb.* 3.

℟. VIII. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos : * Esurientes alébat, nudisque vestimenta præbébat, et mórtuis sepultúram sollícitus exhibébat. ℣. In opéribus bonis testimónium habens, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est. * Esurientes. *Tob.* 1. 1. *Tim.* 5.

℟. IX, Avertit iram meam à filiis Israel ; * Quia zelo meo commótus est contra eos, ut non ipse delérem fílios Israel in zelo meo : † Ecce do ei pacem fœderis mei. ℣. Justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus.* Quia. Glória Patri. † Ecce. *Num.* 25. *Heb.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino ; ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 7. a. Vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est. 3. *Reg.* 17.

Ant. 2. D. Ecce docuisti multos : et manus lassas roborasti : vacillantes confirmavérunt sermónes tui. *Job* 4.

Ant. 6. F. Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48.

Ant. 7. d. Tu assecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam. 2. *Tim.* 3.

Ant. 8. G. Beátus ille servus, quem, cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic facientem : super ómnia bona sua constítuet eum. *Matt.* 24.

Capitulum. (1. *Tim.* 5.)

Qui bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur ; máximè qui labórant in verbo et doctrína.

HYMNUS.

Quam Deo gratus venit hic Minister,
Qui nihil mundi maculátus aurâ,
Mille virtútum præeunte cœtu
Scandit ad aras !
Quos docet nondùm stábiles alumnos
Firmat exemplis : potióra dictis
(Instar accensæ facis) anteíbunt
Facta magistri.
Hos alit verbis : alit hos et escis :
Nil suum dicit : sibi vindicáre
Páuperes credit, quasi commodáti
Pródigus auri.
Quippe véstigat, meditátus altà
Mente, thesauros, sibi quos latrónum
Nulla vis tollat, neque dente vermis
Rodat iníquo.
Hunc cadens vidit, réperit renascens

Sol humi strátum, lácrymis madentem:
Intimæ menti Deus incubábat
Intimus hospes.
PROSIT ut cunctis sua, seque tradit:
Nulla lex illi nisi lex amóris:
Cáritas nullos renuébat audax
Ferre labóres.
LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári; ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam; intra in gáudium dómini tui. *Matth.* 25.

COLLECTA. Orémus.

DOMINE Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut sacerdótio tibi fungerétur, à pópulo segregasti: ejus nos intercessióne à peccatóribus ségrega; ut, secundùm vocatiónem nostram, gens sancta, et regále sacerdótium coram te efficiámur; Per.

ALIA COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui in Ecclésiæ tuæ decus et subsídium, beátum *N.* verendo sacerdótii ministério decorasti: præsta ut, per quem pópulus tuus Evangélii verbum, et Domínici córporis sacramentum suscépit, ejus patrocínio dignos utriusque fructus percípiat; Per eumdem.

[AD HORAS, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia:*

JESU, Sacerdos máxime,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spiritu
In sempiterna sécula. Am.]

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Vir Dei.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in ℟. brevi,*

℣. Qui es Sacerdos * in æternum. *Ps.* 109.]

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Ecce.

Capitulum. (1. *Tim.* 4.)

ATTENDE tibi, et doctrínæ: insta in illis; hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

℟. *br.* Veritatem tuam* Et salutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abscondi* misericórdiam tuam. * Et salutáre. Glória Patri. Veritátem. *Ps.* 39.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo, ℟. Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F Scriptus es.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

GRATIAS ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

℟. *br.* Tríbuat tibi * Secundùm cor tuum. Tríbuat. ℣. Impleat Dóminus * omnes petitiónes tuas, * Secundùm. Glória Patri. Tríbuat. *Ps.* 19.

℣. Memor sit omnis sacrifícii tui : ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Beátus.

Capitulum. (1. *Tim.* 3.)

QUI bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. Hic. ℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo; * Benedictiónem. Glória Patri. Hic accípiet. *Ps.* 13.

℣. Beátus quem elegisti, et assumpsisti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. *Matth.* 24.

Ant. 4. E. De omni corde suo laudávit Dóminum : et dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 1. D. Obtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8.

Ant. 6. F. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit, et ábstulit omnem iníquum et malum : sancta glorificávit. 1. *Mach.* 14.

Ant. 7. d. Cógnitus est in verbis suis fidélis : et invocávit Dóminum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes úndique, in oblatióne Agni invioláti. *Eccli.* 46.

Capitnlum. (*Eccli.* 45.)

BEATIFICAVIT illum Deus, in glóriâ, et circumcinxit eum zonâ glóriæ, et índuit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. Agnóvit eum Dóminus in benedictiónibus suis, et dedit illi hæreditátem. Allelúia. *Eccli.* 44.

HYMNUS.

QUANTIS micas honóribus,
Cœlo Sacerdos áddite,
Cùm, præmiórum pródigus
Totum tibi dat se Deus!

PARTIS labóre plúrimo
Quot clarus es virtútibus,
Tot fulgurantem glóriâ
Ornant corónæ vérticem.

QUOS parturisti Númini

Te filii nunc ámbiunt:
Tuóque lætis cántibus
Certant triumpho pláudere.
CHRISTUS tuum fit præmium,
Quem consecrasti víctimâ;
Dehinc, aperto Númine,
Te pascet escâ Cœlitum.
ADHUC Sacerdos, hóstiam
Gratam Deo, nos dévove;
Undisque mersos náufragis,
Duc ad salútis líttora.
JESU, Sacerdos máxime.
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ: ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

Ad Magnificat, *Ant.* 5. C. Ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. *Joan.* 12.

Collecta ut supra ad Laud.

COMMUNE SS. ABBATUM MONACHORUM, COENOBITARUM, ET ANACHORETARUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? *Matth.* 16.

Ant. 8. c. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus; et habébis thesaurum in cœlo. *Matth.* 19.

Ant. 6. F. Nemo est qui relíquerit domum, aut agros propter me, qui non accípiat cénties tantùm in témpore hoc, et in século futúro vitam æternam. *Marc.* 10.

Ant. 3. b. Salva ánimam tuam: noli respícere post tergum; salvum te fac, ne péreas. *Genes.* 19.

Ant. 7. c. Séquere me, et dimitte mórtuos sepelire mórtuos suos. *Matth.* 8.

Capitulum. (2. *Cor.* 6.)

EXITE de médio eórum, et separámini, dicit Dóminus, et immundum ne tetigéritis: et ego recípiam vos; et ero vobis in patrem, et vos éritis mihi in fílios.

In Duplicibus-majoribus, et supra:

℣. Susceptor meus es tu, Dómine, et in verbum tuum supersperávi: * Declináte à me, maligni, et † Scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Magister, sequar te quocumque

ſeris. * Declináte à me. Glória Patri. † Scrutábor. *Ps.* 118. *Matth.* 8.

HYMNUS.

FELÍCES némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
UT te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstía cógitant.
NUDI, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant:
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
ÆTERNAS ut opes, cértaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.
ILLIS summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.
FAC nos, summe Deus; quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relictâ,
Immortália quærere.
ÆTERNUS sit honos ingénito Patri:
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Potens in terra erit semen ejus: ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Egrédere de cognatióne tua, et de domo patris tui; et veni in terram quam monstrábo tibi: faciamque te in gentem magnam, et benedícam tibi. *Genes.* 12.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Si non sit Abbas, ℣. In umbra alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. D. Reliquisti parentes tuos: plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth* 2.

Collecta, ut infrà ad Laud.

[*In Solemn.-major. et supra, ad Complet.*: *Ant.* 4. c. Qui hábitant in deserto, secúri dórmient in sáltibus: et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezec.* 34.

In fine Hymni, Doxologia: SIT laus, XLVIII.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 2. A. Habitábit in solitúdine judícium; et erit opus justítiæ pax, et cultus justítiæ siléntium, et secúritas usque in sempiternum. *Is.* 32.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

REMUNERATOREM inquirén-

tibus se, Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Felíces, *ut suprà.*

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. *Luc.* 14.

Ant. 7. c. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam: fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. *Luc.* 12.

Ant. 8. G. Nolíte quærere quid manducétis, aut quid bibátis: quærite primùm regnum Dei, et justítiam ejus; et hæc ómnia adjicientur vobis. *Luc.* 12.

℣. Non est inópia timéntibus Dóminum: ℟. Dívites eguérunt et esuriérunt. *Ps.* 33.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Fúgite de médio Babylónis, et salvet unusquisque ánimam suam; * Quóniam tempus ultiónis est à Dómino. ℣. Exíte de illa, pópulus meus, ut ne partícipes sitis delictórum ejus, et de plagis ejus non accipiátis; * Quóniam. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

℟. II. Vade, pópule meus, intra in cubícula tua, abscóndere módicùm, * Donec pertránseat indignátio. ℣. Veníte seorsum in desertum locum, et requiéscite, * Donec. *Is.* 26. *Marc.* 6.

℟. III. Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes: * Non enim habémus hic manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coram te, Deus: dies nostri quasi umbra super terram. * Non. Glória Patri. * Non. *Hebr.* 13. 1. *Paral.* 29.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. *Matth.* 19.

Ant. 7. c. Esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et laborámus operantes mánibus nostris. 1. *Cor.* 4.

Ant. 2. D. Non defícimus: sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem. 2. *Cor.* 4.

℣. Rédimit Dóminus de intéritu vitam tuam: ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Omnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet: * Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi áerem vérberans; sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo. ℣. A juventúte mea investigábam sapiéntiam: colluctáta est ánima mea in illa, et in faciendo eam confirmátus sum. * Ego. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

℟. V. Non secundùm car-

nem ambulámus, sed secundùm spíritum; quóniam sapiéntia carnis inimíca est Deo: * Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. ℣. Excelsus Deus et hábitans cum contríto et húmili spíritu; ut vivíficet spíritum humílium, et vivíficet cor contritórum. * Qui. *Rom.* 8. *Is.* 57.

℟. VI. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta; * Ut invéniar in illo habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. ℣. Élégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum; * Ut. Glória. * Ut. *Philipp.* 3. *Ps.* 83.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 5. F. Possessiónes et substántias vendébant, et dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. *Act.* 11.

Ant. 6. *C.* Plorábant, et jejunábant, et orábant in conspectu Dómini. *Baruch* 1.

℣. Flévimus, cùm recordarémur Sion: ℟. Quómodò cantábimus in terra aliéna? *Ps.* 136.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Sapiéntia direxit ópera eórum: * Iter fecérunt per deserta quæ non habitabantur; et in locis desertis fixérunt casas. ℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti; quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errantes, et in cavernis terræ. * Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

℟. VIII. Multitúdinis erat cor unum, et ánima una: nec quisquam áliquid suum esse dicébat; sed * Erant illis ómnia commúnia. ℣. Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Erant. *Act.* 4. *Ps.* 132.

℟. IX. Pars Dómini pópulus ejus: invénit eum in terra deserta, circumduxit, et dócuit, atque portávit in húmeris suis; * Et constítuit super excelsam terram. ℣. Confitentes quia peregríni et hóspites sunt super terram, pátriam meliórem ápetunt: ídeò parávit illis civitátem; * Et. Glória. * Et. *Deut.* 32. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino: ℟. Laudáte, et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Perféctio tua, Dómine, et doctrína tua viro sancto tuo, qui dixit patri suo et matri suæ: Néscio vos; et frátribus suis: Ignóro vos. *Deut.* 33.

Ant 1. *g.* Non sedi in

concílio lætántur : solus sedébam, quóniam commiseratióne repléstí me. Jerem. c. 15.

Ant. 3. b. Exui me stolâ pœnæ, indui autem me sacco obsecratiónis : et venit mihi gáudium à Sancto. *Baruch 4.*

Ant. 4. a. Mihi mundus crucíbus est, et ego mundo. *Galat. 6.*

Ant. 8. G. In voce laudis immolábo tibi : quæcumque vovi, reddam pro salúte Domino. *Jonæ 2.*

Capitulum. (*Isaiæ 51.*)

CONSOLABITUR Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus : et ponet desertum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis.

Pro S. Abbate, Monacho, et Cœnobita.

HYMNUS.

O PULCHRAS ácies, cástraque fórtia,
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub una,
Uno sub duce militant.
HEU! quantis rápiunt astra labóribus!
Pulsant perpétuis quéstibus æthera :
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.
VOTIS unánimes, vi quoque flétuum
Instant, et sicíus ingeminant preces,
Et concordibus armis
Vim cœlo simul inferunt.
HÆC vis grata Deo : sic amat óptimus
Vinci per lacrymas, per gémitus, Pater :
Sic duris reseratur
Cœlum conditiónibus.
FERVENT quando die cuncta tumúltibus,
Altum turba silet : cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa silentia.
EXERCET vigiles contínuus labor;
Incumbunt óperi non resides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppéditat suis.
QUIN regina sui mens quoque súbditur,
Rectorisque studet nútibus óbsequi :
Nil servat sibi juris,
Capto libérior jugo.
ÆTERNUS sit honos ingénito Patri :
Sit par unigenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

Pro S. Anachoreta et Solitario,

HYMNUS.

QUID tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?
MENTIS volátu líbero,

Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.
PRÆSENS choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.
QUAM pura, qui te dílígunt,
O Christe, líbant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.
SIT laus Patri, laus Fílio,
Cadúca qui linquéntibus,
Se pródigus dat præmium;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Veníte, fílii, audíte me: ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Ecce ego et púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in signum et in portentum Israel à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. *Is.* 8.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, cujus múnere beátus *N.* Abbas Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque in finem perseverávit imitári: da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingressis, ut nec retrò respíciant, nec in via hæreant; sed ad te sine offensióne currentes, vitam æternam apprehendant; Per eumdem.

ALIA COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Abbátis *N.* intercessiónibus sublevári; ut per quem servis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donasti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impendas; Per.

Si non sit Abbas, ℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. *C.* Pars mea Dóminus, dixit ánima mea. Bonus est Dóminus ánimæ quærenti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. *Thren.* 3.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo et intercessióne beáti *N.* cujus hódie tránsitum celebrámus, temporália ómnia despícere, et ad æterna totâ mentis intentióne festináre; Per Dóminum.

ALIA COLLECLA. Orémus.

QUÆRÉNTIUM te, Dómine, Salvátor et custos, qui beáto *N.* ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre século, et sub alas tuas confúgere tribuisti: ejus intercessióne da pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Dóminum purâ mente sectári; Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

¶ AD HORAS, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus*

dicitur in fine Hymnorum Doxologia :

Sit laus Patri, laus Fílio,
Cadúca qui linquéntibus,
Se pródigus dat præmium;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Perféctio.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.*

℣. Qui es remunerátor * inquiréntibus te. *Hebr.* 11.]

AD TERTIAM.

Ant. 1. *g.* Non sedi.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo; quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum et supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscéntia ejus: qui autem facit voluntátem Dei, manet in æternum.

℟. *br.* Elongávi fúgiens: * Mansi in solitúdine. Elongávi. ℣. Quóniam vidi iniquitátem * et contradictiónem in civitáte, * Mansi Glória. Elongávi. *Ps.* 54.

℣. Confíge timóre tuo carnes meas: ℟. A judíciis enim tuis tímui. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. b. Exui me.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Omnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum * Ego custodívi vias duras. Propter. ℣. Pérfice gressus meos * in sémitis tuis. * Ego. Glória Patri. Propter. *Ps.* 16.

℣. Induébar cilício: ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34

AD NONAM.

Ant. 8. *G.* In voce laudis.

Capitulum. (*Eccli.* 51.)

Vidéte óculis vestris quia módicùm laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argenti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus; et non confundémini in laude ipsíus.

℟. *br.* Sépties in die * Laudem dixi tibi. Sépties in die. ℣. Super judícia * justítiæ tuæ, * Laudem. Glória Patri. Sépties. *Ps.* 118.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. Sumus húmiles in universa terra, Dómine: sed in ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiá-

mur; quóniam non est confúsio confidéntibus in te. *Dan.* 3.

Ant. 8. G. Non derelínquimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 6. F. Quasi morientes, et ecce vívimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; tanquam nihil habentes, et ómnia possidentes. 2. *Cor.* 6.

Ant. 7. d. Omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles. 1. *Petr.* 3.

Ant. 4. *D.* Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis et bonórum óperum. *Hebr.* 10.

Capitulum. (*Deut.* 7.)

DOMINUS Deus ipse est fortis et fidélis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se, et his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà:*

Allelúia, allelúia. ℣. In loco solitúdinis, Dóminus cum dócuit, et custodivit quasi pupillam óculi sui. Allelúia. *Deut.* 32.]

Hymnus, Felíces, XLIII.

Si sit Abbas, ℣. Justus ut palma florébit: ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Atténdite ad patrem vestrum, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum; quia unum vocávi eum, et benedixi ei, et multíplicávi eum. *Is.* 51.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Si non sit Abbas, ℣. Plantáti in domo Dómini, florébunt; ℟. Ut annúntient quóniam rectus Dóminus. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E Scimus quóniam, si terrestris domus nostra dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus æternam in cœlis, nam et in hoc ingemíscimus: habitatiónem nostram quæ de cœlo est, superíndui cupientes. 2. *Cor.* 5.

Collecta, ut suprà ad Laud.

COMMUNE JUSTORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. a. Dicébat Jesus ad omnes: Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. *Luc.* 9.

Ant. 2. D. Dico vobis: Nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

Ant. 6. *C.* Nisi conversi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* c. 18.

Ant. 8. G. Non omnis qui dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum; sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 7.

Ant. 4. *D.* Conténdite intráre per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, et non póterunt. *Luc.* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 2.)

Qui timétis Dóminum, crédite illi; et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum; et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; et illuminabuntur corda vestra.

In Duplicibus-majoribus, et suprà:

℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; et * Qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. ℣. Plenitúdo legis est diléctio. * Qui. Glória. * Qui. *Eccli.* 2. *Rom.* 13.

HYMNUS.

Summi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite:
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

En regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, et sciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingressus, et viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio:
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit et spargit sinu.

Sapóre verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil:
Mens celsa versátur polo.

Hac surgit ad cœlum viâ:
Et nos eàdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.

Amen.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; ℟. Quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine. *Ps.* 9.

Ad Magnificat, *Ant.* J. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiescent illi; quóniam donum et pax est electis ejus. *Sap. c.* 3.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium: Ant.* 2. A. Vigiláte, et estóte paráti; quia quâ nescítis horâ Fílius hóminis ventúrus est. *Matth.* 24.

In fine Hymni Doxologia: Æterna, LIV.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectántibus te. *Is.* 64.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus *Ps.* 145.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.
Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis et durus sibi
Se morte lentâ cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori
Hoc supplet omne cáritas.
Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides:
Amor supernis ígnibus
Totam litávit hóstiam.
Venis apertis ómnibus
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.
Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.
Æterna justórum quies,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Qui vult vitam dilígere, et dies vidére bonos, declínet à malo, et fáciat bonum. 1. *Petr.* 3.

Ant. 4. *D.* Cùm ingressus fúeris sémitas æquitátis, non arctabuntur gressus tui; et currens, non habébis offendículum. *Prov.* 4.

Ant. 7. d. Inhabitábis cum justítia, et próteget te in sempiternum; et in die agnitiónis invénies firmamentum. *Eccli.* 27.

℣. In nómine tuo exultábunt justi, Dómine, ℟. Et in justítia tua exaltabuntur. *Ps.* 88.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde: * Et invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, et onus meum leve. ℣. Innovamini spiritu mentis vestræ, et induimini novo homine: * Et invenietis. *Matth.* 11. *Ephes.* 4.

℟. II. Vobis dilectis, quibus [illegible] in mandatis Domini. * Gloria magna est sequi Dominum. ℣. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. * Gloria magna. *Eccli.* 23. *Joan.* 12.

℟. III. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit: * Similis est homini ædificanti domum, qui † Fodit in altum, et posuit fundamentum super petram. ℣. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei: qui tenet illum, cui assimilábitur? * Similis est. Glória. † Fodit. *Luc.* 6. *Eccli.* 25.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Turris fortissima nomen Dómini: ad ipsum currit justus, et exaltábitur. *Prov.* 18.

Ant. 6. F. Deridétur justi simplícitas: lampas contempta apud cogitatiónes divitum, paráta ad tempus statútum. *Job* 12.

Ant. 5. a. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat; et in horo vitæ [illegible] illius fructificat. *Eccli.* 11.

℣. Glorificantes te [illegible] qui diligunt nomen tuum. ℟. Quia tu benedicis justo. *Ps.* 5.

Lectiones ut in Proprio.

℟. IV. Quam magnus qui invenit sapiéntiam et scíentiam! sed * Non est super timentem Dominum. ℣. Mandatum non ad omnis inquinamentis carnis et spiritus, perficiens sanctificationem in timore Dei: * Non est. *Eccli.* 25. 2. *Cor.* 7.

℟. V. Si quis emundáverit se, * Erit vas in honorem sanctificátum, et útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. ℣. Sapiens cor abstinébit se à peccátis, et in opéribus justitiæ successus habébit. * Erit vas. 2. *Tim.* 2. *Eccli.* 3.

℟. VI. Beátus qui inventus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec speravit in pecúnia et thesauris: * Qui probátus est in illo, et perfectus est, † Erit illi glória æterna. ℣. Probátio vestræ fídei multò pretiósior auro. * Qui. Glória. † Erit. *Eccli.* 31. 1. *Petr.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Qui sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem: current, et non laborábunt; ambulábunt, et non defícient. *Is.* 40.

Ant. 2. D. Tenébit justus viam suam, et mundis má-

nibus addet fortitúdinem. *Job* 17.

Ant. 3. a. Qui fidúciam habet meî, hæreditábit terram, et possidébit montem sanctum meum. *Is.* 57.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitátes et insánias falsas. *Ps.* 39.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum; ut, cùm vénerit, confestim apériant ei. ℣. Qui vigiláverint ad illum, justítias quasi lumen accendent. * Et vos. *Luc.* 12. *Eccli.* 32.

℟. VIII. Ego ín justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine: * Satiábor, cùm apparúerit glória tua. ℣. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cógnitus sum. * Satiábor. *Ps.* 16. 1. *Cor.* 13.

℟. IX. Sapiéntia justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei; et * Dedit illi sciéntiam sanctórum: ✝ Honestávit illum ín labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei justítia est, et pax in Spíritu sancto: qui in hoc servit Christo, placet Deo. * Dedit. Glória. ✝ Honestávit. *Sap.* 10. *Rom.* 14.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, servi Dómini, Dómino: ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Ante Dóminum qui elégit me, vílior fiam plusquàm factus sum; et ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

Ant. 8. c. Semper quasi tumentes super me fluctus tímui Deum, et pondus ejus ferre non pótui. *Job* 31.

Ant. 4. d. A mandátis labiórum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus. *Job* 23.

Ant. 5. a. Ambulávit pes meus iter rectum: zelátus sum bonum; et non confundar. *Eccli.* 51.

Ant. 3. *à.* Donec súperest hálitus in me, non loquentur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. *Job* 27.

Capitulum. (2. *Cor.* 1.)

GLORIA nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo.

HYMNUS.

QUI te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámplius
Suspírat, oblítus suî.

QUID ergo gaudes néctere

Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.
Hinc fervet in dies amor:
In vota toti díffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.
Vix iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.
Æterna justórum quies,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Proba me, Deus, et vide si via iniquitátis in me est; ℟. Et deduc me in via æterna. *Ps.* 138.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifestentur ópera ejus: quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3.

ORATIO.

Fac, quæsumus, Dómine Deus noster, intercedente beáto *N.* pópulum tuum in tua dilectióne ambuláre; quia perpétua est et plena felícitas, si bonórum ómnium serviámus auctóri; Per.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus dicitur in fine Hymnorum, Doxologia:*

Æterna Justórum quies,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Ante Dóminum.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in ℟. br.*

℣. Qui propèe ómnibus * invocántibus te. *Ps.* 144.]

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Semper.

Capitulum. (*Philip.* 2.)

Cum metu et tremóre vestram salútem operámini; Deus est enim qui operátur in vobis et velle et perfícere, pro bona voluntáte.

℟. *br.* Convertantur mihi * Timentes te, Dómine. Convertantur. ℣. Et qui novérunt * testimónia tua, * Timentes te, Dómine. Glória. Convertantur mihi.

℣. Párticeps ego sum ómnium timéntium te, ℟. Et custodiéntium mandáta tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 4. d. A mandátis.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

Qui perspéxerit in legem perfectam libertátis, et permánserit in ea, non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; hic beátus in facto suo erit.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis * Verbum tuum, Dómine. Lucerna pédibus meis. ℣. Et lumen * sémitis meis, * Verbum. Glória. Lucerna.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 3. *à.* Donec súperest.

Capitulum. (*Eccli.* 15.)

JUSTITIA longè abest à supérbiâ et dolo: viri mendáces non erunt illíus mémores; et viri veráces invenientur in illa, et successum habébunt usque ad inspectiónem Dei.

℟. *br.* Justítia tua, Dómine, * Justítia in æternum. Justítia. ℣. Et lex tua, * véritas. * Justítia. Glória Patri. Justítia tua.

℣. Ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; ℟. Quia in judíciis tuis supersperávi. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. Ecce verè Israélita, in quo dolus non est. *Joan.* 1.

Ant. 4. f. Erat vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et secédens à malo. *Job* 1.

Ant. 1. D. Custodívit ánimam suam, et memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

Ant. 3. a. Non prætériit de universis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus. *Josue* 11.

Ant. 5. C. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2.

Capitulum. (*Galat.* 6.)

FRATRES, quæ seminávérit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet et vitam æternam.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà*:

Allelúia, allelúia. ℣. Timenti Dóminum benè erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur. Allelúia. *Eccli.* 1.]

Hymnus, Summi pusillus grex, *ut in I. Vesperis, suprà, p.* L.

℣. Innocens mánibus et mundo corde, hic accípiet benedictiónem à Dómino; ℟. Et misericórdiam à Deo salutári suo. *Ps.* 23.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Tu fecisti, Dómine, cum servo tuo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspectu tuo in veritáte, et justítia, et recto corde tecum. 3. *Reg.* 3.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE VIRGINUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 3. a. Quid Dómini bonum est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, et vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

Ant. 6. F. Laudábunt, et cónfluent ad bona Dómini; et ultra non esúrient: tunc lætábitur virgo in choro. *Jerem.* 31.

Ant. 5. a. Non dicat: Ecce ego lignum áridum; quia hæc dicit Dóminus: Qui teneérint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum. *Is.* 56.

Ant. 1. D. Dabo eis nomen mélius à filiis et filiábus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Is.* 56.

Ant. 7. a. Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. *Matth.* c. 19.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

UNUSQUISQUE próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

In Duplicibus-majoribus, et supra;

℟. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? membra vestra templum sunt Spiritûs sancti qui in vobis est. * Glorificáte, et † Portáte Deum in córpore vestro. ℣. Ponam tabernáculum meum in médio vestri: ambulábo inter vos, et ero Deus vester. * Glorificáte. Glória Patri. † Portáte. 1. *Cor.* 6. *Levit.* 26.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

FESTIS læta sonent sídera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici: dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.
VESTRIS illa fuit débita cœtíbus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis immemor.
SED quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem:
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.
SIC quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,

Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidem.
PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. 1. *Cor.* 1.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

Vos ô virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.
HÆC est sacra dies, óbvia quã suo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.
SOLO digna Deo cónjuge, réspuit
Mortáles thálamos: ut semel óbligat
Sese fida suo, quem bene déperit,
Ultro se Deus óbligat.
PURUM ne máculent pectus ímagines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.
ÆGRO vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit,
Unus fit Deus ómnia.
FAC, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hàc nos ire tibi, quâ gráditur viâ:
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.
DA te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora.
Amen.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: ℟. Oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Complácuit Dómino in te: et gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium*: *Ant.* 2. A. Ego dilecto meo; et ad me convérsio ejus *Cant.* 7.

In fine Hymni Doxologia: Æterne, LXII.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, immaculáta mea. *Cant.* c. 5.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

AGNUM quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adoremus. *Apoc.* 14.

Ps. 94. Veníte, 150.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

VIRGINUM robur, Deus, atque custos:
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!
PRO tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus:
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.
NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem:
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.
SPONSA dilecto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor et venustas,
Est sua membris.
OMNIS à recto fluit ille splendor:
Christe, sic olim cruce tensus altâ,
Obsequens Patri, láceros placébas
Hórridus artus.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriusque Nexus:
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

CŒLESTIS aula pánditur:
En Sponsus; omnes óbviæ
Exíte sponso vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.
HÆC nuptiális est dies,
Quæ, longa post suspíria
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam pléniùs frui Deo.
QUÆ casta vobis gáudia
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?
HUNC propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?
O VIRGINALES núptiæ,
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
SIT laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus,

Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Oleum effúsum nomen tuum; ideò adolescéntulæ dilexérunt te. *Cant.* 1.

Ant. 3. c. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. *Cant.* 1.

Ant. 5. a. Exultábimus et lætábimur in te; recti diligunt te. *Cant.* 1.

℣. Deus meus, impollúta via ejus: ℟. Protector est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, et vivam: * Non confundas me ab expectatióne mea. ℣. Ut Deo vivam, in fide vivo Fílii Dei qui dilexit me. * Non. *Ps.* 118. *Galat.* 2.

℟. II. Lex tua, Dómine, meditátio mea est: * Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ut non confundar. ℣. Secundùm expectatiónem et spem meam, magnificábitur Christus in córpore meo. * Fiat. *Ps.* 118. *Philipp.* 1.

℟. III. Ecce qui elongant se à te, Dómine, períbunt: * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Mihi. Glória Patri. * Mihi. *Ps.* 72. 1. *Cor.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. *G.* In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te, míserans. *Jerem.* c. 31.

Ant. 4. f. Ingressus sum pactum tecum, et facta es mihi. *Ezech.* 16.

Ant. 7. b. Cave nequando obliviscáris pacti Dómini Dei tui, quod pépigit tecum, quia Dóminus Deus tuus, Deus æmulátor. *Deut.* 4.

℣. Concupiscet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Sponsábo te mihi in sempiternum: * Et sponsábo te in justítia et judício, et in misericórdia, et in miseratiónibus. ℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. * Et sponsábo. *Os.* 2. 1. *Tim.* 6.

℟. V. Scient quia ego dilexi te: * Tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. ℣. Dedi corónam decóris in cápite tuo: et profecisti in regnum; quia perfecta eras in decóre meo. * Tene. *Apoc.* 3. *Ezech.* c. 16.

℟. VI. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum; * Quia ✝ Fortis est ut mors diléctio. ℣. Neque ins-

tántia, neque fortitúdo, neque creatúra ália póterit separáre à caritáte Dei; * Quia fortis est. ✝ Glória Patri. Fortis est. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 6. F. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. *Ephes.* 6.

Ant. 3. *a.* Incorrúptio facit esse próximum Deo. *Sap.* 6.

Ant. 1. a. Omnis ponderátio non est digna continentis ánimæ. *Eccli.* 26.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! * Immortális est enim memória illíus: quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. ℣. Relígio munda apud Deum et Patrem hæc est, Immaculátum se custodíre ab hoc século. * Immortális. *Sap.* 4. *Jac.* 1.

℟. VIII. Felix est stérilis: * Et incoinquináta habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. ℣. Deus reddet iis qui secundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónem quærunt, vitam æternam.* Et. *Sap.* 3. *Rom.* 2.

℟. IX. Dábitur illi sors in templo Dei acceptíssima: * Bonórum enim labórum gloriósus est fructus, et quæ non cóncidat radix sapiéntiæ. ℣. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. * Bonórum. * Glória. * Bonórum. *Sap.* 3. *Matth.* 5.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantábo tibi, Dómine: ℟. Psallam, et intélligam in via immaculáta. *Ps.* 100.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Dilectus meus descendit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut lília cólligat. *Cant.* 6.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. *Cant. c.* 3.

Ant. 2. D. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

Ant. 6. *C.* Dilectus meus ordinávit in me caritátem: fulcíte me flóribus, stipáte me malis. *Cant.* 2.

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

Capitulum. (*Sap.* 8.)

Ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum, ádii Dóminum.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

Quid sacram, Virgo generósa Martyr,

Ambiunt frontem dúplices
corónæ?
Nempe non unum gémino
reportas
Hoste triumphum.
Mollior fregit neque te
voluptas;
Impotens flexit neque te tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.
Liliis Sponsus récubat,
rosisque:
Tu, tuo semper bene fida
Sponso,
Et rosas martyr, simul et
dedisti
Lília virgo.
Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriusque
Nexus:
Fac tibi semper placeámus
uni
Móribus æquis. Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Factus est Dóminus firmamentum meum: liberávit me, quia complácui ei: secundùm mundítiam manuum meárum reddet mihi. 2. *Reg.* 22.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus múnere beáta *N.* virginitátis et martyrii palmam adepta est: da nobis ejus précibus, ita córporis ac mentis serváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

Non vana dilectum gregem
Pavére mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo lusit séculi.
Sed hæc tuárum própria
Sunt, Christe, sponsárum
bona,
Te semper, et tecum tuis
In te potíri gáudiis.
Castis vicissim tu tibi
In córdibus thorum struis;
Interque flammas íntimo
Amans quiescis in sinu.
Hic unus est sponsis amor,
Unusque tecum spíritus;
Beásque sponsus síngulas,
In teque transformas, Deus.
Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.
Sit laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

℣. Sitívit in te ánima

mea: ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. *Is.* 61.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituisti; concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo; Per.

ALIA COLLECTA. Orémus.

FIDELES tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* vírgine tuâ, córpore et mente purífica; ut tuâ inspiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre prævaleant; atque ut eárum non capiantur illécebris, tuâ semper suavitáte pascantur; Per.

AD HORAS, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum, Doxologia:*

ÆTERNE Sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Dilectus meus.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà in* ℟. *br.*

℣. Qui es Agnus * quem sequuntur Vírgines. *Apoc.* 14.]

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Invéni.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

DE virgínibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

℟. *br.* Lætétur mons Sion: * Exultent filiæ Judæ. Lætétur. ℣. Propter judícia tua, * Dómine, * Exultent filiæ Judæ. Glória Patri. Lætétur. *Ps.* 47.

℣. Audívit, et lætata est Sion; ℟. Et exultavérunt filiæ Judæ. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Ego.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

MULIER innupta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu: quæ autem, nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo? * Et à te quid volui super terram? Quid. ℣. Deus cordis mei, * et pars mea Deus in æternum. * Et. Glória Patri. Quid. *Ps.* 72.

℣. Concupiscit, et déficit ánima mea in átria Dómini: ℟. Cor meum et caro mea exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Sub umbra.

Capitulum. (2. *Cor.* 11.)

ÆMULOR vos Dei æmulatióne : despondi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. *br.* Afferentur Regi vírgines * In lætítia et exultatióne. Afferentur Regi vírgines. ℣. Adducentur * in templum Regis, * In lætítia. Glória. Afferentur.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum, ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Vírgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. *Matth.* 25.

Ant. 3. a. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, et ornavérunt lámpades suas. *Matth.* c. 25.

Ant. 7. d. Médiâ nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. *Matth.* 25.

Ant. 2. D. Venit sponsus; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

Ant. 1. D. Vírgines sequuntur Agnum quócumque íerit : sine mácula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Capitulum. (*Apoc.* 19.)

REGNAVIT Dóminus Deus noster omnípotens : gaudeámus, et exultémus, et demus glóriam ei; quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. Cantábant Vírgines quasi Cánticum novum ante sedem Dei et Agni. Allelúia. *Apoc.* 14.

Si sit Martyr, Hymnus, Festis læta sonent, *ut in primis Vesperis,* LVI.

℣. Conféssio et pulchritúdo in conspectu Dei : ℟. Sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Casta generátio in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

O VIRGO, pectus cui sacrum,
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perussit Spíritus!

NON te voluptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amantem pérsequi
Cœlestis Agni núptias.

SIC ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána euncta témneres.

Beáta cui nunc, Cœlitûm

Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.
ÆTERNE sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.
℣. Vírgines laudent nomen Dómini: ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solius. *Ps.* 148.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f In resurrectióne neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE SANCTARUM MULIERUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 6. F. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua nisi in te, Dómine Deus. *Esther.* 14.

Ant. 2. D. Ad te, Dómine, óculos meos dírigo: tu scis quia mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntia. *Tob.* 3.

Ant. 8. c. Nunquam cum ludéntibus míscui me; neque cum his qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. *Tob.* 3.

Ant. 3. a. Dómine Pater, omne desidérium averte à me, et ánimæ irreverenti et infrunítæ ne tradas me. *Eccli.* 23.

Ant. 5. C. Adjuva me ancillam tuam, nullum áliud auxílium habentem, nisi te, Dómine, qui nosti quia óderím glóriam iniquórum. *Esther.* 14.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

RELINQUET homo patrem, et matrem suam, et adhærébit uxóri suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclésia. Verúmtamen et vos síngulí unusquisque uxórem suam sicut seipsum díligat; uxor autem tímeat virum suum.

In Duplicibus-majoribus, et supra:

℟. Virum, Dómine, cum timóre tuo, non cum libídine mea consensi suscípere: * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula. ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. * Sit. Glória. Patri * Sit. *Tob.* 3. 1. *Thess.* c. 4.

HYMNUS.

AD núptias Agni Pater

Matres et innuptas vocat :
O te beátam, cui thorus
Interque sponsas sors datur!
Lex nuptiárum cáritas
Dos magna, paupertas, tibi,
Calcáre falláces opes,
Cadúca corde spérnere.
Te, multus oblectat labor,
Fusæque jejúnam preces :
Te pœnitentem lácrymæ,
Te cura páuperum juvat.
Quacumque confixam sibi,
Per probra sponsam, per cruces
Trahit Magister; et sequi
Despecta gaudes, et pati.
Beata quæ sponso Deo
Castis adhæret vínculis :
Sic corpus unum póssumus,
Sic unus esse spíritus.
Hoc præstet almo cum Patre,
Natóque nobis, Spíritus,
Qui trinus ac unus Deus
Regnat per omne séculum.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Factus es spes mea, Dómine : ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimici. *Ps.* 60.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, et de tua misericórdia præsumentem; ut gèntes agnoscant quia tu es Deus, et non est álius præter te. *Judith.* 9.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Si non sit Martyr, ℣. Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem : ℟. In via tua vivífica me. *Ps.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. A. Exultávit cor meum in Dómino, et dilatátum est os meum; quia lætáta sum in salutári tuo. 1. *Reg.* 2.

Collecta, ut infra ad Laud.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium :* *Ant.* 2. A. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31.

In fine Hymni, Doxologia : Divína, LXIX.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. D. Indue te decóre sempiternæ glóriæ; Deus enim ostendet splendórem suum in te. *Baruch* 5.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum in quo sperant sanctæ mulíeres, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 3.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Adeste, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat Cœlites.
Blandos ut hostes vínceret,
Hanc fortitúdo véstiit :
Ut prosit intuéntibus,
Cœlestis ornávit decor.
Non vana pompa séculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens voluptas ártibus
Viríle pectus móllit.
Non illa luxu véstium,
Non crine torto splénduit :
Cultu nitens sed simplice,

Puris placébat móribus.
Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus
Pascenda cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.
Divina Proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, et cum electis féminis gráditúr. *Eccli.* 1.

Ant. 2. D. Sápiens múlier ædíficat domum: múlier gratiósa invéniet glóriam. *Prov.* 14.

Ant. 3. *à.* Pars bona, múlier bona: in parte timéntium Deum dábitur. *Eccli.* 26.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Mulíerem fortemquis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus: * Confídit in ea cor viri sui: reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Vir imágo et glória Dei est: múlier autem glória viri est. * Confídit in ea. *Prov.* 31. 1. *Cor.* 11.

℟. II. Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum: * Disciplína illíus datum Dei est. ℣. Quæ fílios aut nepótes habet, discat domum suam régere; hoc enim acceptum est coram Deo. * Disciplína illíus. *Eccli.* 26. 1. *Tim.* 5.

℟. III. Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta: * Fundamenta æterna supra petram sólidam, mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. ℣. Venérunt flúmina et flavérunt venti, et irruérunt in domum, et non cécidit; fundáta enim erat super petram. * Fundamenta. Glória Patri. * Fundamenta. *Eccli.* 26. *Matth.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Deprecabátur Dóminum; dicens: Dómine mi, qui rex noster es solus, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. *Esther* 14.

Ant. 5. a. Ostende quóniam non derelinquis præsumentes de te; et præsumentes de se, et de sua virtúte glóriantes humílias. *Judith* 6.

Ant. 6. F. In consílium eórum non véniat ánima mea, et in cœtu illórum non sit glória mea. *Genes.* 49.

℣. Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit superbiam: ℟. Qui lóquitur iníqua, non direxit in conspectu oculórum meórum. *Ps.* 100.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Miserícórdia tua, Dómine, ante óculos meos est; et *Complácui in veritáte tua: non sedi cum concílio vanitátis. ℣. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? * Complácui in veritáte. *Ps.* 25. 2. *Cor.* 6.

℟. V. Dilexi, Dómine, mandáta tua super aurum et topázion; * Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iníquam ódio hábui. ℣. Non in abundántia cujusquam vita ejus est ex his quæ póssidet. *Proptéreà. *Ps.* 118. *Luc.* 12.

℟. VI. Ego in Dómino sperávi: * Exultábo et lætábor in misericórdia tua: ✝ Quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam. ℣. Ubi Spíritus Dómini, ibi libertas. * Exultábo. Glória Patri. ✝ Quóniam. *Ps.* 30. 2. *Cor.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith* 15.

Ant. 8. G. Benedicta es à Dómino; scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth* 3.

Ant. 5. C. Gaudébit super te Dóminus in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude. *Soph.* 3.

℣. Benedícat te Dóminus ex Sion; ℟. Et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ. *Ps.* 127.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergressa es universas. * Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. ℣. In incorruptibilitáte modesti spíritûs, quî est in conspectu Dei lócuples, sanctæ mulíeres ornábant se. * Fallax grátia. *Prov.* 31. 1. *Petr.* 3.

℟. VIII. Fecisti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quòd castitátem amáveris: * Ideò et manus Dómini confortávit te, et ídeò eris benedícta in æternum. ℣. O múlier, magna est fides tua: * Ideò. *Judith* 15. *Matth.* c. 15.

℟. IX. Omnia quæ locúta es, vera sunt; et non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio: * Nunc ergo ✝ Ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, et timens Deum. ℣. Fides tua te salvam fecit. * Nunc. Glória. ✝ Ora. *Judith* 8. *Luc.* 7.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Glorificábo nomen tuum in æternum, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in

ornamentum domûs ejus. *Eccli.* 26.

Ant. 2. D. Múlier fortis oblectat virum suum; et annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26.

Ant. 3. c. Múlier sensáta, et tácita: non est immutátio erudítæ ánimæ. *Eccli.* 26.

Ant. 4. d. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. *Prov.* 31.

Ant. 5. a. Non discedébat de templo, jejúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2.

Capitulum. (1 *Petr.* 3.)

MULIERES súbditæ sint viris suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifíant, considerantes in timóre castam conversatiónem vestram.

HYMNUS.

ARDET Deo quæ Fémina
Latére frustrà cógitat:
Quot índigos hæc súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia;
Patróna custos vírginum,
Secunda mater órphanis.

PANNIS latentem vílibus
Christum fovébat hóspitem:
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

PACEM domi, pacem foris
Alto colit siléntio:
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

DIVINA proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Am.

Si sit Martyr, ℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus: ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ; et exaudíta est orátio mea. *Eccli.* 51.

COLLECTA. Orémus.

DEUS cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur: largíre nobis beátæ *N.* Mártyris tuæ passiónem recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Si non sit Martyr, ℣. Humiliábam ánimam meam, ℟. Et orátio mea in sinu meo convertétur. *Ps.* 34.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Orátio humiliantis se nubes penetrábit; et non discédet, donec Altíssimus aspíciat. *Eccli.* 35.

COLLECTA. Orémus.

TUORUM corda fidélium, Deus miserátor, illustra: et beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere, et amáre cœléstia; Per.

Si sit Vidua,

COLLECTA. Orémus.

DEUS, in quem sperat omnis ánima quæ longè à te

éxulans in terris se verè víduam sentit ac desolátam : tribue nobis, quæsumus, ut exemplo beátæ *N.* nocte ac die obsecratiónibus et oratiónibus instantes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes; Per.

Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum, Doxologia:*

Divina Proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Sicut sol.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà in ℟. br.*

℣. Qui es Pater orphanórum, et Judex Viduárum. *Ps.* 67.]

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Múlier fortis.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Mulieres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino; quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ, ipse salvátor córporis ejus.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam, * Quia Deus meus es tu. Doce me. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me, * Quia. Glória Patri. Doce me. *Ps.* 142.

℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos; ℟. Ut custódiam verba tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Múlier.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

Mulier in siléntio discat cum omni subjectióne. Docére autem mulíeri non permitto, neque dominári in virum, sed esse in siléntio.

℟. *br.* Custódiam vias meas, * Ut non delinquam in lingua mea. Custódiam. ℣. Pósui ori meo * custódiam, * Ut non. Glória Patri. Custódiam. *Ps.* 38.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ. ℟. Dicam Deo: Susceptor meus es. *Ps.* 41.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Non discedébat.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

Volo oráre mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia et sobrietáte ornantes se, et non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ, sed quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona.

℟. *br.* Expectávi Dóminum, * Et intendit mihi. Expectávi. ℣. Et exaudívit * preces meas, * Et intendit. Glória. Expectávi. *Ps.* 39.

℣. Veníte, et vidéte ópera Dei, ℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. In ancilla sua

adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith* 13.

Ant. 4. E. Erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith* 8.

Ant. 7. ç. Considerávit sémitas domûs suæ, et panem otiósa non comédit. *Prov.* 31.

Ant. 1. D. Filios educávit, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5.

Ant. 6. F. Surrexérunt filii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. *Prov.* 31.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

MULIER salvábitur per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, et dilectióne, et sanctificatióne cum sobrietáte.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà:*

Allelúia, allelúia. ℣. Ego sum, ego sum, quæ Dómino canam: psallam Dómino Deo Israel. Allel. *Judic.* 5.

HYMNUS.

O JAM beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!
PER quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ Cónjuges.
INSIGNIS et nos Féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.
QUEIS arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus et nos ígnibus;
Eoque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.
DIVINA Proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Vídeant qui odérunt me, et confundantur; ℟. Quóniam, tu Dómine, adjuvisti me. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Confitébor nómini tuo, Dómine; quóniam adjútor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum à perditióne. *Eccli.* 51.

Collecta, ut supra ad Laud.

Si non sit Martyr, ℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Fortitúdo et decor indumentum ejus: date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31.

Collecta ut suprà ad Laudes.

OFFICIUM B. MARIÆ V. IN SABBATO.

SEMIDUPLEX

IN I. VESPERIS.

Super Psalmos de Feria, sola

Ant. 1. a. Magna eris, et nomen tuum nominábitur in universa terra. *Judith* 10.

Capitulum. (*Genes.* 3.)

AIT Dóminus Deus ad serpentem: Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum, et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum.

HYMNUS.

AVE maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.
VITAM præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur,
SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto;
Tribus honor unus. Amen.

℣. Deus operátus est salútem in médio terræ: ℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Ps.* 73.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Benedictus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith* 13.

Collecta ut infrà ad Laudes.

De Semiduplici aut Simplici occurrente fit Commemoratio.

AD COMPLETORIUM, *ut in Psalterio et in Ordinario.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM de María natum,*
Veníte, adorémus. *Matt.* 1.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O QUAM glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;

Sublímis résidens, virgo María,
Supra Cœligenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedisti:
Humános Deus hinc índuit artus.
QUEM cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc rítè genu fléctitur omne,
A quo, te précibus subveniente,
Æterni pétimus gáudia regni.
DIVINÆ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Vírgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

Psalmi de Sabbato, sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. 4. A. Benedicta tu inter mulíeres; et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Ant. 8. G. Benedicentur in te et sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Genes.* 28.

Ant. 3. a. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith* 13.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86.

ABSOLUTIO et BENEDICTIONES *ut in Ordin. Brev. pro Officiis Beatæ Mariæ Virginis* 151 *et* 153.

Lectio prima, de Scriptura occurrente, è tribus fit una: secunda et tertia, ut infrà pro quolibet mense.

Post I Lect. ℟. Manus Dómini confortávit te, * Et ídeò eris benedicta in æternum. ℣. Beáta quæ credidisti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. * Et ídeò. *Judith* 15. *Luc.* 1.

Post II Lect. ℟. Benedicta es tu fília à Dómino Deo Excelso, * Præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Invenísti grátiam apud Deum. * Præ. *Judith* 13. *Luc.* 1.

Post III Lect. ℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen ejus in idipsum. * Quia fecit mihi. Glória. * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 33.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergressa es universas. *Prov.* 31.

Ant. 3. a. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu

honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Ant. 6. F. Beáti omnes qui gaudent super pace tua. *Tob.* 13.

Ant. 7. d. Lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicentur, et convertentur ad Dóminum. *Tob.* 13.

Ant. 2. D. Beáti servi tui, qui stant coram te semper, et áudiunt sapiéntiam tuam. 3. *Reg.* 10.

Capitulum. (2. *Paral.* 9.)

QUIA díligit Deus Israel, et vult serváre eum in æternum, idcircò pósuit te super eum.

HYMNUS.

NUNC auróra, novæ núntia lucis,
Tristes orbe procul díssipat umbras:
O quàm lucídior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo réfulges!
O QUÆ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
INTER perpétuos Núminis haustus,
O Regína, tibi sánguine junctum
Ne dedisce genus: nostra fuisti,
Summi facta Parens, Virgo, Tonantis.
DIVINÆ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo Parens, glória nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Magna est glória ejus,
℟. In salutári tuo, Domine. *Ps.* 20.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Benedictus Dóminus, quia nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* c. 13.

Ab Octavâ Corporis Christi ad Assumptionem B. M. V.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui in Cruce móriens beátam Vírginem Maríam Genitrícem tuam, Matrem nobis pio favóre dedisti; concéde, ut tanti benefícii mémores, vitæ innocéntiâ, sincerâque pietáte, nos dignos Maríæ fílios comprobémus, Qui vivis.

Post Octavam Assumptionis. B. M. V.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui beátam Maríam semper Vírginem, super choros Angelórum exaltátam, mundi Dóminam constituisti; concéde, propítius, ut quam toto cordis affectu venerámur, ejus apud te potentíssimam in-

tercessiónem sentiámus; Per Dóminum.

De Semiduplici aut Simplici occurrente fit Commemoratio.

Ad Horas, *in fine Hymnorum, Doxologia:*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Multæ filiæ.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Tu glória.

Capitulum. (*Judith* 13.)

Non pepercisti ánimæ tuæ propter angústias et tribulationem géneris tui; sed subvenisti ruínæ ante conspectum Dei nostri.

℟. *br.* Tríbuat tibi Dóminus * secundùm cor tuum. Tríbuat. ℣. Et omne consílium tuum confirmet. * Secundùm. Glória. Tríbuat. *Ps.* 19.

℣. Benedixit fíliis tuis in te, ℟. Qui pósuit fines tuos pacem. *Ps.* 147.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Beáti omnes.

Capitulum. (*Tob.* 13.)

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, et sit regnum ejus in sécula seculórum super eam.

℟. *br.* Thronus ejus sicut sol * in conspectu meo. Thronus. ℣. Et sicut luna perfecta in æternum * in conspectu. Glória. Thronus. *Ps.* 88.

℣. Hæc réquies mea in séculum séculi: ℟. Hic habitábo quóniam elégi eam. *Ps.* 131.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Beáti.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotídiè, et observat ad postes óstii mei: Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem à Dómino.

℟. *br.* Veníte filii, * audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini * docébo vos. * Audíte. Glória. Veníte. *Ps.* 33.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam; ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

Vesperæ *de Dominica sequenti.*

Pro Commem. B. M. V.

Ant. Sérviant tibi populi, et incurventur ante te: et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. *Gen.* 27.

℣. Corónat te Dóminus in misericórdia et miserationibus: ℟. Replet in bonis desidérium tuum. *Ps.* 102.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in offi-

cio Beatæ Mariæ in Sabbato. Si autem occurrat Semiduplex aut Simplex, omissâ tertiâ Lectione hic positâ, tertia Lectio erit de Festo occurrente.

MENSIBUS

MAIO ET JUNIO.

LECTIO II.

Ex libro sancti Irenæi Episcopi et Mártyris, adversùs Hæreses.

(Lib. 51, cap. 19.)

In sua própria veniente Dómino; et suâ própriâ eum bajulante conditióne, quæ bajulátur ab ipso; et recapitulatiónem ejus quæ in ligno fuit inobediéntiæ, per eam quæ in ligno est, obediéntiam faciente; et seductióne illâ solútâ, quâ seducta est malè illa quæ jam viro destináta erat virgo Eva: per veritátem evangelizáta est benè ab Angelo jam sub viro Virgo María. Quemádmodùm enim illa per angélicum sermónem seducta est, ut effúgeret Deum, prævaricáta verbum ejus; ita et hæc per angélicum sermónem evangelizáta est, ut portáret Deum, obédiens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effúgeret Deum; sic hæc suása est obedíre Deo, uti vírginis Evæ virgo María fíeret advocáta. Et quemádmodùm astrictum est morte genus humánum per vírginem, solvátur per vírginem, æquâ lance dispósita virgináli obediéntia per virgináli obediéntiam.

LECTIO III.

Ex libro Epistolárum sancti Cyrilli Alexandrini.

(Conc. Eph. part. 1, cap. 9.)

Quod Verbum caro factum perhibétur, id áliud nihil est, quàm quòd, perinde ac nos, carni et sánguini communicávit, nostróque córpore sibi adjuncto ex muliére prodíerit, deitáte ínterim, aut ex Patre nativitáte non abjectâ: mansit enim, in ipsa quoque carnis assumptióne, quod priùs erat. Hoc exactióris fídei doctrína ubique prædicat: hoc sanctos patres sanxisse, eâque de causâ sacram Vírginem Deíparam appellâre mínimè dubitasse constat; non quòd Verbi natúra, ipsiusve divínitas, ortûs sui princípium ex sancta Vírgine súmpserit; sed quòd sacrum illud corpus ánimâ intelligente perfectum, ex ea tráxerit; cui et Dei Verbum secundùm hypóstasim unítum, secundùm carnem natum dícitur.

MENSE JULIO.

LECTIO II.

Sermo sancti Joannis Damascéni.

(Hom. 1, de Dormit. B. M. V.)

Tibi assidémus, ô Dómina,

Dei génitrix Virgo, ánimos nostros ad spem tuam non secus atque ad firmíssimam solidissimamque ánchoram alligantes. Mentem, ánimum, corpus, nos ipsos dénique totos tibi consecrámus, psalmisque, et hymnis, et cánticis spirituálibus, quantùm póssumus, honorámus. Fieri quippe non potest, ut pro rei dignitáte eo múnere defungámur. Nam si, ut nos sermo sacer dócuit, honor qui conservis habétur, benevoléntiam erga commúnem Dóminum declárat; quînam stúdium te honorandi, quæ Dóminum peperisti, negligendum sit? Quómodò non excolendum? quómodò non vel necessário spirámini præferendum, quando vitam concíliat? Hâc enim ratióne nostram erga Dóminum benevoléntiam luculéntiùs ostendémus.

LECTIO III.

Sufficit certè iis qui tuî memóriam piè récolunt, pretiosíssimum recordatiónis tuæ donum: quippè quæ ejúsmodi lætítiam páriat, quæ à némine auferátur. Quâ enim voluptáte, quibus bonis non implétur, qui mentem suam sanctíssimæ recordatiónis tuæ promptuárium fecit? Tu ítaque, bona Dómina, boni Dóminí Parens, nos velim inspícias, resque nostras arbitrio tuo regas ac moderéris. Fœdissimárum nostrárum affectiónum ímpetum cómprimas, ut compósitis flúctibus, nos ad tranquillum divínæ voluntátis portum dírigas, ac futúrâ beatitúdine dones; illâ, inquam, dulci Dei Verbi incarnáti per ejus conspectum illuminatióne; cum quo, Patri glória, honor, impérium majestas et magnificéntia, cum sanctíssimo, bonoque, et vivífico ejus Spíritu, nunc et semper, et in sécula seculórum. Amen.

MENSE AUGUSTO.

LECTIO II.

Sermo sancti Anselmi Epíscopi.

(Orat. 51, ad B. M. V.)

Nihil est æquále Maríæ: nihil, nisi Deus, majus Maríâ. Deus Fílium suum, quem solum de corde suo æquálem sibi génitum, tanquam seipsum diligébat, ipsum dedit Maríæ: et ex María fecit sibi Fílium, non álium, sed eumdem; ut naturáliter esset unus idemque commúnis Fílius Dei et Maríæ. Omnis natúra à Deo est creáta, et Deus ex María est natus. Deus ómnia creávit, et María Deum génuit. Deus qui ómnia fecit, ipse se ex María fecit: et sic ómnia quæ fécerat, refécit. Qui pótuit ómnia de níhilo fá-

cere, nóluit ea violáta sine María reficere. Deus ígitur est pater rerum creatárum, et María est mater rerum recreatárum. O verè Dóminus tecum, cui dedit Dóminus, ut omnis natúra tantùm tibi debéret secum.

LECTIO III.

Sicut, ô Beatíssima, omnis à te aversus et à te despectus, necesse est ut intéreat: ità omnis ad te conversus et à te respectus, impossíbile est ut péreat. Sicut enim, Dómine, Deus génuit illum in quo ómnia vivunt, sic ô tu, flos virginitátis, genuisti eum per quem et mórtui reviviscunt. Et sicut Deus per Fílium suum beátos Angelos, à peccáto servávit; ita ô tu, Deus puritátis, per Fílium tuum míseros hómines ex peccáto salvábis. Non est reconciliátio, nisi quam tu casta concepisti: non est justificátio, nisi quam tu íntegra in útero fovisti: non est salus, nisi quam tu Virgo peperisti. O beáta fidúcia! ô tutum refúgium! Mater Dei est Mater nostra: Mater ejus in quo solo sperámus et quem solum timémus, est mater nostra, mater, inquam, ejus qui solus salvat, solus damnat, est mater nostra.

OFFICIUM PARVUM B. MARIÆ V.

[EXTRA CHORUM DICITUR AD LIBITUM.]

In Ecclesiis in quibus solet dici, dicitur in Feriis, extrà Tempus Paschale.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo : Vesperæ et Completorium ante Vesperas Officii diei; Officium verò Nocturnum cum ceteris Horis post Laudes Officii diei.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O QUAM glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedisti:
Humános Deus hinc índuit artus.
QUEM cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus subveniente,
Æterni pétimus gáudia regni.
DIVINÆ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

In Festis beatæ Mariæ dicuntur in Nocturnis novem sequentes Psalmi, cum Antiphonis propriis.

In Officio autem parvo dicuntur tantùm tres Psalmi, secundùm ordinem Feriarum, ut infrà notatur.

IN I.° NOCTURNO.

Feriâ II et V,

Ant. sola 1. a. Ave.

PSALMUS 8.

DOMINE Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam et stellas quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ et honóre coronasti eum, * et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, * et pisces maris, qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 18.

Cœli enarrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * in sole pósuit tabernáculum suum.

Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad currendam viam.

A summo cœlo egréssio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint dominàti, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * et meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redemptor meus.

PSALMUS 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia

in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ intende, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga dilectiónis, virga regni tui.

Dilexistijustítiam, et odisti iniquitátem; * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui:

Et concupiscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs: * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia et exultatióne; * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum, * et in séculum séculi.

Ant. Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; ℟. Et concupiscet rex decórem tuum. *Ps.* 44.

Pater noster, *etc.*

Lectiones infrà.

IN II.° NOCTURNO.

Feriâ III et VI,

Ant. sola 8. c. Ecce.

PSALMUS 45.

Deus noster refúgium et virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt

aquæ eórum; * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam; mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus; * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Dómine, terram tuam, * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ: * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster; * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis; * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * et justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in via gressus suos.

PSALMUS 86.

Fundamenta ejus in móntibus sanctís: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium* habitátio est in te.

Ant. Ecce concípies in útero, et páries fílium; et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Pater noster, *etc.*

Lectiones infrà.

IN III.° NOCTURNO.

Feria IV et Sabbato,

Ant. sola 2. D. Quod nascétur.

PSALMUS 95.

CANTATE Dómino, cántieum novum; * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspectu ejus; * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam et honórem: * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra; * dícite in géntibus, quia Dominus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, et exultet térra; commoveátur mare et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

PSALMUS 96.

DOMINUS regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus: * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcé-

det, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * et qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audívit, et lætáta est Sion: * et exultavérunt filiæ Judæ propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

PSALMUS 97.

CANTATE Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino, in cíthara, * in cíthara et voce psalmi.

In tubis ductílibus et voce tubæ córneæ, * jubiláte in conspectu regis Dómini.

Moveátur mare, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster, *etc.*

ABSOLUTIO.

(Judith. 13.)

NOBISCUM sit Deus, qui in ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel.

Bened. Deus, à quo missus est Angelus Gábriel ad Vírginem Maríam, mittat nobis

de cœlis sapiéntiam. *Luc.* 1. *Sap.* 6. ℟. Amen.

LECTIO I.

(Isaiæ 7.)

ADJECIT Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo, domus David : Numquid parum vobis est molestos esse homínibus ; quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum : Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium ; et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem.

℟. Benedícam ei, et ex illa dabo fílium cui benedictúrus sum : * Constítuam pactum meum illi in fœdus sempiternum. ℣. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur; et regnábit in domo Jacob in æternum. * Constítuam. *Genes.* 17. *Luc.* 1.

Bened. Fílius Altíssimi, quem Virgo concépit et péperit, det nobis fílios Dei fíeri. *Luc.* 1. *Joan.* 1.

LECTIO II.

(Galat. 4.)

QUANTO témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium ; sed sub tutóribus et actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre ; ita et nos, cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege ; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est : páriet autem fílium ; * Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. * Ipse. *Matth.* 1. *Eccli.* 44.

Bened. Spíritus sanctus, de quo est, quod in María natum est, sanctíficet nos per ómnia. *Matt.* 1. 1. *Thess.* 5.

LECTIO III.

(Apoc. 11 et 12.)

APERTUM est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus : et facta sunt fúlgura, et voces, et terræ motus, et grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo : Múlier amicta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Tu autem.

℟. Exultávit Spíritus meus in Deo salutári meo ; * Quia respexit humilitátem ancillæ suæ. ℣. Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen ejus in idipsum. * Quia. Glória. * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 33.

Non dicitur Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus : ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Ps. 66. Deus misereátur, 96.

Ps. 92. Dóminus regnávit, decórem, 8.

Ps. 99. Jubiláte Deo..... servíte, 9.

CANTICUM.

(Zach. 2.)

LAUDA et lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * et erunt mihi in pópulum, et habitábo in médio tuî.

Et scies quia Dóminus exercítuum * misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terra sanctificáta; * et éliget adhuc Jerúsalem.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus, 55.

Ant. 4. A. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Capitulum. (*Jerem.* 32.)

CREAVIT Dóminus novum super terram : Fémina circúmdabit vírum.

HYMNUS.

O GLORIOSA Vírginum
Regína, cœlo célsior,
Quanto, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit!

CUNCTIS Deum, virgo paris
Desiderátum géntibus :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redemptæ pláudite.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ. ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

Ad Bened. *Ant.* 3. à. Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti : præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

MEMENTO, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misertus, pérditi
Mundi redemptor véneris.

ET nos, Dei Virgo parens,
Vul u benigno réspice :
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

Ps. 71. Deus, judícium tuum regi da, 49; *Divisío Ps.* 71. Reges Tharsis, 49; *Ps.* 116. Laudáte Dóminum, omnes, 135; *sub Ant.* 2. D. Fílius Dei factus est ei ex sémine David secundum carnem. *Rom.* 1.

Capitulum. (*Isaiæ* 11.)

EGREDIÉTUR virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet, et requiescet super eum Spíritus Dómini.

℟. *br.* Semen ejus * In. æternum manébit. Semen. ℣. Et thronus ejus sicut sol * in conspectu meo, * In. Glória Patri. Semen. *Ps.* 88.

℟. Dominábitur à mari usque ad mare, ℟. Et usque ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

COLLECTA. Orémus.

PROTEGE, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; et beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus et perículis redde secúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Hymnus, Memento, de Deo Deus, *suprà*.

Psalm. 115. Crédidi propter, 101; *Ps.* 119. Ad Dóminum, 63; *Ps.* 120. Levávi, 44, *sub Ant.* 4. d. De Maria natus est Jesus, qui vocatur Christus. *Matth.* 1.

Capitulum. (*Isaiæ* 7.)

DABIT Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, et páriet filium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. *br.* Deus in médio ejus, * Non commovébitur. Deus ℣. Adjuvábit eam * mane dilúculo: * Non commovébitur. Glória. Deus. *Ps.* 45.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131

COLLECTA. Orémus

DEUS, qui salútis æternæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

AD SEXTAM.

Hymnus, Memento, *suprà*.

Ps. 122. Ad te levávi, 83; *Ps.* 123. Nisi quia, 44; *Ps.* 124. Qui confídunt, 83, *sub Ant.* 7. d. Péperit filium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes. *Apoc.* 12

Capitulum. (*Mich.* 5.)

EX te egrediétur qui sit dominátor in Israel; et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis.

℟. *br.* Homo * Natus est in ea. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam * Altíssimus: * Natus est. Glória Patri. Homo. *Ps.* 86.

℣. Ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo. ℟. Exultávit ut gigas ad currendam viam. *Ps.* 118.

COLLECTA. Orémus.

CONCEDE, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem.

AD NONAM.

Hymnus, Memento, *suprà*.

Ps. 125. In convertendo, 44; *Ps.* 127. Beáti omnes, 142; *Ps.* 132. Ecce quàm bonum, 64; *sub Ant.* 1. *g.* Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxisti. *Luc.* 11.

Capitulum. (*Galat.* 4.)

UBI venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliére, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br.* Misericórdia et véritas * Obviavérunt sibi. Misericórdia. ℣. Justítia et pax * osculátæ sunt, * Obviavérunt sibi. Glória Patri. Misericórdia.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84

COLLECTA. Orémus.

FAMULÓRUM tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

AD VESPERAS.

Ant. sola 3. c. In me ancillà.

PSALMUS 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * dominére in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * propterea exaltábit caput.

PSALMUS 112.

LAUDATE, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini bene-

dictum, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humilia réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans à terra inopem, * et de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

PSALMUS 121.

LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * et abundantia in túrribus tuis

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

PSALMUS 126.

NISI Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducâtis panem dolóris, cùm déderit dílectis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, fílii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

PSALMUS 147.

LAUDA, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe frumenti sátiat te;

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam quam promísit dómui Israel. *Judith* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Qui créavit me, requiévit in tabernáculo meo : et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in electis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum.

HYMNUS.

Ave, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto ;
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino : ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde ; et intercedente sanctíssimâ Dei genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, et mentes nostras humilitáte et caritáte sanctífica ; Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos. ℣. Deus, in adjutórium.

Ps. 128. Sæpè expugnavérunt, 121 ; *Ps.* 129. De profundis, 84 ; *Ps.* 130. Dómine, non est exaltátum, 84.

sub sola Ant 5. a. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith* 13.

HYMNUS.

VIRGO Dei génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.
HINC méritò dicent te sécula cuncta beátam :
Hinc pópuli matrem te dominamque colunt.
SUSCIPE, quos pia plebs tibi péndere certat, honóres :
Annue, sollícitâ quam prece poscit, opem.
GLÓRIA magna Patri : compar sit glória Nato :
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

Capitulum. (*Judith* 13.)

NOMEN tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabuntur. Vultum. ℣. Omnes dívites * plebis * Deprecabuntur. Glória Patri. Vultum.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne et generatiónem. *Ps.* 44.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 4. E. Memoráre diérum humilitátis tuæ; et ínvoca Dóminum, et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte. *Esther* 15.

COLLECTA. Orémus.

BEATÆ et gloriósæ semperque vírginis Maríæ, quæsumus, Domine, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat æternam; Per Dóminum.

PROSA DE BEATA.

AD DEVOTIONEM.

INVIOLATA, íntegra et casta es, María :
Quæ es effecta fúlgida cœli porta.
O mater alma Christi caríssima.
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint et córpora,
Te nunc flágitant devóta corda et ora.
Tua per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sécula.
O benigna ! O benigna ! O benigna !
Quæ sola invioláta permansisti.
℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

ORATIO.

FAMULÓRUM tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

COMMUNE PATRONORUM.

PRO APOSTOLO.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 18. Cœli enárrant, *cum sua divisione*, 48; *Ps.* 43. Deus, áuribus nostris, *cum sua divis.*, 115; *Ps.* 44. Eructávit cor meum, 137.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 4.)

Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meipsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dominus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadusque véniat Dominus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque à Deo.

LECTIO II.

Hæc autem, fratres, transfigurávi in me et Apollo, propter vos; ut in nobis discátis, ne suprà quàm scriptum est, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis; et útinam regnétis, ut et nos vobiscum regnémus! Puto enim quòd Deus nos Apostolos novíssimos ostendit tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

LECTIO III.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et

sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operantes mánibus nostris. Maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo; sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 46. Omnes gentes, pláudite, 40; *Ps.* 63. Exáudi Deus, oratiónem meam, 128; *Ps.* 74. Confitébimur tibi, Deus, 129.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 86. Fundamenta ejus in móntibus, 140; *Ps.* Cantáte Dómino..... omnis terra, 39; *Ps.* 98. Dóminus regnávit, irascantur pópuli, 41.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Isaiæ 52.)

QUAM pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, * annuntiantis bonum!

Prædicantis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus.

Vox speculatórum tuórum: * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte et laudáte simul, deserta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum, * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ, * salutáre Dei nostri.

AD VESPERAS.

Psalmi. 109. Dixit Dóminus, 21; *Ps.* 112. Laudáte, púeri, 23; *Ps.* 115. Crédidi propter, 101; *Ps.* 125. In convertendo, 44; *Ps.* 138. Dómine, probasti me, 121

DIE OCTAVA

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In illo témpore; éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernoctans in oratióne Dei: et cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Comm. in Matth. cap. 10. L. 1.)

Benignus et clemens Dóminus ac magister non ínvidet servis atque discípulis virtútes suas. Et sicut ipse curáverat omnem languórem et infirmitátem, Apóstolis quoque suis tríbuit potestátem, ut curárent ómnem languórem et omnem infirmitátem in plebe. Sed multa distántia est inter habére, et tribúere; donáre, et accípere. Iste quodcumque agit, potestáte Dómini agit: illi si quid fáciunt, imbécillitátem suam, et virtútem Dómini confitentur, dicentes: In nómine Jesu surge et ámbula.

LECTIO VIII.

Duodecim autem Apostolórum nómina sunt hæc. Ordinem Apostolórum et méritum uniuscujusque illíus fuit distribúere, qui cordis arcána rimátur. Primus scríbitur Simon cognomento Petrus, ad distinctiónem altérius Simónis qui appellátur Cananæus de vico Cana Galilææ, ubi aquam Dóminus vertit in vinum. Jacóbum quoque appellat Zebedæi; quia et álius séquitur Jacóbus Alphæi. Et Apostolórum pária jugaque consóciat. Jungit Petrum et Andréam fratres, non tam carne quàm spíritu; Jacóbum et Joannem, qui patrem córporis reliquentes verum patrem secúti sunt; Philippum et Bartholomæum, Thomam quoque et Matthæum publicánum. Céteri Evangelistæ in conjunctióne nóminum primum ponunt Matthæum, et pósteà Thomam; nec publicáni nomen adscríbunt, ne antíquæ conversatiónis recordantes suggilláre Evangelistam viderentur. Ipse verò et post Thomam se ponit, et publicánum appellat; ut ubi abundávit iníquitas, superabundet et grátia.

LECTIO IX.

Hos duódecim misit Jesus, præcípiens eis: In viam géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum non

intravéritis; sed pótiùs ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. Non est contrárius locus iste ei præcepto quod pósteà dícitur : Euntes, docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spiritûs sancti; quia hoc ante resurrectiónem, illud post resurrectiónem præceptum est. Et oportébat primùm adventum Christi nuntiáre Judæis, ne justam habérent excusatiónem, dicentes, ideò se Dóminum rejecisse, quia ad gentes et Samaritános míserit. Juxta tropológiam verò præcípitur nobis, qui Christi censémur nómine, ne in via géntium et hæreticórum ambulémus erróre; ut quorum religio separáta est, separarétur et vita.

PRO UNO MARTYRE.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, 3; *Ps.* 12. Usquequò, Dómine, oblivísceris, 65; *Ps.* 16. Exaudi, Dómine, justítiam meam, *cum sua divis.* 131.

LECTIO I.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 4.)

Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesaurum istum in vasis fictílibus; ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

LECTIO II.

Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spíritum fídei, sicut scriptum est : Crédidi, propter quod locútus sum; et nos crédimus, propter

quod et lóquimur : scientes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobiscum. Omnia enim propter vos; ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne abundet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus : sed licèt is qui foris est noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Id enim quod in præsenti est momentáneum, et leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis; non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eo quod nólumus expoliárí, sed supervestíri; ut absorbeátur quod mortále est, à vita.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 20. Dómine, in virtúte tua, 80; *Ps.* 55. Miserére meî..... quóniam conculcávit, 125; *Ps.* 61. Nonne Deo subjecta erit ánima, 128.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Sem. 311, in nat. S. Cypriani Martyris.)

Istum nobis festum diem pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre; magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus; hoc sic celebrémus, ut illud pótius diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, et ídeò vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit; ídeò victor ad Deum accessit.

LECTIO V.

Abundant in isto seculo erróres et terróres : beatíssimus Martyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit : secútus Agnum, leónem

vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat; sed quia Agnus sursùm attendebátur, leo deorsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurrexisse, in cœlum ascendisse, et pro ista prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inferret, damna, exilia, víncula, tormenta, flammas, béstias, cruces, mortes.

LECTIO VI.

Alius moriebátur, ut álius honorarétur; álius occidebátur, ut álius colerétur. Nunquid hoc fácerent, nisi flagrántià caritátis de conscientia veritátis? Prædicavérunt mórtuum quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam: sciébant pro qua felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detrimentum patiátur?

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 63. Exáudi, Deus, oratiónem meam, 128; *Ps.* 69. Deus, in adjutórium meum intende, 100; *Ps.* 85. Inclína, Dómine, *cum sua divisione*, 145.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 10.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

(Epist. 56, quæ est de exhort. ad martyrium ad Thibaritanos.)

Gaudere nos in persecutiónibus vóluit Dóminus; quia tunc dantur corónæ fidei, tunc probantur mílites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodô cogitáre, et recusáre milítiam debeámus; quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et tolerántiæ et passiónis magister, ut quod fíeri dócuit, prior fáceret; et quod pati hortátur, prior pro nobis ispe paterétur. Sit ante óculos, fratres dilectíssimi, quòd qui omne judícium à Patre solus accépit, et qui ventúrus est et judícatúrus, jam judícii sui et cognitiónis futúræ sententiam protúlerit, prænúntians et contestans confessúrum se coram Patre suo confitentes, et negatúrum negantes.

LECTIO VIII.

(Longè post præced.)

Neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus et præceptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus. Iráscitur adversárius et minátur, sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonente et dicente : Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; magis autem metúite eum qui potest et corpus et ánimam occídere in gehennam. Et íterum : Qui amat ánimam suam, perdet illam; et qui odit ánimam suam in isto século, in vitam æternam conservábit illam. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cœlestis præmio gloriósus. Præliantes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsente Deo cóngredi, et Christo júdice coronári!

LECTIO IX.

Armemur víribus totis, et parémur ad agónem mente incorruptâ, fide íntegrâ, virtúte devótâ. Armat nos Apóstolus, dicens : Indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo. Induámus lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus et tutum. Calceáti sint evangélico magistério, et armáti pedes; ut cùm serpens calcári à nobis cœperit, mordére et supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegente, quidquid jaculátur inimícus possit extíngui. Accipiámus ad tegumentum cápitis gáleam salutárem, ut muniantur aures, ne áudiant edicta ferália. Muniantur óculi, ne vídeant detestanda simulácra : muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur : muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et dexteram gládio spiritáli, ut sacrifícia funesta fórtiter réspuat, et Eucharístiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, póstea à Dómino sumptúra præmium cœléstium coronárum.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccli. 51.)

Confitebor tibi, Dómine rex,* et collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo : * quóniam adjútor et protector factus es mihi;

Et liberasti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, et à lábiis ope-

PRO PLURIBUS MARTYRIBUS.

DIE FESTO.

IN 1.ᵃ NOCTURNO.

Ps. 5. Verba mea, 73; *Ps.* 31. Beáti quorum, 66; *Ps.* 80. Exultáte, Deo, 92.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 8.)

FRATRES; Debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quícumque enim Spíritu Dei aguntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepistis spíritum servitútis iterùm in timóre; sed accepistis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii, et hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur ut et conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat.

LECTIO II.

SCIMUS autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit conformes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit: et quos vocávit, hos et justificávit; quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui et resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

LECTIO III.

QUIS ergo nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio

an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque fútura, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 33. Benedícam, *cum sua divis.*, 99; *Ps.* 45. Deus noster refúgium, 139; *Ps.* Exaudi, Deus, deprecatiónem, 108.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 335, in Nat. Mart.)

QUONIAM dies sanctórum Mártyrum est, unde pótiùs liquid delectet nos dícere, nisi de glória ipsórum? Adúvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicantem: Quis nos separábit à caritáte Christi? Ista vox est Mártyrum. Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? sicut scriptum est: Propter te morte afficimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis: sed in his ómnibus superámus per eum qui dilexit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, et de se nihil præsúmere; illum dilígere qui glorificátur in suis: ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

LECTIO V.

NOVERANT et illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellanda. Primò vincendæ sunt delectatiónes, et póstea dolóres. Quómodò potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blandítur hic mundus pollicendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodò superáre potest quod minátur?

LECTIO VI.

HABENT delectatiónem suam divítiæ, quis nésciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis artículus tentatiónis inciderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ et justítia;

et non possis habére utrumque : sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut amittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ. Modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantasti : Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; modò videámus si non sine causa audisti : Quis nos separábit à caritáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus, et te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? quia certámina Mártyrum pronuntiábat : illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum, timórem mortis, et hostem sævíssimum.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 65. Jubiláte Deo, 7; *Ps.* 78. Deus, venérunt gentes, 66; *Ps.* 96. Dóminus regnávit, 41.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri; et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 1 Off. cap. 15 et 16.)

Non potest quis præmium accípere, nisi legítimè certáverit : nec est gloriósa victória, nisi ubi fúerint laboriósa certámina. Nonne injustus est, qui ántè quærat præmium, quàm certámen fúerit absolútum? Ideòque Dóminus in Evangélio ait : Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum : beáti estis, cùm vobis maledícent hómines, et persequentur, et dicent omne malum adversùm vos propter justítiam : gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlo. Futúram, non præsentem, in cœlo, non in terra, mercédem promísit esse reddendam. Quid álibi possis quod álibi debétur? Quid præpróperè corónam éxigis, ántequàm vincas? Quid detérgere púlverem, quid requiéscere cupis? Quid epulári gestis, ántequàm stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt; et tu jam ótium petis?

LECTIO VIII.

Sed fortè dicas : Cur ímpii lætantur? cur luxuriantur? cur étiam ipsi non mecum labórant? Quóniam qui non subscrípserint ad corónam,

non tenentur ad labórem certáminis? qui in stádium non descénderint, non se perfundunt óleo, non oblíniunt púlvere. Quos manet glória, expectat injúria. Unguentáti spectáre solent, non decertáre, non solem, æstus, púlverem, imbresque pérpeti. Dicant ergo et ipsis athlétæ: Veníte, nobiscum laboráte. Sed respondébunt spectatóres: Nos hic ínterim de vobis judicámus; vos autem sine nobis corónæ, si vicéritis, glóriam vindicábitis.

LECTIO IX.

Isti ígitur qui in delíciis, qui in luxúria, rapínis, quæstibus, honóribus, stúdia posuérunt sua, spectatóres magis sunt quàm præliatóres. Habent lucrum labóris, fructum virtútis non habent. Fovent ótium, astútiâ et improbitáte ággerant divitiárum acervos; sed exolvent, seram licèt, nequítiæ suæ pœnam. Perfectórum est coróna. Expecta ut véniat quod perfectum est, quando non per spéciem in ænígmate, sed fácie ad fáciem formam ipsam redopertæ veritátis possis agnóscere.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Judith 5.)

Qui sponte obtulistis de Israel ánimas vestras ad perículum, * benedícite Dómino.

Nova bella elégit Dóminus, et portas hóstium ipse subvertit: * Clypeus et hasta si apparúerint in míllibus Israel.

Cor menm díligit príncipes Israel: * qui própriâ voluntáte obstulistis vos discrímini, benedícite Dómino.

Qui sedétis in judício, * qui ambulátis in via, loquímini.

Ubi collísi sunt currus, et hóstium suffocátus est exércitus; * ibi narrentur justítiæ Dómini, et cleméntia in fortes Israel.

Tunc descendit pópulus Dómini ad portas, * et obtínuit principátum.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli; * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Venérunt reges et pugnavérunt, et tamen nihil tulére prædantes: * de cœlo dimicátum est contrà eos.

Sic péreant omnes inimíci tui, Dómine: * qui autem díligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ità rútilent.

AD VESPERAS.

Psalmi. 109. Dixit Dóminus., 21; *Ps.* 115. Credidi, propter, 101; *Ps.* 123, Nisi quia, 44; *Ps.* 124. Qui confídunt, 83; *Ps.* 125. In convertendo 44.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 21.)

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: oportet primùm hæc fíeri; sed nondum státim finis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 35, in Evang.)

Mors justórum bonis in adjutórium est, malis in testimónium; ut inde perversi sine excusatióne péreant; unde electi exemplum cápiunt ut vivant. Sed audítis tot terróribus, turbári póterant infirmórum corda; atque ídeò consolátio adjúngitur, cùm prótinus subinfertur: Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodùm respondeátis, ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Ac si apertè membris suis infirmántibus dicat: Nolíte terréri, nolíte pertimescere; vos ad certámen accéditis, sed ego prælior; vos verba éditis, sed ego sum qui loquor.

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

Quia dura sunt quæ prædicuntur de afflictióne mortis, prótinùs consolátio súbditur de gáudio resurrectiónis, cùm dícitur: Capillus de cápite vestro non períbit. Scimus, fratres, quia caro incísa dolet, capillus incísus non dolet. Ait ergo Martyribus suis: Capillus de cápite vestro non períbit; vidélicet apertè dicens: Cur timétis ne péreat quod incísum dolet, quando et illud in vobis perire non potest quod incísum non dolet? Séquitur: In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Idcirco possésslo ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur; quia radix ómnium custosque virtútum patiéntia est. Per patiéntiam verò possidémus ánimas nostras; quia dum nobis ipsis dominári díscimus, hoc ipsum incípimus possidére quod sumus.

LECTIO IX.

Servate ergo, fratres, in mente patiéntiam; eamque, cùm res éxigit, exercéte in operatióne. Nullum vestrûm ad ódium próximi contumeliósa verba commóveant, nulla periturárum rerum damna perturbent. Si enim

fixâ mente mansúra damna pertimescitis, damna rerum transeúntium grávia non putátis : si æternæ retributiónis glóriam conspícitis, de temporáli injúria non dolétis. Toleráte ergo adversários vestros; sed ut fratres dilígite quos tolerátis. Æterna præmia pro damnis temporálibus quærite. Nec quisquam vestrûm suis se víribus hæc implére posse confídat; sed obtinéte précibus, ut ipse hanc qui ímperat præstet. Et scimus quia petentes libenter audit, quando hoc pétitur largíri quod jubet. Cùm contínuò pulsátur in prece, cóncitè opitulátur in tentatióne per Jesum Christum Dóminum nostrum, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitáte Spíritûs sancti in sécula seculórum. Amen. Tu autem.

PRO PONTIFICIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 8. Dómine Dóminus noster, 37; *Ps.* 19. Exáudiat te, 87; *Ps.* 20. Dómine, in virtúte, 80.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 3.)

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non percussórem, sed modestum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpositum, fílios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit ? Non néophytum; ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem íllum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt; ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

LECTIO II.

De Epístola ad Titum.

(Cap. 1.)

OPORTET Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non super-

bum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucrí cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplectentem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt argúere. Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui, et seductóres, máximè qui de circumcisióne sint, quos oportet redárgui; qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam. Senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus similiter, in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos diligant; prudentes, castas, sóbrias, domùs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes similiter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum operum, in doctrína in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 22. Dóminus regit me, 99; *Ps.* 25. Júdica me, Dómine, 57; *Ps.* 42. Júdica me, Deus, 79.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 10 in Epist. 1 ad Tim.)

Si quis Episcopátum áppetit, non principátûs ac dominatiónis fastu, sed pro cura regíminis et caritátis affectu non ímprobo: bonum quippe desíderat opus. Quippe et Móyses eamdem rem appetivisse cognóscitur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitumque dominandi nequáquam quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cùm illi dicerétur: Quis te constituit príncipem et júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desiderat bene. Episcopátus enim ex eo díeitur, quòd omnes inspíciat cunctaque speculétur. Oportet ígitur Episcopum irreprehensíbilem esse. Hoc úniico verbo genus omne virtútum expressit. Itaque qui sibi vel levis culpæ cónscius est, malè profectò facit eam

rem áppetens, quà indignum se per ópera facit. Non enim decet hujúsmodi régere, sed pótiùs regi. Eum quippe qui regendos álios súscipit, tantà decet glórià virtútis excéllere, ut instar solis, céteros véluti stellárum ignículos in suo fulgóre obscúret. Debet hujúsmodi vitam habére inmaculátam atque compósitam; ut omnes in illum et in ejus vitam, véluti in exemplum áliquod excellens, intueantur.

LECTIO V.

Oportet Epíscopum vigilantem esse, hoc est, claríssimà mentis ácie præditum, innumerosque habentem omni ex parte óculos, quibus acutíssimè cuncta prospíciat. Sunt quippe plura quæ íncidant, et mentis hébetent áciem, putà concupiscéntiæ desidéria, curæ quotidiánæ, rerumque perturbátio; et plúrima id genus úndique ímminent. Vigilantem ígitur esse necesse est eum, qui non tantùm suî curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet esse pervígilem eum qui ejúsmodi est, ac spíritu vívere, et affectûs sui flammam opéribus ipsis osténdere, sollicitúdine atque indústrià præcéllere; ut die noctuque exércitum et castra perlustret, labóret, et sui offícii munus diligentíssimè ímpleat, atque ómnium curam et sollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, et hospitalitátis amatórem. Ista et in súbditis plerumquè vídeas. Verùm quóniam oportet eum et ea quæ sunt rectóris habére, idcircò subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur: céterùm illi ante ómnia adesse debet, qui hujúsmodi suscépit offícium.

LECTIO VI.

Idcirco nos elégit Deus, ut simus quasi luminária, ut véluti fermentum evadámus, ut magistri ceterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus et púeris, quasi spirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio nostro ingéntia lucra conquírant; ut sémina simus, ut fructum lætíssimum afferámus. Nihil opus esset verbis, si hunc ín modum vita nostra sanctitátis luce fulgéret. Nihil magistris opus esset, si virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentílis esset, si ipsi ut oportet Christiáni esse curarémus, si Dei mónitis ac scitis obtemperarémus, si injúrias perpessi vicem non referrémus, si maledictis lacessíti benedicerémus, si pro malis bona redderémus. Nemo esset ita fera béllua, ut non statim ad cultum veræ reli-

giónis accúrreret, si vidéret hæc ab ómnibus fieri. Atque ut discas ita esse, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attraxit ad Dei notítiam. Si omnes essémus hujúsmodi, quot terrárum orbes et ipsi attráhere possémus?

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 64. Te decet, 74; *Ps.* 83. Quam dilecta, 98; *Ps.* 98. Dóminus regnávit, irascantur, 41.

LECTIO VII.

Léctio santi Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 24.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi.

(Comment. in Matth. cap. 26.)

Ut ignorántiam illam diéi ómnibus táciti non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter adventum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte detentos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse ostendit zábulum ad detrahenda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiantem; ut ea, incuriósis nobis et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos convenit; quia diéi ignorátio intentam sollicitúdinem suspensæ expectatiónis exágitat.

LECTIO VIII.

(Cap. 27.)

Quis namque est fidélis servus et prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam? Quanquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur, speciálem tamen pópuli princípibus, id est, Episcopis, in expectatióne adventuque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudentem, præpositum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commissi sibi pópuli curantem. Qui si dicto áudiens, et præceptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte et veritáte infirma confirmet, disrupta consólidet, depraváta convertat, et verbum vitæ in æternitátis cibum alendæ famíliæ dispendat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendátur; glóriam à Dómino tanquam dispensátor fidélis et villicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà quod melius sit.

LECTIO IX.

Quod si cóntuens longam

i patiéntiam, quæ in pro-
tum humánæ salútis ex-
ıditur, adversùm conser-
ı insolescet, et séculi ma-
vitiisque se tradet, præ-
ıtium tantùm curam in
ıtu ventris exercens; des-
:áta die Dóminus advé-
:t, eumque à bonis quæ
›pónderat, dívidet, por-
nemque ejus cum hypó-
tis in pœnæ æternitáte
ıstítuet: quia adventum
ıperáverit, quia mandátis
ı obtemperáverit, quia
ıséntibus studúerit, quia
à géntium víxerit, quia
ıperatióne judícii com-
ssam sibi famíliam, fame,
i, cæde vexáverit.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccli. 50.)

CERDOS magnus in ascensu
áris sancti, * glóriam de-
sanctitátis amictum.

In accipiendo autem par-
tes de manu Sacerdótum, *
et ipse stans juxta aram;

Et circa illum coróna fra-
trum; * quasi plantátio ce-
dri in monte Líbano.

Sic circa illum stetérunt
quasi rami palmæ, * et om-
nes fílii Aáron in glória
sua.

Oblátio autem Dómini in
mánibus ipsórum, * coram
omni Synagóga Israel:

Et consummatióne fun-
gens in ara, * amplificáre
oblatiónem excelsi regis;

Porrexit manum suam in
libatióne, * et libávit de
sánguine uvæ.

Effúdit in fundamento al-
táris odórem divínum * ex-
celso Príncipi.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica, ultimo excepto, cujus loco dicitur Ps. 131. Memento, *cum sua divisione, p.* 143.

DIE OCTAVA.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

ctio sancti Evangélii se-
cundùm Matthæum.

(Cap. 24.)

illo témpore; Dixit Jesus
cípulis suis: Vigiláte,
ia nescítis quâ horâ Dó-
nus vester ventúrus sit.
réliqua.

Homília sancti Fulgéntii
Episcopi.

(Serm. 1, de dispensat. Domini, n. 1.)

DOMINICUS sermo quem de-
bémus omnes, non solùm
studiósè, verùm étiam sa-
pienter audíre, cui nos opor-
tet humíliter ac delectabíli-
ter obedíre, moderatiónis
suæ tenens ubíque tempé-

riem, ut nec óvibus desint pábula, nec pastóribus alimenta; quædam speciáliter solis præcipit nobis, quædam verò generáliter et nobis et vobis. Nobis namque (id est, servis, quos Pater ille famílias, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus) speciáliter adjúngitur sanctæ prædicatiónis offícium; generáliter verò et nobis et vobis salutáris indícitur observántia mandatórum.

LECTIO VIII.

Servorum ígitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus speciáliter volens offícium demonstráre, ait: Quis putas est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit ita facientem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait: Vos vocátis me, Magister et Dómine; et bene dícitis: sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimírùm illa est, quam ipse Dóminus de manu inímici redémit, et suo domínio mancipávit. Hæc autem família sancta est Ecclésia cathólica, quæ per orbem terræ copiósâ fertilitáte diffúnditur, et redemptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur.

LECTIO IX.

(N. 2 et 3.)

Dispensator verò quis sit, quem oportet esse fidélem páriter ac prudentem, Paulus nobis ostendit Apóstolus, qui de se suisque sóciis loquens, ait: Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Ne quis autem nostrûm solos Apóstolos dispensatóres factos exístimet; neglectoque milítiæ spiritális offício, servus piger infidéliter imprudenterque dormítet, ipse beátus Apóstolus Epíscopos esse dispentóres ostendens, ait: Oportet ergo Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem. Servi Patris famílias sumus, dispensatóres Dómini sumus; mensúram trítici quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vera sit ista mensúra trítici si quærámus, ipsam quoque vobis beátus Paulus Apóstolus ostendet, dicens: Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Hujus trítici mensúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono gratiæ spiritális, secundùm régu-

lam veræ fídei disputámus; et eamdem trítici mensúram per Domínicos dispensatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis audítis.

PRO DOCTORIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir, 2; *Ps.* 11. Salvum me fac, 104; *Ps.* 18. Cœli enarrant, *cum sua divisione*, 48.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 39.)

Sapientiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occulta proverbiórum exquíret et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspectu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

LECTIO II.

Cor suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspectu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delictis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum, et ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

LECTIO III.

Ipse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testamenti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in séculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 25. Júdica me, Dómine, 57; *Ps.* 33. Benedícam Dóminum, *cum sua divisione*, 99; *Ps.* 35. Dixit injustus, 74.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi contra Juliánum.

(Lib. 2, cap. 10.)

SANCTOS et in sancta Ecclésia illustres Antístites Dei, non Platónicis, et Aristotélicis, et Zenónicis, aliisque hujuscémodi, vel Græcis, vel Latínis, quanquam ex istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos, nominátim, sicut oportébat, expressi: eorumque senténtias, quantùm suffícere videbátur, sine ulla éditas ambiguitáte digessi: ut in eis tímeas non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, et sancta templa construxit qui tunc de ista causa judicavérunt, quando eos nemo potest dícere pérperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuisse. Nullas nobiscum vel vobiscum amicítias attendérunt, vel inimicítias exercuérunt: neque nobis neque vobis iráti sunt: neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésia, tenuérunt: quod didicérunt: docuérunt: quod à Patribus accepérunt, hoc fíliis tradidérunt.

LECTIO V.

(Longe post præcedentia.)

ISTI Episcopi sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes: in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si Episcopális Synodus ex toto orbe congregarétur, mirum si tales possent illic fácilè tot sedére, quia nec isti uno témpore fuérunt: sed fidéles, et multis excellentióres paucos dispensatóres suos Deus per diversas ætátes témporum, locorumque distántias, sicut ei placet atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriente et Occidente congregátos vides, non in locum quo navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

LECTIO VI.

QUANTO tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem; tantò tibi sunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministravérunt, quam contra inimícos, étiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit. Ideò

profánas voces vestræ novitátis expávit; et cauta ac sóbria, ex admonitióne Apostólica, ne sicut serpens Evam seduxit astútià suâ, sic et mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo; cathólicæ fídei virginitáte, insídias vestri dógmatis surrepentis exhórruit, et tanquam caput cólubri calcávit, obtrívit, abjécit.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 39. Expectans expectávi, *cum sua divis.* 116; *Ps.* 72. Quàm bonus Israel, *cum sua divis.* 42; *Ps.* 91. Bonum est confitéri, 32.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1, de Serm. Domini in Monte, c. 6.)

Ostendit Dóminus fátuos esse judicandos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectantes, vel inópiam metuentes, amittunt æterna quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auferri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos per quos condiendi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus per quos errórem áuferat ceterórum.

LECTIO VIII.

Ergo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs, et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timendo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

LECTIO IX.

Vos estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs Sal terræ, si nunc dicit Lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipienda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiendis et extinguendis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hìc mundum, non cœlum et terram, sed hómines qui sunt in mundo vel díligunt mundum, oportet intélligi, quibus illuminandis Apóstoli missi sunt.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccli. 15.)

Cibabit illum Deus pane vitæ et intellectûs, * et aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum :

Et firmábitur in illo, et non flectétur : * continébit illum, et non confundétur :

Et exaltábit illum apud próximos suos, * et in médio Ecclésiæ apériet os ejus ;

Et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intellectûs, * et stolâ glóriæ véstiet illum.

Jucunditátem et exultatiónem thesaurizábit super illum, * et in nómine æterno hæreditábit illum.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi dicitur Ps. 125. In convertendo Dóminus captivitátem Sion, *p.* 44.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 7.)

In illo témpore; Ascendit Jesus in templum, et docébat. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quómodò hic lítteras scit, cùm non didícerit? Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrína non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognoscet de doctrína, utrùm ex Deo sit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(In Joan. Tract. 29.)

Dominum Jesum invénimus dixisse : Si quis volúerit fácere voluntátem ejus qui misit me, cognoscet de doctrína. Quid est, cognoscet? Hoc est, intélliget. Quid est autem, Si quis voluntátem ejus volúerit fácere? Hoc est crédere. Sed quia cognoscet, hoc est intélliget; omnes intélligunt : quia verò quod ait, Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, hoc pértinet ad crédere; ut diligéntiùs intelligátur, opus est nobis ipso Dómino nostro expositóre, ut índicet nobis utrùm revérà ad crédere pertíneat fácere voluntátem Patris ejus. Quis nésciat hoc esse fácere voluntátem Dei, operári opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dóminus apertè álio loco dicit : Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem misit ille. Ipsa est ergo fides quam de nobis éxigit Deus : et non invenit quod éxigat, nisi donáret quod in-

vèniat. Non qualiscumque fides, sed fides quæ per dilectiónem operátur. Hæc in te sit, et intélliges de doctrína. Quid enim intélliges? Quia, inquit, ista doctrína non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Id est, intélliges quia Christus Fílius Dei, qui est doctrína Patris, nec est, nec lóquitur ex seipso; sed Fílius est, et Verbum Patris.

LECTIO VIII.

(Serm. 17, in Psalm. 118.)

Doce me, inquit Psalmus, quia mandátis tuis crédidi. Quid áliud est docére, quàm sciéntiam dare? Hæc duo ita sibi connexa sunt, ut álterum sine áltero esse non possit. Nemo enim docétur, nisi discat; et nemo discit, nisi doceátur. Et ídeò, si discípulus non sit capax eórum quæ à doctóre dicuntur, non potest Doctor dícere: Ego eum dócui, sed ipse non dídicit. Dícere autem potest: Ego ei dixi quod dicendum fuit; sed ille non dídicit, quia non percépit, non comprehendit, non intellexit. Nam profectò et ille didicisset, si iste docuisset. Et ídeò Deus, quando vult docére, priùs dat intellectum, sine quo ea quæ ad divínam doctrínam pértinent, homo non potest díscere. Unde et paulò post dicit: Da mihi intellectum, ut discam mandáta tua. Cùm ítaque ália sint, quæ ídeò díscimus, ut tantúmmodò sciámus, ália verò, ut étiam faciámus; quando ea Deus docet, sic docet, ut scienda sciámus, aperiendo veritátem: sic docet, ut facienda faciámus, inspirando suavitátem. Neque enim ei frustrà dícitur: Doce me fácere voluntátem tuam; sic, inquit, doce, ut fáciam, non tantúmmodò ut sciam.

LECTIO IX.

Quod verò ait, Quóniam mandátis tuis crédidi, non imméritô quæri potest cur non díxerit, Obedívi, sed crédidi. Alia sunt enim mandáta, ália promissa. Mandata facienda suscípimus, ut accípere promissa mereámur. Promissis ergo crédimus, mandátis obtemperámus. Quid est ergo, Mandátis tuis crédidi? nisi, crédidi quòd tu illa mandáveris, non áliquis homo, quamvis per hómines homínibus ministráta sint. Quia ítaque crédidi tua esse mandáta, ipsa est fides mea quâ id crédidi: ímpetret abs te grátiam quâ fáciam quod mandasti. Si enim homo mihi hoc jubéret forínsecùs, numquid ut étiam fáceret quod jubébat, adjuvábat intrínsecùs? Doce ergò me suavitátem, inspirando caritátem; doce me disciplínam, donando patiéntiam; doce me scién-

tiam, illuminando intelligéntiam. Quóniam mandátis tuis crédidi. Te illa crédidi mandasse, qui Deus es, et hómini donas unde fácias eum fácere quod mandas.

PRO PRESBYTERIS.

DIE FESTO.

Psalmi ut in Communi Pontificum.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 4, 12 ad fin.)

EXEMPLUM esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni et doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum Presbytérii. Hæc meditáre, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit ómnibus. Attende tibi, et doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

LECTIO II.

(Cap. 6, 6 ad 12.)

EST quæstus magnus, píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum; haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegámur, his contenti sumus. Nam qui volunt dívites fieri, incidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília, et nocíva, quæ mergunt hómines in interitum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas; quam quidam appetentes, erravérunt à fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehende vitam æternam, in qua vocátus es.

LECTIO III.

(N. 17, ad fin.)

DIVITIBUS hujus sécuii præcipe non sublíme sápere; neque speráre in incerto divitiárum, sed in Deo vivo, (qui præstat nobis ómnia abunde ad fruendum) bene ágere, dívites fieri in bonis

opéribus, fácilè tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundamentum bonum in futúrum, ut apprehendant veram vitam. O Timóthee, depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promittentes, circa fidem excidérunt. Grátia tecum. Amen.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Tractátu sancti Joannis Chrysóstomi de Sacerdótio.

(Lib. 3, longe post init.)

Dum cónspicis Dóminum immolátum, Sacerdótem sacrifício incumbentem, ac preces fundentem; tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intingi ac rubefíeri, etiamne te inter mortáles versári atque in terra consístere censes? An non pótiùs è vestígio in cœlos transferri? An non carnis cogitatiónem omnem abjíciens, nudo ánimo, mente purâ circúmspicis quæ in cœlo sunt? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac complecti..... Adest enim Sacerdos, non ignem mittens, sed Spíritum sanctum: is preces diuturnas fundit, non quò flamma cœlitus delápsa sacra appósita absúmat: sed ut grátia in sacrifícium influens, per illud ipsum ómnium ánimos inflámmet, et purióres reddat argento igni excocto purgatóque.

LECTIO V.

(Paulo post.)

Si quis consideret quantum id sit mystérium, ut is scílicet qui homo ipse sit carne ac sánguine étiamnum constans, iisque involútus, beátæ atque immortáli natúræ illi fíeri própior queat: tum probè intélliget quanto Sacerdótis honóre, quantâ dignitáte Spíritûs sancti grátia dignáta fúerit: operántibus enim illis tum sacra hæc quæ dico initiantur, perficiunturque, tum étiam ália his níhilò inferióra, quæ ipsa ad dignitátis, salutisque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram íncolunt atque in ea versantur, iis commissum est ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: iis datum est ut potestátem hábeant quam Deus óptimus, neque Angelis, neque Archángelis datam esse vóluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligavéritis in terra, erunt alligáta et in cœlo; et quæcumque solvéritis in terra, erunt solúta et in cœlo.

LECTIO VI.

(Paulò post.)

Hi sunt quibus et concréditæ sunt spirituáles partuŕigines, et baptísmatis partus á Deo est commissus : per hos ipsos Christum indúimus, unà cum Dei Filio sepelímur : beáti illíus cápitis membra efficimur.... Illi autóres nobis sunt nativitátis ejus quàm á Deo habémus, beátæ regeneratiónis illíus, libertátis veræ atque ádeo adoptiónis ejus, quâ nos per grátiam filii Dei sumus effecti. Córporis lepram purgáre, seu vérius dicam, haud purgáre quidem, sed purgátos probáre, Judæórum Sacerdótibus solis licébat : neque nescis quanta cum ambitióne, quanto cum stúdio ac concertatióne Sacerdotális dígnitas id témporis acquirerétur. At verò nostris Sacerdótibus non córporis lepram, verùm ánimæ sordes, non dico purgátas probáre, sed purgáre prorsus concessum est.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 10, 1 ad 5.)

In illo témpore ; dixit Jesus Pharisæis : Amen, amen dico vobis; Qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 137. de Verb. Evang. Joann. §. 4. Alias Serm. 49. de Verb. Domini.)

Quis est qui intrat per jánuam? Qui intrat per Christum. Quis est iste? Qui imitátur Passiónem Christi, qui cognoscit humilitátem Christi : ut cùm Deus factus sit homo pro nobis, cognóscat se homo non esse Deum, sed hóminem. Qui enim vult Deus vidéri, cùm sit homo, non imitátur illum, qui cùm Deus esset, homo factus est. Tibi autem non dícitur : Esto áliquid minus quàm es: sed cognosce quod es. Cognosce te infirmum, cognosce te hóminem, cognosce te peccatórem. Cognosce quia ille justíficat ; cognosce quia maculósus es.

LECTIO VIII.

(§. 4 et 5.)

Qui ergo se exaltant, per álteram partem volunt ascéndere ad ovíle: qui autem se humíliant, per jánuam intrant ad ovíle. Ideo de illo dixit, (intrat;) de illo, (ascendit.) Qui ascendit, vidétis; qui alta petit, non intrat, sed cadit. Ille autem, qui se submittit, ut per jánuam intret, non cadit, sed pastor est. Sed tres persónas

dixit Dóminus, et debémus illas investigáre in Evangélio, pastóris, mercenárii, et furis. Cùm legerétur, puto quòd animadvertistis, designávit pastórem, designávit mercenárium, designávit furem. Pastórem dixit ánimam suam pónere pro óvibus, et intráre per jánuam. Furem dixit latrónem ascéndere per áliam partem.

LECTIO IX.

Mercenárium dixit, lupum vel étiam furem si vídeat, fúgere; quia non est illi cura de óvibus: mercenárius est enim, non pastor. Ille intrat per jánuam, quia pastor est; ille ascendit per áliam partem, quia fur est: ille videns eos qui volunt tóllere oves, timet et fugit, quia mercenárius est, quia non est illi cura de óvibus, mercenárius est enim. Si invenérimus tres istas persónas, invénit sánctitas vestra et quos diligátis, et quos tolerétis, et quos caveátis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenárius, cavendus est latro.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Malach. Cap. 2.)

Pactum meum fuit cum eo itæ et pacis: * et dedi ei timórem; et tímuit me, et à fácie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus, * et iníquitas non est inventa in lábiis ejus:

In pace, et in æquitáte ambulávit mecum, * et multos avertit ab iniquitáte.

Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus: * quia Angelus Dómini exercítuum est.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quò erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 17, in Evang.)

Missis prædicatóribus quid Dóminus dicat, audiámus. Messis quidem multa; operárii autem pauci: rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem

suam. Ad messem multam operárii pauci sunt; quod sine gravi mœróre loqui non póssumus, quia etsi sunt qui bona áudiant, desunt tamen qui dicant: Ecce mundus Sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operátor: quia óffícium quidem sacerdotále suscépimus, sed opus officii non implémus. Sed pensáte, fratres caríssimi, pensáte quod dícitur: Rogáte Dominum messis ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna in vobis operári valeámus, ne ab exhortatióne lingua tórpeat, ne postquam prædicatiónis locum suscépimus, apud justum júdicem nostra nos tacitúrnitas addícat.

LECTIO VIII.

Sæpe enim pro sua nequítia, prædicántium lingua restríngitur: Sæpe verò ex subjectórum culpa ágitur, ut eis qui præsunt prædicatiónis sermo subtrahátur. Ex sua quippe nequítia prædicántium lingua restríngitur, sicut Psalmista ait: Peccatóri autem dixit Deus: Quare tu enarras justítias meas? Et rursùm ex vítio subjectórum vox prædicántium subtráhitur, sicut ad Ezechiélem Dóminus dicit: Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans; quia domus exásperans est. Ac si aperte dicat: Idcircò tibi prædicatiónis sermo tóllitur, quia dum me in suis áctibus plebs exásperat, non est digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri sermo subtrahátur, non fácilè cognóscitur; quia verò Pastóris tacitúrnitas, aliquandò sibi, semper autem subjectis, nóceat, certíssimè scitur.

LECTIO IX.

(N. 8.)

Sed quid nos (quod tamen sine dolóre dícere non possum), quid nos, ô Pastóres, ágimus, qui et mercédem conséquimur, et tamen operárii nequáquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclésiæ in stipéndio quotidiáno percípimus; sed tamen pro æterna Ecclésia mínimè in prædicatióne laborámus. Pensémus cujus damnatiónis sit, sine labóre hic percípere mercédem labóris. Ecce in oblatióne fidélium vívimus; sed qui pro animábus fidélium labóramus? Illa in stipéndium nostrum súmimus, quæ pro redimendis peccátis suis fidéles obtulérunt; nec tamen contra peccáta éadem, vel oratiónis stúdio, vel prædicatiónis, ut dignum est, insudámus. Vix pro sua culpa quémpiam apertâ voce reprehéndimus. Et adhuc (quod grávius est) aliquan-

do si persona in hoc mundo potens sit, ejus fórsitan erráta laudámus, ne si adversétur, per iracúndi am munus súbtrahat, quod impendébat.

PRO ABBAT., MONACHIS ET SOLITAR.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir, 2; *Ps.* 6. Dómine, ne in furóre, 46; *Ps.* 16. Exaudi, Dómine, justítiam, *cum sua divis.* 131.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

(Cap. 3.)

FRATRES; Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. Verúmtamen exístimo ómnia detrimentum esse, propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detrimentum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscendum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus; configurátus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis, non quòd jam accéperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quómodò comprehendam, in quo et comprehensus sum à Christo Jesu.

LECTIO II.

FRATRES, ego me non árbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiámus: et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem sapiámus, et in eádem permaneámus régula.

LECTIO III.

IMITATORES mei estóte, fratres et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim

ámbulant, quod sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi, quorum finis intéritus, quorum Deus venter est, et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 22. Dóminus regit me, 99; *Ps.* 25. Judica me, Dómine, 57; *Ps.* 25. Dóminus illuminátio, *cum sua divis.* 97.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 69, in Matth.)

In mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induuntur, erémum hábitant, qui nunquam oblátas púrpuras acceptárent; sed quemádmodùm rex, si quis pannósa indumenta páuperis induenda offerret, abominarétur, atque repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contemnunt. Hæc illis institúta ciliciórum usu confirmáta sunt; unde régibus ipsis excellentióres sunt atque præstantióres. Nam si posses mentis eórum atque ánimi jánuas reseráre, et nudas cogitatiónes eórum, et omnem interiórem ornátum conspícere, fulgóre perculsus in terram concíderes; nec illárum véstium splendórem, nec consciéntiæ lucem perferre posses.

LECTIO V.

Nihil ergo in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed tanquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longè à séculi perturbatiónibus hábitant, adversùs diábolum militantes, et cum lætítia eum expugnantes. Idcircò enim in solitúdine domicilium constituérunt, civitátibus et célebri habitatióne hóminum omninò relictâ; quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére; sed necesse est, quasi súbitò migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis unquam in exércitu domûs fundamenta jecit? Quis ædes ædíficat, cùm inde paulò post discessúrus sit? Quis in castris agri júgera emit? Nullus certè. In pátria hæc, non in castris, facienda sunt.

LECTIO VI.

Hæc tibi à me simíliter dicuntur. Cùm in suprémam civitátem pervéneris, tunc ista fácito: imò verò nullo labóre opus ibi est, cùm universa hæc à Rege tibi præparáta sint. Hic ígitur satis est nobis fossam fácere, vallum fígere: ædificiórum constructióne opus non est. Christiános adversùs diábolum pugnantes; captívos à mánibus ejus rapientes, óm-

bus temporálibus neglec-
, vívere oportet. Cur íta-
e magníficas ædes struis ô,
mo? An ut te ipsum ma-
víncias? Cur thesaurum
ruis? Ut diábolum adver-
s ánimam tuam invítes?
ır mœnia condis? An ad
rceres tibi construendos?
iòd si hæc tibi difficília
glectu videantur, ad ta-
rnácula Monachórum pro-
iscámur, ut reipsâ fácilè
a contemni posse perdis-
s. Tugúria sibi constí-
ant; quæ si relínquere
ortébit, ita fácilè fáciunt,
ut mílites castra.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 38. Dixi: Custódiam,
n sua divis., 104; *Ps.*
. Exaudi, Deus, depre-
tiónem, 108; *Ps.* 83. Quàm
ecta, 98.

LECTIO VII.

ctio sancti Evangélii se-
cundum Mattheum.

(Cap. 19.)

illo témpore; Cœpit Pe-
ıs dícere ad Jesum: Ecce
s dimísimus ómnia, et
úti sumus te; quid ergo
t nobis. Et réliqua.

Iomília sancti Paulíni
Epíscopi.

pist. 24, ad Sulpit. Sever.
alias 2, §. 5, 6.)

NA quæ nobiscum non
ulerámus in hunc mun-
m, nec poterámus efferre,
quasi mutuáta reddídimus;
nec ut cutem à carne dis-
tráximus, sed ut vestem à
córpore deposúimus. Nunc
opus est, ut quæ verè nostra
sunt, dependámus Deo, hoc
est, cor et ánimam, et córpo-
ra nostra exhibentes in hós-
tiam vivam, ut scriptum est,
Dómino; nosque ipsos ædi-
ficantes ei in templum sanc-
tum, in ipso lápide angulá-
ri, qui nobis sanctificatiónis
nostræ fórmulam in semet-
ipso dedit et ait: Sancti es-
tóte, quóniam ego sanctus
sum. Quæ ígitur nobis grá-
tia, si in aliéno tantùm fide-
les fuérimus, nisi de pró-
prio serviámus, id est, de
líbero voluntátis arbítrio,
ex toto corde nostro, ex
totis ánimæ nostræ, ut scrip-
tum est, víribus diligentes
Deum?

LECTIO VIII.

(§ 7, 8.)

QUAMOBREM temporálium
quæ in hoc século habentur
bonórum relíctio, sive dis-
tráctio: non decursus stádii,
sed ingressus; nec ut meta,
sed ut jánua est. Non enim
athléta tùm vincit cùm
exúitur; qui ídeò nudátur,
ut incípiat dimicáre, cùm le-
gítimè certáverit coronan-
dus. Et natátor amnem in-
terpósitum superatúrus,
exúitur; nec tamen hoc tan-
to apparátu quòd se despo-
liáverit, transnatábit, nisi

totíus córporis nisu torrentis ímpetum scindat, et labórem natatiónis exháuriat. Vídeo et in Jacob hujus expeditiónis órdinem prolusisse; cùm illum lego, posteáquam torrente transmisso, præmissis curárum suárum onéribus, id est, facultátum et necessitúdinum impedimentis, solus in tabernáculi loco remánserat, Deo colluctátum.

LECTIO IX.

Itaque ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei verbum, et prævalendum in regnum cœlórum, quod à diébus Joannis vim pátitur, et à diripiéntibus obtinétur, idónei esse non póssumus, nisi ómnia quæ vel amóre, vel curâ, si in itínere istíus séculi nobis adhæreant, impédiunt et retardant, ante óbitûs nostri vésperam præmittámus, et inde per totam hujus séculi noctem apprehéndere, et tenére Christum sollícitâ spiritálium óperum ac studiórum contentióne luctémur: nec divellámur à caritáte Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad salutáris insigne luctáminis, nervum fémoris nostri majestátis suæ timóre percútiat; quo obstupescente, infirmábitur virtus carnis, et spiritális grátia convalescet!

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Thren. 3.)

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; * proptéreà expectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, et tacébit, * quia levávit super se.

AD VESPERAS.

Ps. 109. Dixit, 21. *Ps.* 120. Levávi, 44. *Ps.* 122. Ad te levávi, 83; *Ps.* 124. Qui confídunt, *ibid.* *Ps.* 141. Voce meâ, 64.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Dixit Jesus adolescenti: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesaurum in cœlo; et veni, séquere me. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 64, in Matth. post initium.)

Antequam Jesus adolescenti certámen et labórem osténderet, bravium præ óculis pósuit, dicens: Si vis perfectus esse; ac tum infert: Vende ómnia quæ habes, et da paupéribus. Et mox íterùm præmia inculcat: Et habébis thesaurum in cœlo; et veni, séquere me. Magna enim retribútio est Dóminum sequi. Et habébis, inquit, thesaurum in cœlo. Nam quóniam magna illi cura de pecúniis erat, et quandóquidem ipsi cunctis denudári rebus consílium dabat, ut ostendat non amissúrum bona sua, sed tantò plura majoraque inventúrum, quantò cœlum terrâ præstabílius est, restitutiónis præstántiam thesaurum appellávit, et simul stabilitátem atque incorruptibilitátem præmii, ut fieri póterat, per res humánas expressit. Non ergo satis est pecúniam spérnere; verùm étiam oportet páuperes nutríre, et ante ómnia Christum sequi, id est, ómnia præstáre quæ ab ipso jubentur; paratumque semper esse tam labóres subíre, quàm omne genus mortis sufferre. Si quis enim, inquit, veníre post me velit, ábneget semetipsum, tollatque crucem suam, et sequátur me.

LECTIO VIII.

Hæc cùm audisset adolescens, ábiit tristis. Quod non absque causa illi accidísse significávit Evangelista, dicens: Habébat enim multas possessiónes. Non eódem quippe modo detinentur qui pauca pössident, et qui magnâ rerum cópiâ submerguntur; tunc enim violéntior fit ipsórum cupíditas. Nec unquam prædicáre cessábo quòd accéssio divitiárum majórem accendit flammam; et eos qui pössident, pauperióres reddit, quandóquidem eos in plúribus constítuit, cupiditátibus, efficitque ut indigéntiam magis

séntiant. Pérspice ígitur quanta vis sit talis affectûs. Cùm magnâ dives iste lætítiâ Christum adiisset, ita suffossus atque óbrutus fuit, ut nec respondére quidem potúerit, sed tristis ac mœstítiâ pressus decésserit. Quid ígitur Christus? Difficilè, inquit, in regnum cœlórum dívites intrábunt. Quibus verbis, non pecúniam, sed pecúniâ detentos carpit. Cur autem discípulis ádeò paupéribus, ut nihil prorsus habérent, hæc dicit? Sanè ut eos erudíret, ne pudóri paupertátem sibi dúcerent; et quasi respóndeat cur nihil illos habére permíserit.

LECTIO IX.

Discípulis perturbátis, Hoc apud hómines, inquit, impossíbile est; Deo autem ómnia possibília sunt. Et cujus rei grátiâ discípuli qui nímiùm ínopes erant, turbabantur? Quia propter perditiónem aliórum dolébant, quorum ómnium jam caritáte afficiebantur et quasi magistrórum ac patrum víscera suscéperant. Sic enim pro universo terrárum orbe hujus senténtiæ acrimóniâ expavérunt, ut non parvâ eis consolatióne opus fúerit. Hâc de causâ inspíciens eos, priùs dixit: Quæ apud hómines impossibília sunt. Quòd si dicta hæc ab ipso sunt, ut virtútis præ óculis magnitúdo ponátur, ex his quæ sequuntur perpendes. Nam cùm Petrus rogávit: Ecce nos, relictis ómnibus, secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Mercéde illius priùs definítâ, subjunxit: Et quicumque relíquerit domos, vel agros, vel fratres, vel patrem, vel matrem, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam æternam possidébit. Ita quod impossíbile erat, possíbile factum esse vidémus. Véniat tibi in mentem qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Joannes, qualis Elías: vel pótiùs ipsius unigéniti Dei Fílii recordáre, qui non habébat ubi caput reclináret. Quòd si páululùm respéxeris, ac rursus tibi quasi in naufrágio procella incubúerit, ténebras ádferens; hanc Christi senténtiam tecum íllicò versa, repeteque sæpiùs quòd impossíbile sit ad cœlum dívitem pervenire. Ad hanc tu senténtiam, montes, terram, mária cónferas, ac ómnia, si ita vis, cogitatióne aurum fácito, ac te habére fíngito; nihil exæquári póterit damno quod inde patiéris. Hæc ígitur cogitantes, æmulémur ea quæ nostrâ digna sunt æmulatióne; non magníficas ædes, non ubérrima prædia, non cétera hujúsmodi habentes, sed eos qui magnam apud Deum fidúciam consecúti sunt; qui divítias ingentes in cœlo póssident, quorum

thesauri ibi reservantur, qui paupertátem longo divítiis intervallo præponentes, verè dívites sunt. Hujúsmodi sunt omnes propter Christum páuperes.

PRO JUSTIS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir, qui non ábiit, 2; *Ps.* 2. Quare fremuérunt gentes, *ibid. Ps.* 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine, 73.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 4.)

Justus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est, non diuturna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

LECTIO II.

Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus et respectus in electos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juventus celériùs consummáta longam vitam injusti. Vidébunt enim finem sapientis, et non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, et quare munierit illum Dóminus. Vidébunt, et contemnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidentes sine honóre et in contumélia, inter mórtuos in perpétuum; quóniam disrumpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos à fundamentis : et usque ad suprémum desolabuntur.

LECTIO III.

(Cap. 4 et 5.)

Et erunt gementes, et me-

mória illórum perìbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex adverso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia adversùs eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Videntes turbabuntur timóre horribili, et mirabuntur in subitatióne insperátæ salútis, dicentes intra se, pœniténtiam agentes et præ angústia spiritûs gementes : Hi sunt quos habúimus aliquando in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est!

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 14. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo, 48; *Ps.* 23. Dómini est terra et plenítudo ejus, 52; *Ps.* 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea, 59.

LECTIO IV.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 10, cap. 16.)

Deridetur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimirùm prudéntia usu à juvénibus scitur : hæc à púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjecti et tímidi in áliis mirantur; quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs rédere; cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

LECTIO V.

At contrà, sapiéntia justórum est nihil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur ab eis procul dúbio stultum putátur; et quidquid in

ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur, mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállidà machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, possessa relínquere, rapienti non resístere, percutienti maxillam álteram præbére?

LECTIO VI.

(Post pauca.)

QUÆ nimírùm justi simplícitas bréviter sed sufficienter exprímitur, cùm prótinùs, subinfertur, Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contingit, ut electus quisque qui ad externam felicitátem dúcitur, contínuâ hic adversitáte deprimátur, non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem ostendat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat. A cunctis verò despicábilis cérnitur, et hujus mundi glóriâ indignus æstimátur; sed tamen ante occulti Júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruscat. Honorári métuit, déspici non réfugit: corpus continéntiâ áfficit, solà in ánimo dilectióne pinguescit: mentem semper ad patiéntiam præparat, et erectus pro justítia de perceptis contuméliis exultat: afflictis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur: sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; et inquisítus quódlibet éloqui duplíciter, ignórat.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 16. Exaudi, Dómine, justítiam meam, 131; *Ps.* 91. Bonum est confitéri Dómino, 32; *Ps.* 96. Dóminus regnávit; exultet terra, 53.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 12.)

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In Evang. Homil. 13.)

DOMINUS dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur: Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippe ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nos-

culo jubet, quos regnáre donávit in cœlo.

LECTIO IX.

(Serm. 23.)

CONTRISTATUS es, quia quod mías sic secúrus ille est, ibi locus furi. Non póterit niam tuam dene tibi ómnia sua có te regni sui hon et glóriâ.

PRO VIRGINIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 8. Dómine Dóminus noster, 37; *Ps.* 18. Cœli enarrant glóriam Dei, *cum sua divisione*, 48; *Ps.* 23. Dómini est terra, et plenitúdo ejus, 52.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios timo ergo hoc b propter instante tátem, quóniam hómini sic esse. uxóri? noli quæ tiónem. Solútus re? noli quærere autem accéperis non peccasti: et virgo, non peccá latiónem tamen bébunt hujúsmo

emunt, tanquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figúra hujus mundi.

LECTIO II.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri; et divísus est. Et múlier innupta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico; non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi

LECTIO III.

Si qnis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadulta, et ita oportet fieri : quod vult fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; et qui non jungit, méliùs facit. Múlier alligáta est legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm consílium. Puto autem quòd et ego Spíritum Dei hábeam.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 44. Eructávit cor meum, *cum sua divisione*, 137; *Ps.* 139. Deus noster refúgium et virtus, 139; *Ps.* 47. Magnus Dóminus, 139.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, de disciplína et hábitu Virginum.

(Paulò post initium.)

Nunc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiástici germinis, decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorruptum, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas : quantòque plùs copiósa virgínitas número suo addit, tantò plùs gáudium matris augescit.

LECTIO V.

An has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm potestáte : non quòd extrémi et miuimi, et humilitátis nostræ ádmodùm cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque inánis hæc cáutio est, et vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Dominica et vitália præcepta custódit; ut quæ se Christo dicáverint, et à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consumment opus suum magno præmio destinátum : nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dómino suo, stúdeant; à quo et mercédem virginitátis expectant, dicente ipso : Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est.

LECTIO VI.

Denuo quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt, inquit, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; vírgines enim permansérunt : hi sunt qui sequuntur Agnum quòcumque ierit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromittit, et féminas præterit : sed quóniam fémina viri pórtio est, et ex eo sumpta atque formáta est; in Scriptúris feré ómnibus ad protoplastum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quòd si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu et cum ornamentis, quibus dum homínibus placére gestiunt, Deum offendunt?

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 95. Cantáte Dómino... cantáte, 39; *Ps.* 96. Dóminus regnávit, exultet, 53; *Ps.* 97. Cantáte Dómino..... quia, 40.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In Evang. Homil. 12.)

Omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent; quia plerumquè bona in se ópera cum electis et réprobi ostendunt : sed soli

ad sponsum cum óleo véniunt; quia de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta Electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, electi et réprobi in mortis somno sopiuntur.

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

De adventu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes Vírgines surgunt; quia et electi et réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum Vírginum extinguuntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu Júdicis intùs obscurantur; et à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

LECTIO IX.

Quid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in adventu Júdicis, cùm se intùs vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed prudentes Vírgines respondent, dicentes: Ne fortè non suffíciat nobis et vobis, ite pótiùs ad vendentes, et émite vobis. Sed dum irent émere, venit sponsus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias: et clausa est jánua. O! si sápere in cordis paláto possis, quid admiratiónis habet quod dícitur, Venit sponsus! quid dulcédinis, Intravérunt cum eo ad núptias! quid amaritúdinis, Et clausa est jánua. Tunc regni jánua lugéntibus claudétur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperítur: erit namque et tunc pœniténtia; sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam ínvenit, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Isai. 61.)

Gaudens gaudébo in Dómino, * et exultábit ánima mea in Deo meo.

Quia índuit me vestimentis salútis: * et indumento justítiæ circúmdedit me.

Quasi sponsum decorátum corónâ, * et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, * et sicut hortus semen suum gérminat;

Sic Dóminus Deus germinábit justítiam, * et laudem coram universis géntibus.

AD VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo, B. M. V

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Venit Jesus in fines Judææ trans Jordánem: et secútæ sunt eum turbæ multæ, et curávit eos ibi. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(In Matth. 63.)

Christus, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, à necessitáte legis de non solvendo matrimónio ad cupiditátem virginitátis tráhere studet. Deinde ut eam esse possíbilem ostendat, dixit: Sunt eunúchi qui ex ventre matris sic nati sunt, et sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seipsos eunúchos fecérunt propter regnum cœlórum. Quibus ómnibus, latenter ipsos ad elígendam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit. Cùm autem dicit; Qui seipsos eunúchos fecérunt, non de abscissióne membrórum dicit; sed pravárum mentis cogitatiónum interemptiónem intélligit. Nam qui membrum incídit, maledictióni subjectus est, ut Paulus ait: Utinam et abscindantur qui vos conturbant!

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

Continentia enim mentis facit ut motus naturáles nullum áfferant ánimæ detrimentum. Cùm igitur eódem modo díxerit de illis eunúchis, qui nisi étiam ipsi mente se contíneant, frustrà et inutíliter tales sunt, ac de illis qui ut regnum cœlórum consequantur, se cóntinent; subjunxit rursus, dicens: Qui potest cápere, cápiat. Scilicet, ut alacrióres efficiat eo ipso quòd grave esse opus ostendit. Noluitque eam rem intra necessitátem legis conclúdere, et id quidem per ineffábilem benignitátem suam. Idque dicendo, adhuc magis domonstrat rem illam esse possíbilem; ut eò ámpliùs ipsam

eligendi desidérium in voluntáte gignátur.

LECTIO IX.

Sed si electiónis istud est, ínquies, quómodò ánteà dixit: Non omnes cápiunt, sed quibus datum est: Scílicet ut discas id esse magnum certámen, non sorte datam necessitátem: illud enim voléntibus datum est. Quod ideò dixit, ut osténderet superióre nobis auxílio opus esse (quod quidem ómnibus illud peténtibus parátum est), si vólumus in hac luctatióne superióres evádere. Mos enim ipsi erat sic loqui, quandocumque res árdua proponebátur; velut cùm dicébat: Vobis datum est nosse mystéria. Et hoc ita esse præsens locus manifestat. Nam si supernæ tantùm donatiónis istud est, ac nihil cónferunt qui virginitátem profitentur, superflué ipsis regnum cœlórum pollícitus est.

PRO SANCTIS MULIERIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 18. Cœli enarrant glóriam Dei, *cum sua divisione*, 48; *Ps.* 22. Dóminus regit me, 99; *Ps.* 27. Ad te, Dómine, clamábo, 6.

LECTIO I.

De Paráboliis Salomónis.

(Cap. 31.)

Mulierem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domésticis suis, et cibária ancillis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

LECTIO II.

Gustavit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et digíti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ

à frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit ; et cíngulum trádidit Chananæo.

LECTIO III.

FORTITUDO et decor indumentum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domûs suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt; vir ejus et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu supergressa es universas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, 6; *Ps.* 38. Dixi : Custódiam, *cum sua divis.*, 104; *Ps.* 51. Quid gloriáris, 106.

LECTIO IV

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Lib. de vera. Relig. cap. 41.)

VINCAMUS cupiditátis, vel blandítias, vel moléstias, si viri sumus. Nobis dúcibus et ipsa erit mélior ; nec jam cupíditas, sed temperántia nominábitur. Nam cùm ipsa ducit, nos autem séquimur, cupíditas illa et libído, nos verò teméritas et stultítia nuncupámur. Hoc et féminis præcipi potest, non maritáli, sed fraterno jure ; quo jure in Christo, nec másculus, nec fémina sumus. Habent enim illæ viríle quiddam unde femíneas súbjugent voluptátes, unde Christo sérviant, et ímperent cupiditáti.

LECTIO V.

(Serm. 59, de Divers.)

TRES vitæ sunt in Ecclésia membrórum Christi : conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi, omnes istæ vitæ tres attestátæ sunt Christum. Prima conjugális. Quando María virgo cóncipit, Elízabeth uxor Zacharíæ et ipsa concéperat. Hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María tanquam ad cognátam suam salutandam. Exultávit infans in útero Elízabeth. Ille exultávit, illa prophetávit. Habes attestantem pudicítiam conjugálem. Ubi viduális ? In Anna. Audístis quòd esset sancta Prophetíssa, vídua octoginta

quátuor annórum, quæ
tem annis víxerat cum
o suo; frequentans tem-
ım Dómini, sérviens in
ıtiónibus nocte et die. Et
a vídua agnóvit Chris-
n: vidit parvum, agnó-
magnum, et ipsa attestá-
est. Habes et in ista vitam
luálem, in María virgi-
lem.

LECTIO VI.

LIGAT sibi quisque de istís
bus quam volúerit. Qui
æter istas esse volúerit, in
ımbris Christi esse non
ıpónit. Non dicant conju-
tæ: Nos ad Christum non
rtinémus: habuérunt ma-
os sanctæ féminæ. Non
extollant Vírgines. Quan-
magnæ sunt, humílient
in ómnibus: ómnia exem-
a salútis propósita sunt
te óculos nostros. Nemo
órbitet: si pudicítiam
njugálem quæris, habes
sannam; si viduálem, ha-
s Annam; si virginálem,
bes Maríam.

IN III.º NOCTURNO.

Ps. 50. Exaudi, Deus, de-
ecatiónem, 108; *Ps.* 72.
ıàm bonus, *cum sua divis*,
; *Ps.* 100. Misericórdiam,
.

LECTIO VII.

ctio sancti Evangélii se-
cundùm Lucam.

(Cap. 10.)

in illo témpore; Intrávit
Jesus in quoddam castellum:
et múlier quædam, Martha
nómine, excépit illum in
domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii
Episcopi.

(Lib. 1. Comment. in Luc.
n. 9.)

EST nonnunquam in intentióne plusquàm in actióne, aut plus in actióne quàm in intentióne, ut in Evangélio cérnimus inter sanctam Maríam et Martham fuisse distántiam. Alia enim verbum audiébat: ália festinábat circa ministérium. Quæ stetit, et ait: Dómine, non est tibi curæ quòd derelíquit me soror mea solam ministrére? Dic ergo illi ut me ádjuvet. Et dixit illi Dóminus: Martha, Martha, María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Ergo in áltera intentiónis stúdium, in áltera actiónis ministérium redundábat. Utríque tamen utriusque virtútis stúdium suppetébat; síquidem et Martha, nisi audisset verbum, ministérium non subiisset: et María tantùm grátiæ de utriusque rétulit perfectióne virtútis, ut úngeret pedes Jesu, et térgeret capillis, et totam domum suæ fídei odóre compléret. Ideò ergo utriusque virtútis plenitúdo quærenda est.

LECTIO VIII.

Lib. 7, num. 84.)

Religiosa mentis inténtio Dei verbo, si cum fide cóngruat, étiam ipsis opéribus antefertur, juxta quod et hic scriptum est : Maria óptimam sibi partem elegit, quæ non auferétur illi. Studeámus et nos habére quod nemo nobis possit auferre; non ut perfunctória, sed diligens audiéntia deferátur. Solent enim étiam ipsíus sémina verbi cœlestis auferri, si secùs viam sint semináta. Agat te, sicut Maríam, desidérium sapiéntiæ; hoc enim majus, hoc perfectiónis opus; nec ministérii cura cognitiónem verbi cœlestis avertat; nec árguas eos, aut otiósos júdices quos vídeas studére sapiéntiæ. Hanc enim sibi cohabitantem Sálomon ille pacíficus adscívit.

LECTIO IX.

(N. 86.)

Nec Martha tamen in bono ministério reprehénditur; sed Maria quòd meliórem partem sibi elégerit, antefertur. Jesus enim multis abundat, et multa largítur: et ídeò sapiéntior quis judicátur, quia quod principále advertit, elégit. Dénique et Apóstoli óptimum non putavérunt relínquere Dei verbum, et ministráre mensis. Sed utrumque munus sapiéntiæ est: nam et Stéphanus plenus sapiéntia minister electus est. Et ídeò qui ministrat, doctóri déferat; et ministrantem doctor invítet et prióvocet. Unum enim est corpus Ecclésiæ, etsi diversa membra, et álterum áltero eget. Non potest dícere óculus mánui: Opera tua non desídero; aut íterùm caput pédibus, aut aurícula se negáre esse de córpore. Nam etsi ália principália, tamen ália necessária. Sapiéntia in cápite, actus in mánibus. Oculi enim sapientis in cápite ejus; quia ille verè sapit, cujus ánimus in Christo est, et cujus intérior óculus erígitur ad superna. Et ídeò sapientis óculi in cápite ipsíus; stulti autem in calcáneo.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Prov. 31.)

Os suum apéruit sapiéntiæ (Múlier fortis,) * et lex clemèntiæ in lingua ejus.

Considerávit sémitas domùs suæ, * et panem otiósa non comédit.

Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt; * vir ejus, et laudávit eam.

Multæ fíliæ congregavérunt divítias: * tu supergressa es universas.

Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum suárum; * et laudent eam in portis ópera ejus.

AD VESPERAS.

Ps. 109. Dixit, Dóminus, 21; *Ps.* 112. Laudáte, púeri, Dóminum, 23; *Ps.* 122. Ad te levávi óculos meos, 83; *Ps.* 123. Nisi quia Dóminus, 44; *Ps.* 127. Beáti omnes, 142.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 13.)

In illo témpore; díxit Jesus: Cui símile æstimábo regnum Dei? Símile est fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ sata tria. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Serm. 99.)

Cui símile, inquit, æstimábo regnum Dei? Sic dicendo appendit ánimos auditórum, et attónitos reddit stupóre toto; quid regno Dei, quid império divíno váleat comparári? Atque illis mente permulta et magna pervagántibus cœli Dóminus, in hospítio páuperis, in manu panicoctrícis mulíeris regni sui ínvenit et format exemplum, dicendo: Símile est regnum cœlórum fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ mensúris tribus, donec fermentátum est totum. Antè regnum suum granó sinápis comparábat; nunc illud éfficit símile fermento. Antè sinápis mémorat accepisse virum, granum mulíerem nunc ásserit accepisse fermentum. Dicitantè exíguum semen virum sevísse in magnæ arbóris incrementum, mulíerem modo fermentum breve ad profectum totíus massæ abscondísse manifestat. Verè sicut dixit Apóstolus Paulus, neque vir sine mulíere, neque múlier sine viro in Dómino. Ad unum regnum diversum sexum vária similitúdo perdúcit; neque virum séparat à mulíere vocátio christiána, quos Deus conjungit, natúra sociat, ac mirâ similitúdine símiles reddit hábitus, spécies única compónit.

LECTIO VIII.

Sed quare has similitúdines regni sui, Dóminus per virum prodúcit et féminam? Quare majestátem tantam tam vílibus, tam dispáribus format exemplis? Fratres, pretiósum latet in hac viliitáte mystérium, dicente Apóstolo: Mystérium hoc magnum est; ego autem dico

in Christo, et in Ecclésia. Comparatiónibus istis humáni géneris nogótium géritur principále; per virum et féminam mundi causa séculis tractáta finítur. Adam primus homo, múlier prima Eva, ab árbore sciéntiæ boni et mali ad Evangélici sinápis árborem deducuntur; ut óculos quos illecebrósa arbor aperiendo clauserat, sinápis arbor grani sui collyrio et acritúdine ipsâ, dum claudit, aperíret; ut ora quæ venenósæ árboris gustus infécerat, salutáris arbor flámmeo gustûs sui sapóre sanáret, et ista arbor ígneo pastu suo consciéntiam toto conversatiónis suæ ardóre succénderet, quam frígidam illa toto jam rigóre perfécerat. Neque hic jam vel alget, vel confúnditur núditas, ubi hóminem totum tegit vénia, fídei facit calére vestítus.

LECTIO IX.

Sed hoc per granum sinápis quod accéperat vir, confertur féminæ. Quid verò per fermentum quod accépit múlier, conferátur hómini, sollicítius perscrutémur. Símile est, inquit, regnum Dei fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ mensúris tribus. Múlier accépit à Deo fermentum fídei, quæ accéperat à diábolo perfídiæ fermentum: abscondit in mensúris tribus, hoc est in tribus hóminum tempóribus, quod est ab Adam usque ad Noë, à Noë usque ad Móysen, à Móyse usque ad Christum; ut múlier quæ corrúperat fermento mortis in Adam totam massam géneris humáni, fermento resurrectiónis totam carnis nostræ massam redintegráret in Christo; ut múlier quæ confécerat panem gémitûs et sudóris, panem vitæ cóqueret et salútis, et esset ómnium vivéntium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater ómnium mortuórum.

PSALMI POENITENTIALES.

Dicuntur flexis genibus Feriâ quartâ Cinerum, et Feriâ quintâ in Cœna Domini, eo ritu qui notatur in Missali.

Psalmus 6. Dómine, ne in furóre tuo, 46.

Ps. 37. Beáti quorum, 66.

Ps. 31. Dómine, ne in furóre tuo, *cum sua divisione,* 124.

Ps. 50. Miserére meî, Deus, 145.

Ps. 101. Dómine, exaudi oratiónem, *cum suis divisionibus*, 118.

Ps. 129. De profundis clamavi, 84.

Ps. 142. Dómine, exaudi oratiónem.. .. áuribus, *cum sua divis.* 136.

Ant. Dómine, memor esto meî, et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ SANCTORUM.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirituum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Sancte Jóachim, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe (*Zeb.*), ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.

Sancte Matthía, ora pro nobis.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Torpes, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási et Protási, oráte pro nobis.
Sancte Ansíli, ora.
Sancte Mitri, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Mauríci cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Feréole, ora.
Sancte Donate, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Leonti, ora.
Sancte Tróphime, ora
Sancte Remígi, ora
Sancte Castor, ora
Sancte Honoráte, ora
Sancte Hilári, (*Arel.*) ora
Sancte Máxime, ora
Sancte Cæsári, ora
Sancte Lamberte, (*Vinc.*) ora pro nobis.
Sancte Cárole, ora
Sancte Francisce Salési, ora
Sancte Bernárde, ora
Omnes sancti Pontifices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Caprási, ora
Sancte Vincenti, (*Lirin.*) ora pro nobis.
Sancte Joannes Cassiáne, ora pro nobis.
Sancte Ægídi, ora
Sancte Dominice, ora
Sancte Francisce, ora
Sancte Ludovíce, ora
Sancte Elzeári, ora
Sancte Roche, ora
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte
Sancta Anna, ora
Sancta María Magdaléne ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora
Sanctæ Perpétua et Felícitas oráte pro nobis.
Sancta Agatha, ora
Sancta Lúcia, ora
Sancta Agnes, ora
Sancta Cæcília, ora
Sancta Catharína, ora

Sancta Anastásia, ora pro nobis.
Sancta Máxima, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Rossolína, ora.
Sancta Delphína, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta María Ægyptia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.

DEPRECATIONES.

Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab subitánea et improvísa morte, líbera
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.

OBSECRATIONES.

Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per adventum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per baptismum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam Resurrectiónem tuam, libera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.

PETITIONES.

Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem et caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te.
Ut Domnum Apostólicum, et omnes gradus Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te.
Ut Antístitem nostrum, et omnes congregatiónes illi commissas, in tuo sancto obséquio conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus et Princípibus Christiánis pacem et ve-

ram concórdiam donáre dignéris, te rógamus, audi nos.

Ut cuncto pópulo Christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te.

Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.

Ut ómnibus benefactóribus nostris sempiterna bona retríbuas, te.

Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum, ab æterna damnatióne erípias, te.

Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem æternam donáre dignéris, te.

Ut nos exaudíre dignéris, te.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis: ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Orémus pro summo Pontífice nostró *N.* ℟. Notam fáciat fíliis hóminum glóriam magnificéntiæ regni tui. *Ps.* 144.

℣. Pro Antístite nostro *N.* ℟. Dóminus conservet eum, et vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Pro universâ Ecclésiâ. ℟. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedisti ab initio. *Ps.* 73.

℣. Pro Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem; et exaudi nos in die quà invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Pro cuncto Pópulo. ℟. Salvum fac Pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. *Ps.* 27.

℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Deus omnem grátiam abundáre fáciat in illis, et áugeat incrementa frugum justítiæ illórum. 2. *Cor.* c. 9.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Benéfac, Dómine, bonis et rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis, et peregrínis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, et vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Ps. 69. Deus, in adjutórium, 100.

℣. Dómine, exaudi oratió-

meam; ℟. Et clamor ad te véniat. *Ps.* 101.
Dóminus vobiscum.
cum Spíritu tuo.

ATIÓNES. Orémus.

, cui próprium est mi-
semper, et párcere :
e deprecatiónem nos-
; ut nos, et omnes fá-
tuos quos delictórum
a constringit, miserá-
æ pietátis clementer
vat.

DI, quæsumus, Dómi-
súpplicum preces, et
téntium tibi parce pec-
, ut páriter nobis indul-
am tríbuas benignus et
n.

ABILEM nobis, Dómi-
isericórdiam tuam cle-
er ostende; ut simul
t à peccátis ómnibus
, et à pœnis quas pro
erémur, eripias.

, qui culpas delinquén-
districte feriendo pér-
, fletus quoque lugén-
non recúsas : quæsu-
it qui pondus tuæ anim-
siónis cognóvimus, pie-
tuæ grátiam sentiámus.

S ómnium fidélium
r et Rector, fámulum
N. quem Pastórem Ec-
e tuæ præesse voluisti,
ítius réspice; da ei,
umus, verbo et exem-
quibus præest profí-
cere, ut ad vitam unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempiternam.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontifici nostro *N.* et dírige eum secundùm tuam clementiam in viam salútis æternæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, et totâ virtúte perfíciat.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat perveníre.

DEUS, à quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátà formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URE igne sancti Spíritûs renes nostros, et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

ACTIONES nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra

orátio et operatio à te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Fidelium, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivórum dominárís simul et mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænoscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ

ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea).

Sancte Míchael, ora.

Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro eo (*vel* eà.)

Sancte Abel, ora.

Omnis chorus Justórum, ora pro eo (*vel* ea).

Sancte Abraham, ora.

Sancte Joannes Baptista, ora.

Sancte Jóseph, ora.

Sancte Jóachim, ora.

Omnes sancti Patriarchæ et prophétæ, oráte.

Sancte Petre, ora pro eo (*vel* ea).

Sancte Paule, ora.

Sancte Andréa, ora.

Sancte Joannes, ora.

Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte pro eo (*vel* eâ.)

Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.

Omnes sancti Innocentes, oráte pro eo (*vel* ea.)

Sancte Stéphane, ora.

Sancte Laurenti, ora.

Sancte Mitri, ora.

Omnes sancti Martyres, oráte pro eo (*vel* ea).

Sancte Sylvester, ora.

Sancte Augustíne, ora.

Sancte Leonti, ora.

Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte pro ea (*vel* ea).
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Caprási, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, orate.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea).
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Máxima, ora.
Sancta Rossolína, ora.
Omnes Sanctæ Vírgines, oráte pro eo (*vel* ea).
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* ea).
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, (*vel* eam,) Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Deinde, cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur:

Proficiscere, ănima christiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit: In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est: In nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est. Egredienti de córpore áditus tibi páteat ad Sion montem, civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et Ecclésiam primitivórum qui conscripti sunt in cœlis. Exurgat Deus, et dissipentur omnes potestátes tenebrárum; fúgiant cuncta spirituália nequitiæ in cœléstibus, et ovem pretióso Christi sánguine redemptam violáre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignátus est: ovem suam te bonus pastor agnoscat, atque in electórum suórum grege constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; et præsens semper assistens manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem in sécula seculórum. ℟. Amen.

℟.

COMMENDAMUS tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* precamurque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendisti, eam in pace suscípias, et in sinu Abrahæ per manus sanctórum Angelórum collocáre dignéris. Agnosce, Dómine Jesu, creatúram tuam, per te renátam ex aqua et Spíritu sancto, consecrátam signo crucis tuæ, nutrítam córpore et sánguine tuo, et in Ecclésiæ tuæ sinu verbo veritátis instructam. Ne péreat prétium quod pro ejus æterna redemptióne persolvisti. Delicta juventútis ejus et ignoántias clementer indulge. Ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii : sed memento miseratiónum tuárum, et glóriæ nóminis tui. Licèt enim peccáverit, tamen in te sperávit et crédidit, teque Deum et Salvatórem suum unà cum Patre et Spíritu sancto fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, 3.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater. ℣. Et ne nos, *etc.* ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum me fac, Deus; ℟. Quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. *Ps.* 68.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

℣. Eripe me de luto, ut non infígar : ℟. Líbera me ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum. *Ps.* 68.

℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum : ℟. Neque úrgeat super me púteus os suum. *Ps.* 68.

℣. Exurge in adjutórium mihi : ℟. Dic ánimæ meæ, Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundantur; ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me. *Ps.* 85.

COLLECTA. Orémus.

UNIGENITE et dilecte Fili Dei vivi, qui pro redemptióne mundi voluisti in præsépio nasci, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ad víctimam duci, flagellis et cólaphis cædi, sputis fœdári, spinis coronári, cruci affígi, cum scelerátis deputári, et inter acerbíssimos dolóres expiráre : quæsumus ut per has sanctíssimas pœnas tuas, et per crucem ac mortem tuam, liberáre dignéris * fámulum tuum *N.* [*vel* fámulam tuam *N.*] à pœnis inferni, et perdúcere quò perduxísti latrónem tecum crucifixum; Qui

cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Matth. Marc. Luc.)

ASSUMIT Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem secum; et cœpit pavére, et tædére, contristári, et mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hìc, et vigiláte mecum. Et progressus pusillùm, pósitis génibus, orábat dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum à me: verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et prócidit super terram in fáciem suam, orans; et factus in agónia, prolíxiùs orábat, ut, si fieri posset, transíret ab eo hora. Et dixit: Abba, Pater, si possíbile est, tránseat à me calix iste: ómnia tibi possibília sunt; transfer cálicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram.

Ps. 69. Deus, in adjutórium meum, 100.

℣. Exaudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: ℟. Intende mihi, et exaudi me. *Ps.* 54.

℣. Cor meum conturbátum est in me: ℟. Et formído mortis cécidit super me. *Ps.* 54.

℣. Timor et tremor venérunt super me: ℟. Et contexérunt me ténebræ. *Ps.* 54.

℣. Ego autem in te sperávi, Dómine; ℟. Dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ. *Ps.* 30.

℣. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; ℟. Nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum. *Ps.* 12.

℣. Custódi ánimam meam, et érue me: ℟. Non erubescam; quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

COLLECTA. Orémus.

DOMINE Jesu Christe, cleméntiam tuam humíliter implorámus, per illam ánimæ tuæ tristítiam usque ad mortem, et per agóniam quam, instante passióne, pertulisti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram: succurre * fámulo tuo, [*vel* fámulæ tuæ] *N.* in agóne mortis * constitúto [*vel* constitútæ]: tuére * eum [*vel* eam] in hac hora contra diabólicos incursus: líbera * eum [*vel* eam] à mortis imminentis terróribus; et de peccatórum suórum consciéntia formidantem, fac * eum [*vel* eam] de misericórdiæ tuæ immensa largitáte * secúrum [*vel* secúram]: Qui vivis et regnas Deus. ℟. Amen.

Ps. 141. Voce meâ ad Dóminum,... voce meâ ad Dóminum deprecátus sum, 64.

℣. Vide, Dómine, humilitátem meam et labórem meum : ℟. Et dimitte universa delicta mea. *Ps.* 24.

℣. Dómine Deus miserátor et misericors, pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax; ℟. Réspice in me, et miserére meî. *Ps.* 85.

℣. Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : ℟. Ne discésseris à me. *Ps.* 37.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo et requiescam. *Ps.* 54.

℣. Moriátur ánima mea morte Justórum : ℟. Et fiant novíssima mea horum similia. *Num.* 23.

COLLECTA. Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixisti : In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te, míserans : te súpplices deprecámur per istam caritátem quâ dilexisti nos, ut omnes amaritúdines passiónum tuárum quas pro nobis peccatóribus sustinuisti in cruce, offerre et osténdere dignéris Deo Patri pro ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* in hac hora éxitûs ejus; quátenùs cum ipsa misericórdiùs agátur, quàm ejus peccáta meruérunt : Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus. Amen.

Finitis Psalmis et Collectis, (vel etiam antequam finiantur) si instet momentum exitûs animæ de corpore, legitur super moribundum quod sequitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Mat. Luc. Joann.)

TENEBRÆ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, et obscurátus est sol. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthání? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? póstea, sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Et continuò currens unus ex eis, acceptam spóngiam implévit acéto, et impósuit arúndini; et dabat ei bibere. Cùm ergo accepisset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et íterum clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo spíritum meum. Et hæc dicens, inclináto cápite, trádidit spíritum.

COLLECTA. Orémus.

MEMOR esto, piissime Dómine Jesu, illius horæ in qua de cruce pendens, clamasti voce magnâ : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? et íterùm : Pater, in manus tuas commendo spíritum meum; et hæc dicens expirasti. Per istam ergo

pretiosíssimam mortem quæ vita nostrâ fuit, obsecrámus cleméntiam tuam, ut non derelinquas in hac hora * fámulum tuum [*vel* fámulam tuam] cujus præter te nullus est auxiliátor álius; sed suscípere dignéris spíritum ejus, et introdúcere in regnum tuum ubi te cum Deo Patre et Spíritu sancto perpétuâ caritáte díligat, et cum sanctis et electis in æternum cantet misericórdias tuas.

℟. Amen.

[*Finitâ præcedenti Collectâ, et egressâ animâ, statim dicitur* ℟. In te, Dómine, sperávi, *cum versibus et Collecta infrà.*]

Si autem adhuc anxiatur anima, recitantur sequentes Psalmi, vel eorum pars, proùt necesse erit.

Ps. 21. Deus, Deus méus, réspice in me, 119.

Ps. 34. Júdica, Dómine, nocentes me, 56.

Ps. 53. Deus, in nómine tuo, 110.

Ps. 56. Miserére meî, Deus..... quóniam in te confídit, 131.

Ps. 70. In te, Dómine, sperávi, 111.

Ps. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam, 145.

Ps. 87. Dómine Deus salútis, 136.

Ps. 90. Qui hábitat in adjutório, 25.

Ps. 138. Dómine, probasti me, 121.

Egressâ autem animâ, dicitur : ℟. In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum : accélera ut éruas me : in manus tuas commendo spíritum meum : * Redemisti me, Dómine Deus veritátis : illustra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancillam tuam]; * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum : * Redemisti me. *Ps.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos, *etc.* ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua], Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi : ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi, *etc.*

℣. Dóminus vobiscum, *etc.*

COLLECTA. Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tu [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut * defunctus [*vel* defuncta] século tibi vivat : et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commisit, tu vénia misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

In depositione DEFUNCTÆ.

COLLECTA. Orémus.

QUÆSUMUS, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* et eam à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue; Per.

Pro pluribus DEFUNCTIS *diversi aut ejusdem sexûs.*

COLLECTA. Orémus.

DEUS, in cujus, óculis non est ínnocens étiam laudábilis hóminum vita, si remótâ misericórdiâ discútias eam; ne exquíras peccáta animárum quas tibi commendámus; sed quam fiduciáliter sperámus ac pétimus, fac eas apud te indulgéntiam invenire; Per Dóminum.

In die TERTIO, SEPTIMO *et* TRIGESIMO *post mortem non Sacerdotis.*

COLLECTA. Orémus.

QUÆSUMUS, Dómine, ut ánimæ * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* cujus depositiónis diem * tértium (*vel* séptimum) (*vel* trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, et rorem ei misericórdiæ tuæ perennem infundas; Per Dóminum.

In ANNIVERSARIIS.

COLLECTA. Orémus.

DEUS indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [sacerdótis, *vel* pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] cujus [*vel* animábus famulórum tuórum *N.* et *N.* quorum] [*vel* famulárum tuárum *N.* et *N.* quarum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

In Anniversariis primis dicitur tantum Collecta præcedens, in aliis adduntur duo sequentes.

Pro FRATRIBUS, SORORIBUS, PROPINQUIS *et* BENEFACTORIBUS.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, propinquos, et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beátâ Mariâ semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas Per.

Pro OMNIBUS DEFUNCTIS.

COLLECTA. Orémus

FIDELIUM, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum; ut indulgéntiam

quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis et regnas cum Deo patre.

℟. Amen.

[*Privatim pro patre et matre. Si pro Patre*, vel *Matre tantum, dicitur* ánimæ..... ejusque.... eum *vel* eam.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepisti : miserére clementer animábus patris mei ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum.]

In Officiis Quotidianis pro uno Defuncto vel pluribus dicitur una ex Collectis præcedentibus cui semper adduntur Collecta Deus, véniæ *et* Fidélium, *ut suprà.*

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis et Benefactoribus.

Collecta, Deus, véniæ, *ut suprà.*

Pro Omnibus Defunctis.

Collecta, Fidélium, *ut suprà.*

Pro Defunctis In Cœmeterio Quiescentibus.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiescunt; fámulis et famulábus tuis, hic et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum : ut à cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine lætentur; Per eumdem Dóminum.

Pro Occisis in bello.

COLLECTA. Orémus.

Miserator Deus et misericors, ad ánimas fidélium, qui pro Regno et Rege nostro, cecidérunt in bello, respícere festína : ut eis in æterna pace sit locus et habitátio perennis in Sion; Per Dóminum.

Si aliud Officium non sequatur, dicitur :

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

AD VIGILIAS.

INVITATORIUM.

Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Ps. 94. Veníte, 150; *in cujus in fine, loco* Glória Patri, *dicitur :* ℟. Requiem æternam dona eis, Dómine; et lux perpétua Lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis, in depositione corporis et in anniversariis solemni ritu celebrandis; in iis verò quæ ritu simplici fiunt dicitur tantùm unum Nocturnum, secundùm feriam, id est, Feriâ II et V, dicitur primum; Feriâ III et VI, secundum; Feriâ IV et Sabbato, tertium.

Tempore Paschali Vigiliæ dicuntur semper cum uno Nocturno.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 5. Verba mea áuribus, 73.

Ant. 7. ç. Dómine, deduc me in justítia tua: propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Ps. 6. Dómine, ne in furóre tuo, 46.

Ant. 8. G. Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniam non est in morte, qui memor sit tuî.

Ps. 12. Usquequò, Dómine, 65.

Ant. 3. c. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur sine Absolutione, sine Benedictionibus et sine Titulo.

LECTIO I.

(Job cap. 7.)

PARCE mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ò custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum? et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; et si mane me quæsíeris, non subsistam.

In fine Lectionum nihil additur.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies mei sicut umbra. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

LECTIO II.

(Job cap. 10.)

TÆDET ánimam meam vitæ meæ: dimittam adversùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt? aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora; ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de

manu tua possit erúere. Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu; et sic repentè præcípitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut cáseum me coagulasti? Pelle et cárnibus vestisti me; óssibus et nervis compegisti me. Vitam et misericórdiam tribuisti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Peccávi valde; sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui. 2. *Reg.* 24. *Luc.* 18.

LECTIO III.

(Job cap. 10.)

QUARE de vulva eduxisti me? ùti útinam consumptus essem, ne óculus me vidéret. Fuissem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam páululùm dolórem meum, ántequàm vadam, et non revertar, ad terram tenebrósam et opertam mortis calígine, terram misériæ et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhábitat.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum; consurgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem fílium quem récipit: * Iram Dómini portábo quóniam peccávi ei. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 22. Dóminus regit me, 99.

Ant. 6. *F.* In médio umbræ mortis non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine.

Ps. 24. Ad te, Dómine, levávi, 38.

Ant 8. G. Delicta juventútis meæ et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Divisio Ps. 24. Quis est homo, 39.

Ant. 2. D. Vide humilitátem meam, et labórem meum; et dimitte universa delicta mea.

℣. Custódi ánimam meam, et érue me: ℟. Non erubescam, quóniam sperávi in te. *Ps.* 26.

Pater noster.

LECTIO IV.

(Job cap. 13.)

QUANTAS hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delicta ostende mihi. Cur fáciem tuam abscondis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento

ràpitur, ostendis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerasti; qui quasi putrédo consumendus sum, et quasi vestimentum quod coméditur à tínea.

℟. Ecce ánimam meam porto in mánibus meis: * Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo, et ipse erit Salvátor meus. ℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus: * Etiamsi. *Job* 13. *Rom.* 14.

LECTIO V.

(Job cap. 14.)

Homo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis miséríis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium. Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est; constituisti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiescat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo et salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Si quis superædíficat super fundamentum, et opus ejus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. * Sancta ergo. 2. *Mach.* 12. 1. *Cor.* c. 3.

LECTIO VI.

(Job cap. 14.)

Quis mihi hoc tríbuat, ut in inferno prótegas me, et abscondas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus in quo recordéris meî? Putasne mórtuus homo rursùm vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expecto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi: ópera mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccátis meis.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israel, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israel: noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; sed memento manûs tuæ et nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, et redemisti nos Deo in sánguine tuo: * Audi nunc. *Baruch* 3. *Apoc.* 5.

IN III.º NOCTURNO.

Ps. 26. Dóminus illuminátio mea, 97.

Ant. 1. a. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini.

Divisio Ps. 26. Exaudi, Dómine, 97.

Ant. 4. E. Credo vidére bona Dómini in terra viventium.

Ps. 40. Beátus qui intélligit, 126.

Ant. 3. b. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, et resúscita me.

℣. Quare tristis es, ánima mea? et quare conturbas me? ℟. Spera in Deo, quóníam adhuc confitébor illi. *Ps.* 41.

Pater noster.

LECTIO VII.

(Job cap. 16 et 17.)

Breves anni tránseunt; et sémitam per quam non revertar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi súperest sepulcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxta te; et cujusvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job* 19. 1. *Cor.* 15.

LECTIO VIII.

(Job cap. 17).

Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt torquentes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est; et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; Mater mea et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea? et patiéntiam meam quis considerat?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam æternam, et álii in oppróbrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur; * Evigilábunt. *Dan.* 12. 1. *Cor.* 15.

LECTIO IX.

(Job cap. 19.)

Pelli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum; et derelicta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi trí-

buat ut scribantur sermónes mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo et plumbi lámina, vel celte sculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et rursum circúmdabor pelle meâ, et in carne meâ vidébo Deum meum; quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me : non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum : * Exaudi me, quóniam ✝ Benigna est misericórdia tua : ℣ Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Dómine Deus, rex sécu-lórum, solus pius es : * Exaudi me, quóniam ✝ Benigna est misericórdia tua : ℣ Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine fili David : Dómine, ádjuva me : ✝ Benigna est misericórdia tua : ℣ Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Propósuit te Deus propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum : ℣ Intende ánimæ meæ, et líbera eam. *Repet.* ℟. Líbera *usque ad* ℣. Dómine. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matt.* 15. *Rom.* 3.

[*Quando Vigiliæ celebrantur mane, prætermissis quæ sequuntur, continuò inchoantur Laudes.*]

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

ABSOLVE, quæsumus, Dómine, ánimam * fámuli tui *N.* [Sacerdótis *vel* Pontificis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] [*vel* ánimas * famulórum tuórum *N.* et *N.*] [*vel* famulárum tuárum *N.* et *N.*] et ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória, inter sanctos et electos tuos resuscitáti respírent; Per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et séculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

AD LAUDES.

In Ps. 50. Miserére meî, Deus, 145.

Ant. 1. *g.* Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meam.

Ps. 64. Te decet hymnus, 74.

Ant. 8. G. Exaudi, Deus, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Ps. 142. Dómine, exaudi

orationem meam... aúribus. *cum sua divis.* 136.

Ant. 4. E. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Ant. 2. D. Miserére.

CANTICUM.

(Baruch 3.)

DOMINE omnípotens, Deus Israel,* ánima in angústiis, et spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, et miserére, quia Deus es miséricors; * et miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempiternum, * et nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, et non audiérunt vocem Dómini Dei sui: * et agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; * sed memento manûs tuæ, et nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * et laudábimus te, Dómine.

Réquiem.

Ant. Miserére nostrî, Dómine; quia peccávimus ante te.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus, 55.

Ant. 7. b. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in æternum. *Joan.* 11.

Pater, *et cetera ut suprà in Vesperis*, CLIV, *excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicitur Ps.* De profundis, 84.

rael, qui peccavérunt ante te. Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, sed * Memento manûs tuæ et nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, et redemisti nos Deo in sánguine tuo: * Memento. *Baruch* 3. *Apoc.* 5.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clará voce*, Et ne nos indúcas, *etc.*

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus [*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta] século, tibi vivat: et quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénià misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

inólità benignit
tiam tuam dep
ánimam * fámul
mulæ tuæ] ad te
cum pietáte sus
ei Angelus tes
Míchael, et per
tórum Angelór
inter sanctos et
in sínibus Abra
Jacob Patriarc
rum eam colloc
quátenus liberá
cípibus tenebr
locis pœnárum
primævæ nati
ignoránti æ, aut
quitátis seu fra
fundátur erró
agnoscátur à Sa
beatitúdinis réq
tur: atque cùm
dícii dies advé
sanctos et elect

adjútor eórum et protector eórum est. *Ps.* 113.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es: dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur; tu imáginem tuam cum sanctis et electis tuis æternis sédibus præcípias sociári; eamque ad te revertentem de Ægypti pártibus blandè leniterque suscípias, et Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas, viamque illi justítiæ demonstra, et portas glóriæ tuæ áperi. Repelle, quæsumus, Dómine, ab ea, omnes príncipes tenebrárum, et agnosce depósitum fidéle quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo et vero; quia non est álius Deus præter te, Dómine, et non est secundùm ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, et clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii: licet enim peccáverit, tamen te non négavit; sed signo fídei insigníta, te qui ómnia, et eam inter ómnia fecisti, fidéliter adorávit; Qui vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

Psalm. Dilexi, 43; Crédidi, 101; Laudáte Dóminum, omnes gentes, 135; *Ant. sola* 8. G. Circumdedérunt me dolóres mortis, et perícula inferni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam. *Ps.* 114.

COLLECTA. Orémus.

DIRI vúlneris novitáte perculsi, et quodámmodò córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redemptor, flebílibus vócibus implorámus; ut * cari nostri *N.* [*vel* caræ nostræ *N.*] ánimam ad tuam clementiam, qui fons pietátis es, revertentem blandè leniterque suscípias; et quas ex carnáli commoratióne contraxit máculas, tu Deus, inólitâ bonitáte clementer déleas, *Chorus*, Amen: Piè indúlgeas, *Chorus*, Amen: Oblivióni in perpétuum tradas, *Ch.* Amen: Atque hanc laudem tibi cum céteris redditúram, et ad corpus próprium quandóquè reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre et Spírítu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Pater, noster, *secreto*. ℣. Et ne nos, indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem æternam dona ei, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Anima ejus in bonis demorétur, ℟. Et semen ejus hæréditet terram. *Ps.* 24.

℣. Non íntres in judícium cum * servo tuo, [*vel* ancilla tua,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

PARTEM beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* vitamque æternam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEUS, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem: præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Requiescat in pace, ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ,

ET GRATIARUM ACTIO.

ɪEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

ɪDICITE. ℟. Dóminus.
i ómnium in te sperant,
ine; et tu das illis escam
npore opportúno : ápe-
ı manum tuam, et im-
omne ánimal benedic-
:. *Ps.* 144.
ória Patri, et Fílio, et
tui sancto : Sicut erat
rincípio, et nunc, et
er, et in sécula seculó-
. Amen.
rie, eléison. Christe,
ɔn. Kyrie, eléison.
ɔretò, Pater, *usque ad*
t ne nos indúcas in ten-
nem; ℟. Sed líbera nos
lo.

Orémus.

ɪDIC, Dómine, dona †
quæ de tua largitáte
ıs sumptúri; Per Chris-
Dóminum nostrum.
Amen.
fiat Lectio, Lector dicit :
, domne, benedícere.
ned. Mensæ cœlestis
cipes fáciat nos Rex æ-
e glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis, dicitur :
Tu autem, Dómine, miserére nostrî.
℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO

POST PRANDIUM.

CONFITEANTUR tibi, Dómine, ómnia ópera tua; et Sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. Glória Patri, *etc.*

Qui benedixit mensam, dicit :

AGIMUS tibi grátias, omnípotens Deus, pro universis beneficiis tuis; Qui vivis et regnas in sécula seculórum.
℟. Amen.
Deinde procedendo ad Ecclesiam, dicitur Ps. Miserére, 145. *Si verò non procedatur, dicitur Ps.* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 135. *Qui Psalmus semper dicitur, quando absolvitur Gratiarum actio in loco refectionis.*

In fine Psalmi dicitur Glória Patri, *deinde* Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in ten-

tatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Audiant mansuéti, et lætentur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc nunc, et usque in séculum. *Ps.* 112.

Retribuere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Submissiori voce, Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ

ANTE CŒNAM.

Benedicite. ℟. Dóminus. Edent páuperes, et saturabuntur; et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in culum séculi. *Ps.* 21.

Glória Patri, *etc.*

Kyrie, eléison. Chr eléison. Kyrie, eléison

Secretò, Pater. *Clar ce*, Et ne nos, indúc tentatiónem; ℟. Sed l nos à malo.

COLLECTA. Orémus

Benedic Dómine, do tua, quæ de tua larg sumus sumptúri; Per C tum Dóminum nostrun

℟. Amen.

Ad Lect. Bened. Ad nam perpétuæ vitæ perc nos Rex æternæ glória Amen.

GRATIARUM ACT

POST CŒNAM

Memoriam fecit mirabí suórum miséricors et n rátor Dóminus: escam timéntibus se. *Ps.* 110.

Glória Patri, *etc.*

Qui benedixit mensam,

Benedictus Deus in d suis, et sanctus in ómn opéribus suis; Qui viv regnat in sécula seculór

℟. Amen.

Psalmi et reliqua, ut su

CLXVII.

[In Jejuniis, *ad refe nem fit Benedictio mens Gratiarum actio, ut n tum est pro Cœna.*]

ITINERARIUM.

Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat sequentia, in singulari; si cum sociis, in plurali, ut sequitur.

In Canticum, Benedictus, 155.

Ant. 5. C. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus: et Angelus Ráphael comitétur nobiscum in via, ut cum pace, saláte et gáudio revertámur ad própria.

PRECES.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater noster, *etc. usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis, ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedictus Dóminus die quotídie: ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas, Dómine, demonstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ ℟. Ad custodiendas justificatiónes tuas! *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in directa, ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

COLLECTÆ. Orémus.

DEUS, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique Magis iter ad te, stellâ duce, pandisti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad æternæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEUS, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine,

in procinctu suffrágium, in vía solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus; et demum incólumes ad própria redeámus.

Adesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM,

AD LIBITUM SACERDOTIS

Psalmi, Quàm dilecta, 98; Benedixisti, 53; Inclína, Dómine, *cum sua divis.* 145; Crédidi, 101; De profundis clamávi, 84.

Ant. Dómine, memor esto meî; et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea. *Tob.* 3.

PRECES.

Kyrie, eléison, Christe, eléison, Kyrie, eléison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convétere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemadmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

ORATIONES. Orémus.

AURES tuæ pietátis, mitísime Deus, inclína précibus nostris, et grátiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis voluntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, et dignè laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritûs renes nostros et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MENTES nostras, quæsumus Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ et corda nostra clementer expurget, et ab ómnibus tueátur adversis.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuisti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit et regnat Deus. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST MISSAM.

Psalmi, Dóminus regit me, 99; Benedícam Dóminum, *cum sua divisione, ibid.* Bénedic, ánima mea, Dómino; et ómnia, *cum sua divísione*, 80.

Ant. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstíto, esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes. *Sap.* 12 *et* 16. *Luc.* 1.

PRECES.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos indúcas, *etc.*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus. ℟.

Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut filius hóminis, quóniam visitas eum? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum, in pace; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

ORATIONES. Orémus.

VISITA, quæsumus, Dómine, famíliam tuam: et corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte; ut remédia salútis æternæ, quæ te miserante percípiunt, te protegente custódiant.

QUÆSUMUS, Dómine Deus noster, ut quos divínâ trí-buis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis.

COGNOSCIMUS, Dómine, tuæ circa nos clemèntiæ la tem: et ídeò fiduciáli plorámus, ut quos p non désinis imméritos gnè tibi servíre perfíc donis uberióribus pro ris.

MAJESTATEM tuam, Dó supplíciter exorámus, rire patiáris quibus ta média providisti; sed divíni frequentatióne térii crescat nostræ effectus.

ACTIONES nostras, q mus, Dómine, aspi præveni, et adjuvando séquere; ut cuncta orátio et operátio à te per incípiat, et per te finiátur.

ADJUVET nos grátia tua nípotens Deus; ut qui cium sacerdotále sus mus, dignè ac devótè t omni puritáte et consci bona famulári valeámu si non póssumus in tan nocéntia vitæ conversá debémus, concéde nobi men dignè flere mala géssimus, et in spíritu militátis, ac bonæ volun propósito tibi fervénti cetero deservíre; Per C tum Dóminum nostrum ℟. Amen.

CANONES.

PARS ÆSTIVA.

De Festo SS. Trinitatis, et Pueris, in ejus et ceterorum mysteriorum fide instituendis, tum de solemnitate Corporis Christi, et latriæ cultu interno et externo ei debito.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN, IN FESTO SS. TRINITATIS.

Ex Concílio Constantinopolitáno secundo œcuménico.

(Ann. 553. Collat. 8, Can. 1.)

Si quis non confitétur Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti, unam natúram sive substántiam, et unam virtútem et potestátem, Trinitátem consubstantiàlem, unam deitátem in tribus substántiis sive persónis adorandam, talis anáthema sit.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(Ann. 829. Lib. 1, cap. 6.)

Quoniam fides Christi ubíque pollet, et párvuli de Christiánis paréntibus nati, ántequàm ad intelligíbilem ætátem véniant, Baptísmatis Sacramenta percípiunt; necesse est ut quod imbecillis ætas nequívit, intelligíbilis díscere sátagat: quod quia ab usu propter quorumdam (Sacerdótum) incúriam recessit, quantæ sit negligéntiæ quantique discríminis satis dici non potest.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Fidei rudimentis.)

Curent Epíscopi ut omnes suæ Diœcesis Curáti síngulis Dominicis et áliis Festis diébus, puéris in suis Paróchiis inítia fídei tradant, eosque ad obediéntiam Deo, Paréntibus et Superióribus præstandam erúdiant; et proptérea à prándio constitúta hora, certis cámpanæ íctibus ad Ecclésiam eos convocáre non omittant.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

P.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Mediolanensi quinto, sub sancto Cárolo.

(Anno 1579. Part. i, tit. 2.)

Confessarii gravíssimam pœniténtiam impónant, itemque Concionatóres divínam ultiónem denúntient, et patribus famíliâs, et dóminis, qui, nullà aut saltem parvâ diligéntiâ adhíbitâ, omnem ratiónem non íneunt ut sui líberi ac fámuli Christiánam doctrínam addiscant, neque iis quos in famulátu habent, tantùm diébus saltem festis váçui témporis concédunt, quo in Ecclésias ubi ea doctrína tráditur, ad illam percipiendam convenire possint.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA QUINTA.

IN FESTO

CORPORIS CHRISTI.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1551, Sess. 13, de Euchar. cap. 5.)

† Declarat sancta Synodus piè et religiósè ádmodùm in Dei Ecclésiam inductum fuisse hunc morem, ut síngulis annis peculiári et festo die præcelsum et venerábile (Eucharístiæ) Sacramentum singulári veneratióne ac solemnitáte celebrarétur, utque in Processiónibus reverenter et honorífice illud per vias et loca pública circumferrétur. Christiáni omnes singulári significatióne gratos et mémores testentur ánimos erga commúnem Dóminum et Redemptórem pro tam ineffábili et planè divíno benefício.

Tu autem.

FERIA SEXTA

INTRA OCTAVAM

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1551. Sess. 13. de Euchar. Can. 4.)

Si quis díxerit, peractâ consecratióne, in admirábili Eucharístiæ Sacramento non esse corpus et sánguinem Dómini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum súmitur; non autem antè vel post, et in hóstiis seu partículis consecrátis, quæ post communiónem reservantur vel supersunt, non remanére verum corpus Dómini, anáthema sit.

SABBATO

INTRA OCTAVAM.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1551. Sess. 13, de Euchar. Cap. 5.)

Nullus dubitandi locus relínquitur quin omnes Christi fidéles, pro more in Cathólica Ecclésia semper recepto, latríæ cultum qui vero Deo debétur, sanctíssimo

Eucharístiæ Sacramento in veneratióne exhíbeant. Neque enim ídeò minùs est adorandum, quod fúerit à Christo Dómino ut sumátur, institútum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse crédimus, quem Pater æternus introdúcens in orbem terrárum, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoravérunt; quem in Galilæa ab Apóstolis adorátum fuisse Scriptúra testátur.

DOMINICA

INTRA OCTAVAM,

Quæ est secunda post Pentecosten.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1551. Sess. 13, de Euchar. cap. 6.)

CONSUETUDO asservandi in Sacrário sanctam Eucharístiam ádeò antíqua est, ut eam séculum étiam Nicæni Concílii agnóverit. Porrò deferri ipsam sacram Eucharístiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclésiis conservári præterquàm quòd cum summa æquitáte et ratióne conjunctum est, tum multis in Concíliis præceptum invenítur, et vetustíssimo Cathólicæ Ecclésiæ more est observátum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omninò salutárem hunc et necessárium morem státuit.

FERIA SECUNDA

INTRA OCTAVAM.

Ex Concílio Turonensi.

(Ante annum 900. Apud Reginonem, libro de Ecclesiasticis disciplinis. Can. 70 et 71.)

OMNIS Présbyter hábeat pyxidem aut vas Sacramento dignum, ubi corpus Domínicum diligenter recondátur ad viáticum recedéntibus à século; semperque sit super altáre obserátum. Illud étiam annectendum vidétur, ut oblatiónes quæ in altári offeruntur, de Sábbato in Sábbatum semper innoventur; quia panes propositiónis qui supra mensam Dómini ponebantur, à Sábbato in Sábbatum semper mutabantur.

FERIA TERTIA.

Ex Concíliis Avenionensi * et Aquensi **.

(* Ann. 1326. cap. XI. Aderat Barth. Grassi, For. Episc. Labbæus, tom. XI. col. 1717. ** Tit. de his quæ ad Sacr. Euch. pertinent.)

STATUIMUS ut Ecclesiárum Rectóres Parochiános suos indúcere stúdeant ut sanctíssimum Corpus Domínicum, dum Presbyter ipsum portat in viáticum, reverenter assócient, ac luminárium adhibitióne decenter honórent.... Omnis autem sive Sacerdos, sive Cléricus, sive Láicus qui sanctíssimo Sacramento óbviam fiet, do-

mum usque ejus cui ministrandum est, et ad Ecclésiam quoque quo réditur, piâ veneratióne comitári stúdeat, nisi necessitáte causâve urgenti impediátur.

FERIA QUARTA

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1562. Sess. 21. can. 2.)

Si quis díxerit sanctam Ecclésiam Cathólicam non justis causis et ratiónibus adductam fuisse, ut Láicos, atque étiam Clericos non conficientes, sub panis tantúmmodò spécie communicáret, aut in eo errasse, anáthema sit.

FERIA QUINTA

OCTAVA

CORPORIS CHRISTI,

ET FESTUM

SACERDOTII DOMINI N. J. C.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess. 22. Can. 22.)

Si quis díxerit, illis verbis: Hoc fácite in meam commemoratiónem, Christum non instituisse Apóstolos Sacerdótes, aut non ordinasse ut ipsi aliique Sacerdótes offerrent Corpus et sánguinem suum; anáthema sit.

Tu autem.

De Sacramentis Viatici et Extremæ-Unctionis, et reliquo sacerdotali ministerio erga infirmos.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Narbonensi.

(Ann. 1609. Can. 32.)

Invigilent Párochi supra gregem, et paráti semper sint, ne per illórum negligéntiam, aut párvuli sine Baptismo, aut adulti sine Sacramentis Pœniténtiæ, Communiónis, et Extrémæ Unctiónis moriantur. Infirmos sæpiùs vísitent et consolentur, ac de salúte ánimæ móneant. Olea sancta intra cremérias nítidas, mundas, et non fractas, distinctè custódiant.

SABBATO.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de his quæ ad Sacram. Pœnit. pertinent.)

Innocentii III constitutiónem in Concílio Lateranensi latam, et à sanctæ memóriæ Pio quinto in usum revocátam, præcípimus observári: ut médici móneant infirmos ántequam illórum curam suscípiant, ut de peccátis confiteantur, quibus étiam

denúntient, se, nisi id quatrídui spátio ad summum præstíterint, eórum curatióni non adfutúros.

DOMINICA TERTIA

POST PENTECOSTEN.

IN FESTO SACRATISSIMI CORDIS JESU.

Canon ut in proprio.

FERIA SECUNDA.

Ex Sacramentáli Ambrosiáno sancti Cároli Mediolanensis Archiepíscopi.

(Script. post ann. 1582, c. 5, de visit. et cur. Infirm.)

Ægrotis máximè visitandis et consolandis assíduam caritátem Párochus navábit, qui rerum ómnium indigéntiâ et morbi acerbitáte miserábilem in modum afflicti, curatiónem difficíllimam experiuntur; quorum paupertátem commótus zelo pietátis ita sublevábit, ut et ipse, si per facultátes potest, de suo éroget, et aliórum eleemósynas conquírat.

FERIA TERTIA.

Ex Statútis Synodálibus Andrææ Hérculis de Fleury Forojuliensis Episcopi.

(Ann. 1714, num. 8.)

Licet quavis hora Viáticum infirmis deferri possit, hortámur tamen Párochos, ut quantúm fieri potest sanctíssimum illud Sacramentum administrent manè; vigilantíssimè tamen curantes ne ullus absque eo moriátur; hortámur étiam eos ut sédulâ caritáte idéntidem visitent infirmos, præsertim in extrémis vitæ momentis, unde pendet áliquando eórum salus æterna.

FERIA QUARTA.

Ex Sacramentário Forojuliensi.

(In codice membraneo exarato ante annum 1000, tit. de visitatione et cura infirmorum.)

Confiteatur infirmus Deo, et Sacerdóti páriter ómnia peccáta sua, ut reconciliatiónem ab eo accípiat plenam, et ulcéribus vitiórum per confessiónem priùs adapertis, dígniùs proficiat ei únctio spirituális, medendo nequitiárum putrédinem intériùs latentem; deindè perungátur infirmus de óleo sanctificáto, et post hæc communicétur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Nannetensi.

(Can. 4 et 5; seculo IX.)

Sacerdos infirmum blandè leniterque alloquátur, ut omnem spem suam in Deo ponat, ut peccáta confiteátur, ut emendatiónem promittat: hujuscémodi allocutiónibus det locum Sacerdos ut ægrótus de peccátis suis possit cogitáre. Infir-

mus qui necessitáte mortis urgente confitétur peccáta, sub ea conditióne à Sacerdóte reconciliétur, ut si ei Dóminus sanitátem reddíderit, secundùm qualitátem dèlicti et secundùm Cánonum statúta et Pœnitentiálium probatórum pœníteat.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tolosáno.

(Ann. 1590. Part. 2, cap. 9.)

ÆGROTOS Párochi, quantâ máximâ fieri póterit caritáte, visitábunt, consolabuntur, ínstruent, ultrò sese étiam non vocáti iis offérent, dabuntque sédulò óperam ne in id tempus sacram extremamque unctiónem différant, quo tam profutúri Sacramenti cómmoda, quod frequenter nímiùm áccidit, satis agnóscere non possint.

SABBATO.

Ex Concilio Mediolanensi quarto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1576. Part. 2, cap. 6.)

SACERDOS, dùm ægrótus sénsuum usum non amísit, eum brévibus et suávibus ardentibusque verbis excitáre ad desidérium vitæ æternæ et ad spem de divína misericórdia concipiendam, ne opportúnè desistat; tum cùm propè moribundus est, in illius ánimæ commendatióne, quàm máximâ potest íntimâ ánimi pietáte, statas, religiósas, sanctasque preces récitet.

Tu autem.

De Sacramento Matrimonii.

DOMINICA QUARTA

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess. 24, de Matrim. can. 1.)

SI quis díxerit Matrimónium non esse verè et próprie unum ex septem legis Evangélicæ Sacramentis, à Christo Dómino institútum, sed ab homínibus in Ecclésia inventum; neque grátiam conferre; anáthema sit.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Parisiensi.

(An. 1528. in Decr. fid. c. 10.)

MATRIMONIUM Sacramentum magnum est in Christo quidem et Ecclésia, quo sanctificátur vir infidélis per mulíerem fidélem, et múlier infidélis per virum fidélem. Hoc honorábile connúbium per quod cónjuges benedictiónem consequuntur in filiis, nec habet

in eos dæmónium potestátem, nisi ita conjúgium suscípiant, ut Deum à se et à sua mente exclúdant.

FERIA TERTIA.

Ex Epístola canónica secunda sancti Basílii Magni ad beátum Amphilóchium Epíscopum Iconiensem.

(Ann. 375. C. 42.)

Quæ sine iis qui habent potestátem fiunt matrimónia, sunt fornicatiónes. Nec ergo, vivente patre, nec dómino, ii qui convéniunt, sunt ab accusatióne líberi, donec conjúgio dómini annúerint; tunc enim áccipit firmitátem conjúgium.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Eliberitáno.

(Ann. 313. C. 15 et 16.)

Gentilibus mínimè in matrimónium dandæ sunt Christiánæ. Hærétici si se transferre nolúerint ad Ecclésiam cathólicam, nec ipsis cathólicas dandas esse puellas, sed neque Judæis dare plácuit; eò quòd nulla possit esse socíetas fidéli cum infidéli.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanensi quinto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1579. Part. 3, c. 16.)

Parochus, quos sponsos experiundo víderit doctrínæ christiánæ rudimenta plane ignoráre, ne matrimónio illos ántè jungat, quàm ea item ratióne cognórit didicisse quæ eo de génere illos planè scire oportet.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Cameracensi.

(Ann. 1565. Tit. 15, cap. 2.)

Docebunt Pastóres, idque frequenter, populáres suos in Matrimónio spectári debére fidem, prolem, et Sacramentum: fidem scílicet quæ jus conjúgii servet indissolúbile; prolem, ut Dei benefício suscepta ac donáta mútuâ benevoléntiâ nutriátur, et instituátur religiósè; Sacramentum autem, ut exemplo Christi et Ecclésiæ divórtium cónjuges non séparet.

SABBATO.

Ex Concílio Narbonensi.

(Ann. 1609. c. 22.)

Matrimonium non domi, sed in loco sacro celebrétur, ab auróra usque ad merídiem, in Missa tantùm. Nec ad contrahendum Párochi admittant fidéles ab Adventu Dómini usquè ad Epiphániam, et à Féria quarta Cínerum usquè ad Domínicam in Albis, sine Epíscopi licéntia. Secundæ verò Núptiæ nusquàm benedicantur.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

DOMINICA QUINTA

POST PENTECOSTEN.

De Epístola Sirícii Papæ, ad Himérium Tarraconensem Epíscopum.

(Ann. 385, Can. 4.)

De conjugálium violatióne requisisti si desponsátam álii puellam altérius matrimónium possit accípere. Hoc ne fiat, modis ómnibus inhibémus; quia illa benedictio quam nuptúræ Sacerdos impónit, apud fidéles cujusdam sacrilégii instar est, si ullâ transgressióne violétur.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Anno 1563, Sess. 24, de Reform. Matrim. c. 1.)

Antequam matrimónium contrahátur, ter à próprio contrahéntium Párocho tribus contínuis diébus festívis in Ecclésia inter Missárum solemnia públicè denuntiétur quos inter matrimónium sit contrahendum. Quibus denuntiatiónibus factis, si nullum legítimum opponátur impedimentum, ad celebratiónem matrimónii in fácie Ecclésiæ procedátur.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563, Sess. 24, de Reform. Matrim. cap. 1.)

Qui áliter, quàm præsente Párocho, vel álio Sacerdóte de ipsíus Párochi seu C nárii licéntiâ, et duób tribus téstibus, Mat nium contrahere att bunt; eos sancta Synoc sic contrahendum or inhábiles reddit: et l modi contractus irri nullos esse decernit, eos præsenti decréto i facit et annullat.

FERIA QUARTA

Ex Concílio Triden

(Sess. 24. de Reform. M cap. 1.)

Sancta Synodus hortá cónjuges ante bened nem Sacerdotálem in plo suscipiendam, in domo non cohábite Postrémò hortátur, u quàm cóntrahant, su cáta diligenter confite et ad sanctíssimum E rístiæ Sacramentum p cédant.

FERIA QUINTA

Ex Concílio Remer

(Ann. 1583, de Reform c. 11.)

Nuptiis ritè complét se compónant cónjug putent se non à Sacer sed per eum à Christo junctos, in quem pe quóties fides promissa tur; neutri ergò ab áltero discédere, quoad thorum, nisi legítimâ, prius à sup approbátâ.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Làodicéno.

(Ann. 372. Can. 53 et 54.)

[on oportet Christiános
ıntes ad núptias saltáre aut
ıoréas ágere, sed modestè
enáre vel prándere, sicut
ıristiános decet. Non oport
t ministros áltáris vel
ıóslibet Cléricos spectácu-
alíquibus, quæ aut in
ıptiis aut in cœnis exhi-
ntur, interesse.
Tu autem, Dómine, mise-
re nostrî. ℟. Deo grátias.

SABBATO.

Ex Concílio Venético.

(Ann. 465, can. 11.)

Presbyteri, Diáconi atque Subdiáconi nuptiárum evítent convívia: nec iis cœtíbus admisceantur, ubi amatória cantantur et túrpia, aut obscœni motus córporum choréis et sáltibus efferuntur; ne audítus et obtútus sacris mystériis deputátus, túrpium spectaculórum atque verbórum contágio polluátur.

---

nominatione et institutione canonica ad Beneficia et Dignitates ecclesiasticas.

DOMINICA SEXTA.

POST PENTECOSTEN.

ı Concílio Lateranensi
tértio.

(An. 1179. Can. 8.)

ıLLA Ecclesiástica minis-
ıa, seu étiam benefícia,
Ecclésiæ, alícui tribuan-
seu promittantur, ánte-
m vacent; ne desideráre
s mortem próximi videá-
, in cujus locum et bene-
um se credíderit succes-
ım. Turpe nimis est et
ni plenum animadver-
ıe judícii, si locum in
Ecclésia futúræ succes-
is expectátio hábeat.
u autem.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Albiensi.

(Ann. 1254. C. 56.)

Cum in collatióne bonórum Ecclesiasticórum habéri débeat principáliter ante óculos solus Deus, ómnia Ecclesiástica bona persónis idóneis et statúto à Canónibus témpore conferantur, nullo præcepto vel promisso, remótis omni conditióne et pacto.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Remensi.

(Anno 1119. Can. 4.)

Nullus Episcopus, nullus Présbyter, nullus omnínò de

Clero Ecclesiásticas dignitátes vel benefícia cuílibet quasi hæreditário jure derelinquat.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Anno 1563. Sess. 24, de Reform. Cap. 1.)

Qui ad promotiónem præficiendórum quodcumque jus habent, aut alióquin óperam suam præstant, imprímis memínerint nihil se ad Dei glóriam et populórum salútem utílius posse fácere, quàm si bonos pastóres et Ecclésiæ gubernandæ idóneos promovéri stúdeant: eosque aliénis peccátis communicantes mortáliter peccáre, nisi quos dignióres et Ecclésiæ magis útiles ipsi judicáverint, non quidem précibus vel humáno affectu, aut ambiéntium suggestiónibus, sed eórum exigéntibus méritis, præfici diligenter curáverint.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess 24, de Ref. c. 12.)

Cum dignitátes in Ecclésiis, præsertim Cathedrálibus, ad conservandam augendamque Ecclesiásticam disciplínam fúerint institútæ; ut qui eas obtinérent, pietáte præcéllerent, aliisque exemplo essent, atque Epíscopos óperà et offício juvárent; méritò qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo múneri respondére possint.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess. 24, de Reform. Cap. 12.)

Nemo ígitur deinceps ad dignitátes quascumque, quibus animárum cura subest, promoveátur, nisi qui saltem vigésimum-quintum ætátis annum attígerit, et in Clericáli órdine versátus, doctrínâ ad suum munus exequendum necessáriâ, ac morum integritáte commendétur.

SABBATO.

Ex Concílio Lateranensi primo.

(Anno 1223. Can. 7.)

Nullus omnínò Archidiáconus, aut Archiprésbyter, aut Præpósitus, vel Decánus, animárum curam, vel præbendas Ecclésiæ, sine judício vel consensu Epíscopi, alícui tríbuat: imò, sicut sanctis Canónibus constitútum est, cura et rerum Ecclesiasticárum dispensátio in Epíscopi judício et potestáte permáneant.

De Prælatorum residentia, et Pastorali sollicitudine.

DOMINICA SEPTIMA
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Cloveshoviensi secundo.

(Ann. 747. Can. 1.)

Unusquisque Episcopórum curam pastorálem sibi créditam, canonicasque Christi Ecclésiæ ínstitutiónes, summo conánime defendere sit promptus: nec ullátenùs, negligenter vivendo, ségniter docendo, negótiis seculáribus, plusquàm Dei servítiis, quod absit, súbditus existat; sed bonis útique móribus, abstinéntiæ virtútibus, justítiæ opéribus, doctrínæ stúdiis adornátus, ut secundùm Apóstolum, pópulum Dei suis exemplis bene corrígere, et sanæ quoque doctrínæ sermónibus instrúere præváleat.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1547. Sess. 6, de Reform. Cap. 1.)

Omnes Cathedrálibus Ecclésiis quibuscumque, quovis nómine ac título, præfectos monet, ac mónitos esse vult sancta Synodus, ut attendentes sibi et universo gregi, in quo Spíritus sanctus pósuit eos régere Ecclésiam Dei, vígilent et ministérium suum ímpleant.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess. 6, de Ref. c. 1.)

Implere ministérium suum nequáquam posse sciant, (Episcopi) si greges sibi commissos mercenariórum more déserant, atque óvium suárum, quarum sanguis de eórum est mánibus à suprémo Júdice requirendus, custódiæ mínimè incumbant; cùm certíssimum sit non admittí Pastóris excusatiónem, si lupus oves cómedit, et Pastor nescit.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de residentia.)

Quæ de residéntia à sacro sancta Synodo Tridentína decréta sunt omnes hujus Provínciæ Episcopi pro eórum Pastoráli sollicitúdine ipsi diligenter observent; et ab ómnibus benefícia curáta, vel personálem residéntiam requiréntia, quomodólibet obtinéntibus quam diligentíssimè inviolatèque observári curent.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Burdigalensi.

(Ann. 1583. Tit. 18, de Parochis.)

Observent Párochi sui gregis vítia, et commúnia vel própria peccáta; iisque corrigendis, cum omni mansuetúdine et caritáte, tùm públicè omnes, tùm privátim síngulos admonendo, diligéntiam adhíbeant. Si qui contentióne discordes fúerint, vel ódia in ínvicem suscéperint, aut simultátes exercúerint, curent eos quamprímùm ad pacem et fraternam concórdiam revocáre.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1551. Sess. 13, de Reform. Cap. 1.)

Se Pastóres memínerint ita præesse sibi súbditis oportére, ut non eis dominentur, sed illos tanquam fílios et fratres díligant: elaborentque ut hortando et monendo ab illícitis detérreant. Quos tamen si quid per humánam fragilitátem peccáre contígerit, illa Apóstoli est ab eis observanda præcéptio, ut íllos árguant, óbsecrent in omni bonitáte et patiéntia. Sin autem ob delicti gravitátem virgâ ópus fúerit, tunc cum mansuetúdine rigor, cum misericórdia judícium, cum lenitáte sevéritas adhibenda est.

SABBATO.

Ex Concílio Avenionensi.

(Ann. 1594. Can. 42.)

Studiose Párochus sit sollícitus de paupéribus suæ Paróchiæ, præsertim puellis nubílibus, víduis, órphanis, pupillis, ægrótis, sénio confectis; aliisque persónis utrâque misericórdià indigéntibus, quibus et ipse opitulétur, et álios hortátu suo ad id officium invítet. Præcipuè de iis Epíscopum certiórem fáciat; ut qui commúnis eórum pater est, iisdem paternam curam præstet.

De Visitatione Episcopali.

DOMINICA OCTAVA

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Tarrasconensi.

(Anno 556. Cap. 8.)

Multorum cásuum experiéntiâ magistrante, repérimus nonnullas Diœcesánas esse Ecclésias destitútas: ob quam rem id hâc constitutióne decrévimus, ut antíquæ consuetúdinis ordo servétur, et ánnuis vícibus ab

ɔo Diœcesáno visitensi qua fortè Basílica
fúerit destitúta, orne ipsíus reparétur.

RIA SECUNDA.

ncílio Suessionensi.

ı. 744. Can. 4 et 5.)

UISQUE Présbyter qui
óchia est, Epíscopo
ns et subjectus sit, et
m et órdinem minisii Epíscopo reddat,
o Chrisma et Oleum
et quando jure canóɔíscopus círcumit Pam, Abbátes et Presparáti sint ad susci-
m Epíscopum in adm necessitátis. Suientes Presbyteri de
egiónibus non susci-
r in ministérium Ec-
, nisi priùs fúerint
i ab Epíscopo cujus
ıia est.

ERIA TERTIA.

oncílio Narbonensi.

nn. 1609. Cap. 27.)

SIAS Episcopi vísitent
áto comitátu, ne súbmímiis súmptibus ópnt; eosque secum ast, quos probátæ fíloctrínæ nóverint, et
m íntegra fama iis ad
ıroficiscantur, exemıe possit. Abúsus, si
épserint, tollant; moituant quibus in pósvitárì possint.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Visitatione.)

EPISCOPI, in Ecclésiæ visitatióne, ejus partes omnes aspícient; an eo cultu et nitóre teneátur, quem domum Dei decet; an Sanctórum relíquiæ tutò, ornátè, decenterque custodítæ asserventur; an desint vestes, libri, cálices, paténæ, corporália, et réliqua ejus géneris instrumenta et ornamenta, an illa munda et purgáta serventur; an Missæ aliaque divína Offícia, quà oportet pietáte celebrentur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Ut suprà.)

SCHOLAS, Sodalitátes, Hospitália et cætera pia loca visitantes (Episcopi) studiósè ac diligenter ómnia inspícient; abusus, si qui irrépserint, tollent; vídeant in quem usum eleemósynæ convertantur, et ratiónem éxigant ab iis qui bona locórum piórum hujúsmodi administráverint; ac dénique pro bono regímine státuant prout expedíre víderint.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Confirm. Sacramento.)

CURENT Párochi ut qui

adulta ætáte confirmandi sunt primò de peccátis confiteantur, tum étiam admóneat eos ut jejúni illud Sacramentum suscípiant cum mane ministrátur, ut non fronte sórdida, aut capillis indecenter contecta, ut aliquando contingit, accédant; ut cáveant ab omni strépitu et confabulatióne; sed sancto utantur siléntio, et mánibus ante pectus junctis, suo quisque órdine religiósè et devóte orent.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 24, de Reform. cap. 10.)

Episcopi, ut áptiùs quem regunt pópulum, possint in officio atque obediéntia continére in ómnibus his quæ ad visitatiónem spectant, jus et potestátem hábeant ea ordinandi, moderandi, puniendi, et exequendi juxta Cánonum sanctiónes, quæ illis ex prudéntia sua pro subditórum emendatióne ac Diœcésis suæ utilitáte necessária videbuntur.

De Conciliis, et de Synodis Diœcesanis.

DOMINICA NONA

POST PENTECOSTEN.

Ex Commonitório Vincéntii Lirinensis.

(Ann. 434. Cap. 32.)

Nihil quidquam prætéreà Conciliórum suórum decrétis Cathólica perfécit Ecclésia, nisi ut quod priùs à majóribus solà traditióne suscéperat, hoc deinde pósteris étiam per scriptúræ chirógraphum consignáret. Catholicórum hoc veré próprium, depósita sanctórum Patrum serváre, et damnáre profánas novitátes, sicut dixit Apóstolus.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Anastásium Thessalonicensem Episcopum.

(Script. ann. 444. C. 5.)

In Synodo maximè constituendum quod ad disciplínam Ecclesiásticam póterit pertinére. Méliùs enim culpa vitábitur, si inter Sacerdótes Dómini collátio frequéntior habeátur; et emendatióni páriter et caritáti plúrimùm præstat adunáta socíetas.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA TERTIA.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Anastásium Thessalonicensem Epíscopum.

(Script. ann. 444. Cap. 5.)

In Synodo si quæ causæ natæ fúerint, præstante Dómino, ita póterunt terminári, ut conténtio nulla resídeat, sed sólida inter fratres cáritas coalescat.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Tullensi.

(Ann. 859. Can. 2.)

Episcopi secundùm sacram auctoritátem uníti sint, et mútuo consílio atque auxílio pópulum sibi commissum regant atque córrigant; et nemo se à solátio mútuo súbtrahat: sed Synodáles conventus secundùm jussiónem canónicam frequentáre procúrent; quátenùs ordo Ecclesiástícus, qui quasi jam fúerat obliterátus, quóniam Synodi frequentári non póterant, Episcopáli collatióne ad necessárium ac débitum statum redúci præváleat.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(Ann. 829. L. 1, c. 26.)

Valde profutúrum sanctæ Dei Ecclésiæ fuit, ut quia ordo canónicus docet, et in ipsis Concíliis adsint Presbyteri et Diáconi, et omnes qui se læsos exístimant, et Synodi experiantur exámen; ut adsint étiam uniuscujusque Epíscopi erudíti viri, quos ad Christi milítiam ejusque Ecclésiæ honórem utilitátemque præparat, quátenùs et céteris Ecclésiis noti sint, et stúdium ac providéntiâ Epíscopi ad aliórum exempla manifesta fiant.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 24, de Reform. cap. 2.)

Provincialia Concília sícubi omissa sunt, pro moderandis móribus, corrigendis excéssibus, controvérsiis componendis, aliisque ex sacris Canónibus permissis, renoventur.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno.

(Sess. 24, de Ref. c. 2.)

Synodi Diœcesánæ quotannis celebrentur, ad quas accédere teneantur qui Parochiálium Ecclesiárum curam gerunt, quicumque illi sint.

Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

De Pontificum vita domestica, et de Viris Ecclesiasticis quorum operâ utuntur in Diœceseon regimine.

DOMINICA DECIMA

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Carthaginensi quarto.

(Ann. 398. Can. 15, 26 et 35.)

Episcopus dignitátis suæ auctoritátem fide et vitæ méritis quærat : dissidentes fratres, sive Cléricos, sive Láicos, ad pacem magis quàm ad judícium cohortétur. In Ecclésia et in consessu Presbyterórum sublímior sédeat; intra domum verò collégam se Presbyterórum esse cognoscat.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Mediolanensi tértio, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1573. Tit. 10.)

Episcopus cujus in primis est Sacerdotálem dignitátem tuéri, ut Láici discant Sacerdótes tanquam parentes ab ipsis únicè in Christo díligi et coli étiam debére, efficiat ut semper illis à laicális órdinis viris débitus tribuátur locus et honor.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Senonensi.

(Ann. 1460. Art. 2, cap. 1.)

Episcopi vitæ munditiâ, morum gravitáte et conversatiónis exemplo, ópere páriter et sermóne, omnibus víribus suis decréta Apostolícæ Régulæ quæ in consecratióne sua professi sunt, et ea quæ in divínis Scriptúris, Canónibus et júribus de Episcopis statuuntur, diligenter observent.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Senonensi.

(An. 1460. Art. 2, c. 1.)

Episcopi in suis Diœcésibus (nisi ex causa necessária, honesta et probábili) residéant, et principáliter post tempus visitatiónis in civitáte sua mansiónem fáciant: in festivitátibus solémnibus per se in Ecclésiis suis solémniter célebrent : Ecclesiásticos viros in divínis Scriptúris et Canónibus erudítos, præsertim in visitatiónibus suis, semper hábeant.

FERIA QUINTA.

Ex Concilio Tridentino.

(Ann. 1563. Sess. 25, de Ref. Cap. 1.)

Exemplo Patrum nostrórum in Concílio Carthaginensi sancta Synodus non solùm jubet ut Epíscopi modestà supelléctili et mensâ,

ac frugáli victu contenti sint, verùm étiam in réliquo vitæ génere, ac totâ eórum domo cáveant ne quid appáreat quod à sancto hoc institúto sit aliénum, quodque non simplicitátem, Dei zelum, ac vanitátum contemptum præ se ferat.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Médiolanensi quarto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1576. Part. 3, tit. de Episcopis.)

FAMILIA Episcopórum, Ecclésiæ súmptibus sustentáta, in dómibus ministrórum Dei educáta, céteris propósita esse debet ad imitatiónem christianárum virtútum. Quamobrem ejúsmodi sit, quæ prælúceat vitæ et morum exemplis.

SABBATO.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1, c. 138.)

VICE (Prælatórum) fungentes, sicut álios præcédunt magistério, ita nimírùm innocentis vitæ informent exemplo; ut, juxta Apóstolum, exemplo sint céteris in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte.

De moribus et officiis Canonicorum.

DOMINICA XI
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Canonicis.)

QUÆ de vitâ et honestáte clericórum ab hac Synodo statúta sunt ea ómnia quam diligentíssime à Canónicis observanda decérnimus, cùm déceat illos ea morum integritáte ornátos esse, ut nomen suum tuéri et retinére possint, ac præ áliis Clericis Canónici seu regulares ex observáta Ecclesiásticæ Disciplínæ perfectiùs régulà, nominári mereantur, à quibus céteros stúdium et amórem, ac tanquam régulam cultûs divini non pígeat accípere.

Tu autem.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Burdigalensi.

(Anno 1624. Cap. 9.)

DECET persónas ita probitáte ac sciéntiâ commendátas ad Canonicátus (Cathedrálium) elígere et assúmere, ut ex iis corpus Capituli coalescens, senátus Episcopórum, unde consílium arcessant, méritò dici possit.

Tu autem.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1, c. 131.)

Canonici laudes Deo in commúne persolventes, pro suis, populorumque quorum oblatiónibus vivunt, delictis Dóminum exórent. Cáveant étiam ne pro réquie sibi in locis divíno cúltui mancipátis concessà ótio tórpeant, sed magis in persolvendis divínis láudibus promptióres ac devotióres existant; ut per hanc quiétem bene operantes, ad eam quæ fine caret pervenire váleant.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Coloniensi.

(An. 1536. Part. 3, cap. 4 et 5.)

Quam à vero aberrant qui exístimant sese non alicújus Offícii in Ecclésia exercendi, sed quiétis et inértiæ tantùm causà Canonicátus esse adeptos! perinde atque satis sit, paucis quibusdam Cléricis ádmodùm ignáris, ténui prétio conductis, curam divíni Offícii committi, quod deinde hujuscémodi mercenárii, non servátis témporum interstítiis, syncopando transcurrunt, ínterim ipsis Canónicis totà vitâ torpéntibus.

FERIA QUINTA.

Ex Concíliis * Coloniensi et ** Bituricensi.

(* Ann. 1536. Part. 3, c. 16. ** Ann. 1584. Tit. 34.)

Ante ómnia curæ erit ne quis Canonicórum sacris absit; sed ut qui emolumentum ferre volent, offícium quoque suum, propter quod beneficium datur, in Ecclésia gerant. Sciant autem omnes qui bona Ecclésiæ póssident, et iis utuntur, si offícium suum non impléverint, aut ab Ecclesiástico órdine defécerint, se ad restitutiónem tenéri: quod cuíque in sua receptióne significétur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. C. 145.)

Canonici discórdiam fúgiant; et quos discordantes invénerint, ad caritátis concórdiam révocent: amóri Christi nihil præpónant, próprio Epíscopo secundùm canónicam constitutiónem obtémperent, doctrínis spiritálibus óperam dent, irreprehensibíliter vivant.

SABBATO.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. Cap. 145.)

Canonici senióres spiritáliter junióres díligant: junióres senióribus obséquium dignum exhíbeant. Doctióres minùs doctis nequáquam se præferant, sed magis eos cum caritáte ædíficent; neque hi qui nobilitáte géneris aut virtútum donis pollent, cèteris se túmidè superextollant.

De Officii divini publicâ celebratione, et privatâ recitatione.

DOMINICA XII
POST PENTECOSTEN.

De Excerptiónibus Egberti Eboracensis Episcopi.

(Circa ann. 747. Can. 28.)

Septem synaxes sancti Patres canendas constituérunt, quas omni die Clerus síngulis horis cánere debet; quarum prima est nocturnâlis synaxis. Has ergo septem synaxes omni die debémus sollícitè réddere Deo pro nobis et pro omni pópulo Christiáno, sicut Psalmista testátur, dicens: Sépties in die laudem dixi tibi super judícia justítiæ tuæ; et ínsuper Missas non omíttere.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Parisiensi.

(Ann. 1528. Decr. 18.)

In Cathedrálibus, ac Collegiátis, et Conventuálibus Ecclésiis, laudes divínæ per síngulas Horas, non cursim ac festinanter, sed tractim cum pausa decenti, præsertim in médio cujúslibet versículi Psalmórum, débitam faciendo inter solemne ac feriále Officium differéntiam, reverenter ab ómnibus persolvantur.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℣. Deo grátias.

FERIA TERTIA.

Ex Statútis Bartholomæi Grassi Forojuliensis Episcopi.

(Ann. 1336. n. 3.)

Ut Ecclésiæ ministri reveréntiam in exterióribus exhíbeant ad sancta quam gérere debent in corde, cum chorum intráverint, coram altári, et ad sedem Episcopi, cùm ipsum inibi adesse contígerit, se reverenter inclínent, et hoc idem fáciant cùm egrediuntur à Choro... Horæ autem ab ómnibus simul horis débitis et cum devotióne, tractim et distinctè in choro cantentur, et sint omnes perseverantes à princípio usque ad finem, non confabulantes in choro, nec colloquentes ad ínvicem.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Choro.)

In Choro, Clerus non vagétur óculis, incompósito córporis situ, ne stet, vel sédeat, non moveátur hùc illùcque, non sint ínvicem collóquia, non flores in manu téneat, non legat áliud in choro præter quàm officium quod tunc cantátur, modulétur devótè cum áliis, meminerítque se tremendæ

Dei majestáti astáre, qui non modo exterióres córporis gestus videt, sed scrutátur córdium íntima atque secréta.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Basileensi.

(An. 1435. Sess. 21, Can. 5. accept. in conc. Senon. an. 1460.)

Quoscumque Beneficiátos, sive in sacris constitútos, cùm ad Horas Canónicas teneantur, ádmonet hæc sancta Synodus, si oratiónes suas Deo acceptas fore cúpiunt, ut non in gútture vel inter dentes, seu deglutiendo aut syncopando dictiónes, nec collóquia, vel risus intermiscendo; sed sive soli, sive associáti, diurnum noctúrnumque Offícium reverenter verbisque distinctis péragant, ac tali loco, unde à devotióne non retrahantur, ad quam se dispónere et præparáre debent, juxta id quod scriptum est: Ante oratiónem præpara ánimam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de vita et hon. Cleric.)

Qui horas canónicas legítimo cessante impedimento intermíserint, quicumque eas recitáre tenentur, sciant ex Bulla Pii Papæ quinti de ea re condita, non solùm gravi se peccáto obstrictos, sed omnes étiam beneficiórum suórum fructus qui in síngulos dies eis obtígerint, si quotídie in síngulas horas dividerentur amíttere, neque à Confessário ullà ratióne absolvi posse, étiam jubilæi cujuscumque grátià suffragante, nisi frúctuum, quos indébitè percéperint, factà prius restitutióne.

SABBATO.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Choro.)

Episcopus post Missam conventuálem, et post solemnem benedictiónem pópulo datam ne recédat à Choro, úsquequò absolúta fúerit Sexta, nisi ex gravi causa: ne privétur chorus et Ecclésia débitis obséquiis per Canónicos præstandis qui cùm Epíscopum ad ædes episcopáles comitári débeant, chorum destítuant, et illíus horæ offício non satisfáciunt.

DOMINICA XIII

POST PENTECOSTEN.

Ex mandáto Antónii Benedicti de Clermont-Tonnerre Forojuliensis Epíscopi, ad Clerum suæ Diœcesis.

(Ann. 1678.)

Cum inter præcípua Clericális milítiæ débita illud semper cénsitum sit divínæ

psalmódiæ eâ sedulitáte et sapiéntiâ incúmbere, quâ regem omnis terræ dóminum coli decet: censúimus vos præmonendos ut unâ mente, concentu unánimi, eodemque ritu psallentes Deo nostro, psallámus sapienter, dumque sanctórum memóriam fácitis, et laudes celebrátis, horum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Tu autem.

FERIA SECUNDA.

Ex Synodo Trecensi.

(Ann. 1459.)

In número Collectárum in Missa dicendárum, et modo se habendi ad altáre, et tálibus hujúsmodi, Ecclésiæ Cathedráli Présbyter se conformet.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1, c. 132.)

Studendum solerter est ut cùm Ecclésiam, vel ad divínæ laudis débita solvenda, vel ad Missárum solémnia, intrámus, cum timóre et veneratióne competenti cœleste compleámus Offícium.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. Lib. 1. c. 132.)

Nobis observandum est ne quid in Ecclésia Dei inceptum, ne quid perversum, ne quid índecens, aut cogitatióne, aut verbis, aut áctibus perpetrémus; quátenùs Dóminus ad nos véniens, non quod condemnet in nobis, sed pótiùs quod remúneret, invéniat.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1, c. 133.)

Tales ad legendum, cantandum et psallendum in Ecclésia constituantur, qui non superbè, sed humíliter débitas Dómino laudes persolvant, plusque velint in lectióne, vel cantu, pópuli ædificatiónem, quàm populárem vaníssimam adulatiónem.

Tu autem.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Lib. 1. Cap. 137.)

Studendum summópere Cantóribus, ne donum sibi divínitus collátum vítiis fœdent; sed pótiùs illud humilitáte, castitáte et sobrietáte, et céteris sanctárum virtútum ornamentis exornent: quorum melódia animos pópuli circumstantis ad memóriam amoremque cœléstium, non solùm sublimitáte verbórum, sed étiam suavitáte tonórum, quæ dicuntur, érigat.

Tu autem

SABBATO.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Lib. 1, cap. 137.)

PSALMI in Ecclésia, non excelsis atque inordinátis seu intemperátis vócibus, sed planè ac dílúcidè et cum compunctióne cordis recitentur; ut et recitántium mens illórum dulcédine pascátur, et audiéntium aures illórum pronuntiatióne demulceantur.

DOMINICA XIV

POST PENTECOSTEN.

x Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 3, c. 13.)

UTINAM optando à Deo óptimo máximo cónsequi possímus, ne quisquam lucri causâ divínis interesset, alióqui non accessúrus sacra, véluti quem nummi magis quàm Dei amor in templum trahit, quæstum pietátem esse putantem! qui non dúbio ex eórum número est de quibus Isaías ait: Díligunt múnera, sequuntur retributiónes. Sed ínterim debet Cléricus habére semper menti recónditum Christi verbum: Primùm quærite regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjicientur vobis.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Remensi.

(Ann. 1583. Tit. 3. De cultu divino.)

NE cui precum multitúdo aut prolíxitas tædium géneret, nemoque eárum partem áliquam tácitus prætéreat, aut volubilitáte linguæ illas omnes ita percurrat, ut plerumquè mentem lingua prævéniat; póterunt Epíscopi, adhíbito Canonicórum et alíórum grávium virórum judício, preces ad eum modum redúcere, ut et Ecclésiæ dignitáti respóndeant, et fácilè ab ómnibus exolvi, pièque decantári possint.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Remensi.

(Ann. 1564. Congr. 5.)

QUONIAM à primæva Breviárii institutióne, id antíqui Patres voluisse videntur, ut síngulis hebdómadis totum Psaltérium recitarétur; in Breviário Davídici Psalmi ita per dies síngulos disponantur, ut totus Psalmórum liber in unaquáque hebdómada recitétur.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Narbonensi.

(Ann. 585. Can. 2.)

PER quemque Psalmum *Gloria* dicátur omnipotenti Deo: per majóres verò Psal-

mos, proùt prolíxiùs fúerint, pausatiónes fiant; et per quamcumque pausatiónem glória Trinitátis Dómino decantétur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 2, Can. 6 et 11.)

Cum olim à sanctíssimis Pátribus institútum sit, ut solæ Scriptúræ sacræ in Ecclésia recitarentur, nescímus quâ incúriâ accíderit ut in eárum locum succésserint ália cum his néutiquam comparanda, atque ínterim históriæ Sanctórum tam inculté, ac tam negligenti judício conscriptæ, ut nec auctoritátem habére videantur, nec gravitátem. Ergo amputátis supérfluis, et quæ superstitiósiùs invecta vidéri possint, ea tantùm quæ dignitáti Ecclésiæ et priscis institútis consentánea fúerint, relinquantur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Milevitáno secundo.

(Ann. 416. Can. 12.)

Preces vel Oratiónes, seu Missæ quæ probátæ fúerint, sive Præfatiónes, sive Commendatiónes, sive mánuum impositiónes, ab ómnibus celebrentur, nec áliæ dicantur in Ecclésia; ne fortè áliquid contra fidem, vel per ignorántiam, vel per minus stúdium, sit compósitum.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 2, c. 7.)

Sunt in Clero zelum quidem Dei habentes, sed non secundùm sciéntiam; qui privátis afféctibus ducti, effíciunt ut nova Festa et Offícia præter Ecclésiæ auctoritátem solémniter celebrentur. Quo ínterim fit ut preces horáriæ, ac réliqua públicè recepta, pro affectu cujúslibet fácilè noventur; id quod nobis non satis probátur. Neque enim errârunt Patres, à quorum institútis in dicendis précibus útinam tam longè discessum non fuisset! Quòd si his affféctibus singulórum indulgébitur, tandem antíquus ritus pénitùs evanescet.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

De Precibus pro Defunctis. De Exequiis et Cœmeteriis.

DOMINICA XV

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Emeritensi.

(Ann. 666. Can. 19.)

PRO Ecclésiis in quibus Présbyter jussus fúerit per sui Epíscopi ordinatiónem præesse, síngulis diébus Domínicis sacrifícium Deo procúret offerre; et eórum nómina à quibus eas Ecclésias constat esse constructas, vel qui áliquid his Ecclésiis videntur aut visi sunt contulisse, témpore Missæ, si ab hac decessérunt luce, cum defunctis fidélibus recitentur.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tolosáno.

(Ann. 1590. Part. 2, cap. 10.)

SANCTA et salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. Id Párochi sédulò præstábunt. Nullus, ínscio vel non approbante Epíscopo, mórtuum in fúnere hábitâ oratióne laudábit. Cóncio tamen áliqua habéri póterit, quâ humánæ tantùm miséríæ status, mortis judiciique necéssitas qualitasque describétur.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℣. Deo grátias.

FERIA TERTIA

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 25. Decret. de Purgatorio.)

CURENT Epíscopi ut fidélium vivórum suffrágia, Missárum scílicet sacrifícia, oratiónes, eleemósynæ, aliaque pietátis ópera quæ à fidélibus pro áliis fidélibus defunctis fíeri consuevérunt, secundùm Ecclésiæ institúta piè et devótè fiant; et quæ pro illis ex testatórum fundatiónibus vel áliâ ratióne debentur, non perfunctóriè, sed à Sacerdótibus et Ecclésiæ ministris, et áliis qui hoc præstáre tenentur, diligenter et accuráte persolvantur.

FERIA QUARTA.

Ex tractátu Jonæ Aurelianensis Episcopi, de Institutióne Laicáli.

(Ann. 830. Lib. 3, cap. 15.)

NULLATENUS audiendi sunt illi qui dicunt quòd nullæ áliæ eleemósynæ opitulári possint defunctis, nisi solúmmodò quæ Sacerdótibus dantur, et sacrifícia quæ per eos Deo offeruntur. Hoc qui credunt et dicunt, aut ignoránti à aut certè aliórum persuasióne falluntur. Credíbile sane est quòd hæc persuá-

sio quà símplices id crédere et dícere videntur, ex fonte avarítiæ procésserit: sancta quippe mater Ecclésia pro defunctis suis non solùm sacrifícia altáris, sed étiam quascumque álias eleemósynas offerre consuévit.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de celebrat. Missæ.)

Contingit sæpè in quibusdam Ecclésiis vel tam magnum missárum númerum et váriis defunctórum legátis impósitum esse, ut illis pro síngulis diébus à testatóribus præscriptis néqueat satisfíeri, vel eleemósynam pro illis celebrandis adeò ténuem esse ut non fácilè inveniátur qui velit huic se múneri subjícere. Proptérea Episcopi státuant circa hæc quidquid magis ad Dei honórem et cultum atque Ecclesiárum utilitátem víderint expedíre, ita tamen ut eórum semper defunctórum commemorátio fiat qui pro suárum animárum salúte legáta ad pios usus reliquérunt.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Narbonensi.

(Cap. 24.)

Sordidas exactiónes, et pro exéquiis defunctórum illícitas pactiónes à Sacerdótibus fíeri non permittant Epíscopi; et in hoc deprehensos Sacerdótes quâ decet severitáte púniant.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanensi quarto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1576, part. 1, tit. 14 et 17.)

Cœmeteria ut muro, vel áliàs, tutè úndique sepiantur, et eórum ingressus béstiis occludátur, curet Epíscopus diligenter. In eórum médio crux fírmiter erecta sit. Cœmetéria Rectóri aut étiam áliis úsui ne sint, res profánas onerave asportántibus, hàcque et illàc per Ecclésiam sacraque loca, quasi per viam públicam transeúntibus.

Tu autem.

De ambitione à Clericis fugienda.

DOMINICA XVI
POST PENTECOSTEN.

Ex sancto Ambrósio Epíscopo.

(Epistolâ 63, ad Vercell. scriptâ ann. 396, in Decr. Greg. dist. 63. Et lib. 1 Offic. cap. 22.)

NEOPHYTUS prohibétur ordinári, ne extollátur supérbiâ. Tamen, si non deest humílitas cómpetens sacerdótio, ubi causa non hæret, vítium non imputátur..... Ergo bonis áctibus et sincéro propósito nitendum ad honórem arbitror Ecclesiásticum, ut neque resupína arrogántia, vel remissa negligéntia sit, neque turpis affectátio et indecóra ambítio. Ad ómnia abundat ánimi directa simplícitas, satisque seipsa commendat.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ, ad Epíscopos Mauritániæ Cæsariensis.

(Script. ann. 440, cap. 4.)

SI ad honóres mundi sine suffrágio témporis, sine mérito labóris, indignum est pervenire; et notári ámbitûs solent, quos probitátis documenta non ádjuvant: quàm díligens et quàm prudens habenda est dispensátio divinórum múnerum et cœléstium dignitátum, ne in áliquo Apóstolica et Canónica decréta violentur, et his Ecclésia Dómini regenda credátur, qui (sunt) legitimárum institutiónum néscii, et totíus humilitátis ignári!

FERIA TERTIA.

De Sermóne Synodáli Stéphani, Tornacensis Epíscopi.

(Ann. 1197. Serm. 1.)

NON quid fiat, sed quid fieri débeat attendámus. Generális enim est régula illa, et quæ locum habet in omni Sacerdóte, summo, médio, infimove, ut (ad régimen) quærátur cogendus, rogátus recédat, invitátus fúgiat; sola illi suffragétur necéssitas se non excusandi. Si áliter factum est, vitiáta est régula, et pérdidit offícium suum. Inter hæc clamat legis austéritas, stat rigor Cánonum intráre volentes arcens.

INDEX PSALMORUM.

119 Ad Dominum, cum tribularer. 63
27 Ad te, Domine, clamabo. 6
24 Ad te, Domine, levavi. 38
122 Ad te levavi oculos meos. 83
28 Afferte Domino, filii Dei. 137
77 Attendite, popule meus. 70
48 Audite hæc, omnes gentes. 127

118 Beati immaculati in via 12
127 Beati omnes qui timent Dominum. 142
31 Beati quorum remisssæ sunt. 66
40 Beatus qui intelligit. 126
1 Beatus vir qui non abiit. 2
111 Beatus vir qui timet Dominum 22
33 Benedicam Dominum in omni tempore 99
103 Benedic, anima mea, Domino : Domine Deus. 27
102 Benedic, anima mea, Domino ; et omnia. 80
143 Benedictus Dominus Deus meus. 143
84 Benedixisti, Domine, terram tuam. 53
91 Bonum est confiteri Domino 32

95 Cantate Domino canticum novum : cantate. 39
149 Cantate Domino canticum novum : laus ejus. 138
97 Cantate Domino canticum novum, quia. 40
18 Cœli enarrant gloriam Dei 48
74 Confitebimur tibi, Deus. 129
110 Confitebor tibi, Domine... in concilio. 22
9 Confitebor tibi, Domine... narrabo. 68
137 Confitebor tibi, Domine... quoniam audisti. 102
104 Confitemini Domino, et invocate. 28
135 Confitemini Domino, quoniam... Confitemini. 33
106 Confitemini Domino, quoniam... Dicant qui. 50
117 Confitemini Domino, quoniam... Dicat nunc 11
105 Confitemini Domino, quoniam... Quis loquetur. 30
15 Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. 88
115 Credidi, propter quod locutus sum. 101
4 Cum invocarem, exaudivit me Deus. 25

129 De profundis clamavi ad te, Domine. 84
43 Deus, auribus nostris audivimus. 115
49 Deus deorum Dominus locutus est 58
62 Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. 8
21 Deus, Deus meus, respice in me. 119

69 Deus, in adjutorium meum intende. 100
53 Deus, in nomine tuo salvum me fac. 110
71 Deus, judicium tuum regi da. 49
108 Deus, laudem meam ne tacueris. 61
66 Deus misereatur nostrî. 96
45 Deus noster refugium et virtus. 139
82 Deus, quis similis erit tibi? 130
59 Deus, repulisti nos. 140
81 Deus stetit in synagoga deorum. 81
78 Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. 66
93 Deus ultionum Dominus. 82
114 Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. 43
17 Diligam te, Domine, fortitudo mea. 3
38 Dixi : Custodiam vias meas. 104
109 Dixit Dominus Domino meo. 21
35 Dixit injustus, ut delinquat. 74
52 Dixit insipiens... in iniquitatibus. 42
13 Dixit insipiens... in studiis suis. 85
140 Domine, clamavi ad te. 64
7 Domine Deus meus, in te speravi. 46
87 Domine Deus salutis meæ. 136
8 Domine, Dominus noster. 37
142 Domine, exaudi orationem meam : auribus. 136
101 Domine, exaudi orationem meam : et clamor. 118
20 Domine, in virtute tua lætabitur rex. 80
6 Domine, ne in furore tuo... Miserere. 46
37 Domine, ne in furore tuo... Quoniam. 124
130 Domine, non est exaltatum cor meum. 84
138 Domine, probasti me. 121
3 Domine, quid multiplicati sunt. 3
14 Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? 48
89 Domine, refugium factus es nobis. 96
23 Domini est terra, et plenitudo ejus. 52
26 Dominus illuminatio mea. 97
22 Dominus regit me. 99
92 Dominus regnavit, decorem indutus est. 81
96 Dominus regnavit, exultet terra. 53
98 Dominus regnavit, irascantur populi. 41

133 Ecce nunc benedicite Dominum. 26
132 Ecce quàm bonum. 64
58 Eripe me de inimicis meis. 107
139 Eripe me, Domine, ab homine malo. 122
44 Eructavit cor meum verbum bonum. 137
144 Exaltabo te, Deus meus rex. 102
29 Exaltabo te, Domine, quoniam. 6
19 Exaudiat te Dominus in die tribulationis. 87
60 Exaudi, Deus, deprecationem meam. 108

63 Exaudi, Deus, orationem meam, cùm deprecor. 128
54 Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris. 106
16 Exaudi, Domine, justitiam meam. 131
39 Expectans expectavi Dominum. 116
80 Exultate Deo adjutori nostro. 92
32 Exultate, justi, in Domino. 88
67 Exurgat Deus, et dissipentur. 88

86 FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis. 140

85 INCLINA, Domine, aurem tuam. 145
125 In convertendo Dominus. 44
10 In Domino confido. 85
113 In exitu Israel de Ægypto. 23
70 In te, Domine, speravi..... et eripe me. 111
30 In te, Domine, speravi... in justitia. 77

65 JUBILATE Deo, omnis terra, psalmum. 7
99 Jubilate Deo, omnis terra : servite. 9
34 Judica, Domine, nocentes me. 56
42 Judica me, Deus, et discerne. 79
25 Judica me, Domine, quoniam. 57

121 LÆTATUS sum in his. 63
145 Lauda, anima mea, Dominum. 114
147 Lauda, Jerusalem, Dominum. 95
148 Laudate Dominum de cœlis. 10
150 Laudate Dominum in sanctis ejus. 55
116 Laudate Dominum, omnes gentes. 135
146 Laudate Dominum, quoniam bonus. 76
134 Laudate nomen Domini. 35
112 Laudate, pueri, Dominum. 23
120 Levavi oculos meos in montes. 44

47 MAGNUS Dominus, et laudabilis. 139
131 Memento, Domine, David. 153
56 Miserere meî, Deus, miserere meî. 131
55 Miserere meî, Deus, quoniam. 125
50 Mjserere meî, Deus, secundùm. 145
100 Misericordiam et judicium. 50
88 Misericordias Domini in æternum. 90

126 NISI Dominus ædificaverit domum. 83
123 Nisi quia Dominus erat in nobis. 44
36 Noli æmulari in malignantibus. 59
61 Nonne Deo subjecta erit. 128
75 Notus in Judæa Deus. 126

46 OMNES gentes, plaudite manibus. 40

107 PARATUM cor meum, Deus. 93

72 QUAM bonus Israel Deus. 42
83 Quàm dilecta tabernacula tua. 98
2 Quare fremuerunt gentes. 2
41 Quemadmodum desiderat cervus. 78
124 Qui confidunt in Domino. 83
51 Quid gloriaris in malitia. 106
90 Qui habitat in adjutorio Altissimi. 25
79 Qui regis Israel, intende. 100

128 SÆPE expugnaverunt me. 121
68 Salvum me fac, Deus. 108
11 Salvum me fac, Domine. 104
57 Si verè utique justitiam. 117
136 Super flumina Babylonis. 45

64 TE decet hymnus, Deus, in Sion. 74

12 USQUEQUO, Domine. 65
73 Ut quid, Deus, repulisti in finem. 141

94 VENITE, exultemus Domino. 150
5 Verba mea auribus percipe, Domine. 73
76 Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Deum. 37
141 Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Dominum. . . . 64

INDEX CANTICORUM PSALTERII

ET ORDINARII.

AUDITE, cœli, quæ loquor. 132
Benedicite omnia opera Domini. 9
Benedictus Dominus Deus Israel. 155
Benedictus es, Domine. 94
Cantemus Domino : gloriosè. 34
Collaudate canticum. 35
Confitebor tibi, Domine. 75
Domine, audivi auditionem tuam. 112
Ego dixi : In dimidio dierum meorum. 54
Exultavit cor meum in Domino. 94
Incipite Domino in tympanis. 134
Magnificat anima mea. 164
Magnus es, Domine. 75
Miserere nostrî, Deus. 55
Nunc dimittis servum tuum. 168
Urbs fortitudinis nostræ. 113

INDEX PSALMORUM GRADUALIUM.

119 Ad Dominum, cùm tribularer clamavi. 63
120 Levavi oculos meos in montes. 44
121 Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. 63
122 Ad te levavi oculos meos. 83
123 Nisi quia Dominus erat in nobis. 44
124 Qui confidunt in Domino. 83
125 In convertendo Dominus. 44
126 Nisi Dominus ædificaverit domum. 83
127 Beati omnes qui timent Dominum. 142
128 Sæpe expugnaverunt me. 121
129 De profundis clamavi ad te, Domine. 84
130 Domine, non est exaltatum cor meum. 84
131 Memento, Domine, David. 143
132 Ecce quàm bonum. 64
133 Ecce nunc benedicite Dominum. 26

FINIS.

NTONATIONES ET TERMINATIONES

PSALMORUM ET CANTICORUM,

SECUNDUM OMNES CUJUSQUE MODI DIFFERENTIAS.

IN hocce Breviario ad Antiphonas quisque Tonus suo numero no-
ur : variæ etiam cujusque Toni species, seu modi, suis litteris
signantur; *Completi*, majusculis; minusculis verò *incompleti*.
odus autem *completus* ille est qui in singulis Psalmi versibus desinit
legitimam Toni sui finalem; *incompletus* verò qui, non in Psalmi
rsibus, sed in sola Antiphona perfectè terminatur. Solæ vocales
u, *o*, *u*, *a*, *e*, infra particulares terminationum variationes,
evitatis causâ, ponuntur : inveniuntur in his verbis, *seculorum*
nen, et quæcumque verba repræsentant. Duæ claves significant
onum duplici modo oculis subjici posse.
Cùm intonatio Canticorum Evangelicorum sit eadem ac Psalmo-
m in Tonis imparibus, non hìc specialiter notatur.

PRIMUS MODUS.





misericordi-a ejus. Spiritu-i sancto. Et in secula



seculorum. Amen.

SECUNDUS MODUS.

D



Laudate Dominum omnes gentes. Credidi



propter quod locutus sum. e u o u a e

In Canticis Evangelicis.



Bene-dictus Dominus Deus Is-ra-el.



Magni- ficat ✿ a- nima.

A



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

In monosyllabis hebræisque vocibus non declinabilibus.



Credi-di propter quod locutus sum.
Me- men-to Do-mine David.

In Canticis Evangelicis.



Nunc di-mittis servum tuum Do-mine.

TERTIUS MODUS.

E



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

a a



a a



e u o u a e e u o u a e



QUARTUS MODUS.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

In monosyllabis, etc.



Credi-di propter quod locutus sum.
Me- men-to Do- mine Da- vid.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e



In Canticis Evangelicis.

Bene-dictus Dominus De-us Is- rael.

QUINTUS MODUS.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e

e u o u a e frumenti sati-at te.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e


F
e u o u a e
In Canticis Evangelicis.
Bene-dictus Dominus Deus Is-ra-el
C
Lauda-te Dominum omnes gentes. Et in
e u o u a e
In Canticis Evangelicis.
Benedictus Dominus De-us Is-
Magni-fi-cat anima. Magni-ficat.
C

SEPTIMUS MODUS.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e



e u o u a e

e u o u a e



e u o u a e



e u o u a e



e u o u a e



e u o u a e

OCTAVUS MODUS.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e



e u o u a e



e u o u a e



e u o u a e

In Canticis Evangelicis



Benedic-tus Dominus De-us Is-ra-el.



Magni-ficat a-nima magna qui potens est.

Hæc quatuor verba dicuntur sub eodem cantu in secundo tono.

In monosyllabis, etc.



Credidi propter quod locutus sum.
Memen- to Do- mine David.

Notandum intonationes suprà notatas servari tantùm, in primo cujusque Psalmi versu; ceteros verò versus à dominante in directum inchoari; quod et observatur in Canticis Evangelicis, nisi organa pulsentur: tunc enim versus qui canuntur à Choro, eodem modo inchoantur quo primus.

Mediatio autem in iisdem Canticis eadem semper est ad singulos versus quæ ad primum. Quia verò in primo versu Cantici *Magnificat* propter brevitatem mediatio compleri nequit, in cæteris ejus versibus ad eam recurrendum est quæ ad *Benedictus* supra notatur.

NEUMATA.



Notandum intonationes suprà notatas servari tantùm, in primo cujusque Psalmi versu; ceteros verò versus à dominante in directum inchoari; quod et observatur in Canticis Evangelicis, nisi organa pulsentur: tunc enim versus qui canuntur à Choro, eodem modo inchoantur quo primus.

Mediatio autem in iisdem Canticis eadem semper est ad singulos versus quæ ad primum. Quia verò in primo versu Cantici *Magnificat* propter brevitatem mediatio compleri nequit, in cæteris ejus versibus ad eam recurrendum est quæ ad *Benedictus* supra notatur.

NEUMATA.